LOCUS QUINTUS

DE CREATIONE ET ANGELIS.

PROOEMIUM.

IV. 3. Connexio cum praecedente loco. Voluntas Dei est ipsa ejus essentia.

Egimus hactenus de una ac indivisa Dei essentia et distinctis in ea tribus personis, Patre, Filio et Spiritu s.; videndum nunc de Dei voluntate.

2. Voluntas Dei est ipsa Dei essentia seu ipse Deus volens. Non enim aliud est in Deo, quod vult et quo vult, sed se ipso liberrime vult bonum; accidens quoddam in Deo non agnoscimus: interim tamen quae in Deo sunt ἁπλοτάτως unum quid, ea distincte propter intellectus nostri tarditatem cognoscenda proponi nihil impedit.

Quid de voluntate occulta.

3. Agemus autem de voluntate Dei revelata. Quae enim de occulta Dei voluntate et quidem revelata in verbo Dei contradictoria a nonnullis disputantur, ea a nobis serio repudiantur. Repetimus hoc loco quae D. Lutherus proponit in aurea expositione Genes. 26. c. Tom. 6. lat. p. 353: *De Deo, quatenus non est revelatus, nulla est fides, nulla scientia et cognitio nulla. Atque ibi tenendum est, quod dicitur: Quae supra nos, nihil ad nos. Ejusmodi enim cogitationes, quae supra aut extra revelationem Dei sublimius aliquid rimantur, prorsus diabolicae sunt, quibus nihil amplius proficitur, quam ut nos ipsos in exitium praecipitemus, quia objiciunt objectum impervestigabile, videlicet Deum non revelatum.* Utimur hoc argumento: Unicum theologiae principium est verbum Dei, quod ergo in verbo Dei non est revelatum, non est theologicum.

Voluntas Dei immutabilis.

4. Porro quicquid Deus in tempore agit, agere ab aeterno decrevit. Est enim voluntas ejus immutabilis, unde deducitur regula illa apprime notanda:

IV. 4. *Decretum Dei et exsecutio ejus decreti exquisitissime conveniunt, nihil est in Dei opere, quod non fuerit in decreto, et nihil fuit in decreto, quod non sequitur in opere.* Cum enim dicimus, Deum aliquid facere, non aliquem in operando motum illi inesse intelligimus, sed ejus sempiternae voluntatis novum aliquem significamus effectum, id est aeterna ejus voluntate noviter aliquid exsistere dicimus.

Duo praecipua Dei opera.

5. Quia igitur duo praecipua ac maxima Dei opera (ad quae reliqua omnia certo ordine ac modo referri possunt) in tempore a Deo facta esse Scriptura testatur, videlicet creationem totius universi et instaurationem generis humani, inde colligimus, de utroque Deum ab aeterno fecissè decretum, quod quale fuerit, exsecutio ejus ostendit.

6. De creatione propositum nobis hac vice disserere, quae est primum opus, in quo se Deus ex arcana sua sede prodiens exterius manifestavit. *Ut enim Deus, qui natura invisibilis est, etiam a visibilibus posset sciri, opus factum est ab eo, quod opificem visibilitate sua manifestaret.* Ambrosius super 1. Rom. p. 4. Unde etiam *ὁ κόσμος οὗτος ὅλος ὥσπερ τι βιβλίον ἐγγραφόν ἐστιν ὑπαγορευόμενον τὴν τοῦ θεοῦ δόξαν.* Basil. homil. 11. hexaëm. Creatio.

CAPUT I.

DE SIGNIFICATIONE VOCABULI.

7. Creare significat proprie ex nihilo aliquid facere, transfertur autem in Scriptura ad res alias, sed quae itidem sunt solius Dei actiones, et quidem non minoris virtutis quam ipsum opus creationis. De variis significationibus hujus vocabuli, ut et de synonymis ejus appellationibus vide omnino Dn. Chemn. part. 1. Loc. theol. loc. 4. c. 1. Discrimen inter creationem et generationem accurate in ecclesia observandum. Illa fit ex nihilo, haec ex gignentis substantia: per illam producitur aliquid diversum a substantia creantis; per hanc producitur simile secundum essentiam; illa est opus ad extra, haec est opus ad intra. Quid significet creare.

CAPUT II.

DE CAUSA EFFICIENTE CREATIONIS.

8. Auctor creationis est Deus unus et solus, ut passim Scriptura testatur Gen. 1, v. 1: *In principio creavit Deus coelum et terram.* Job. 9, v. 8: *Deus extendit coelos suos.* Psalm. 134, v. 5: *Jehovah* Auctor creationis.

fecit coelum et terram. Esa. 45, v. 6. 7: *Ego Dominus, et non est alius; formans lucem, creans tenebras.* Jerem. 10, v. 11: *Dii, qui non fecerunt coelum et terram, pereant de terra.* Mal. 2, v. 10: *Numquid non Deus unus creavit nos?* Hebr. 3, v. 4: *Qui omnia creavit, Deus est.* Est autem ille unus verus Deus, Pater, Filius et Spiritus s., ideo creationis opus et Patri et Filio et Spiritui s. in Scriptura tribuitur. De Patre dicitur 1. Cor. 8, v. 6: *Unus Deus Pater, ex quo omnia.* Hebr. 1, v. 2: *Deus locutus est nobis in Filio, per quem et secula condidit.* De Filio Joh. 1, v. 3: *omnia per ipsum facta sunt.* Col. 1, v. 16: *in ipso creata sunt omnia.* De Spiritu s. Job. 26, v. 13: *Spiritus ejus ornavit coelos;* c. 33, v. 4: *Spiritus Dei fecit me, et spiraculum omnipotentis vivificavit me.* Psalm. 104, v. 30: *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae.*

Creatio competit toti ss. trinitati. IV. 5.

9. Harum trium personarum in propria sede hujus articuli, videlicet in capite primo Geneseos (modo revelationis isti tempori congruo) distinctam fieri mentionem statuimus. De Patre persona prima nulla est dubitatio. Filii persona comprehenditur verbo DICENDI, juxta infallibilem explicationem Joh. c. 1, v. 1. et seq.: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Etsi proinde non infitiamur, Deum praecipiendo et efficaciter mandando omnia condidisse Psalm. 33, v. 9 (id quod quibusdam ansam dedit, ut statuerent saltem mandatum et jussum Dei verbo DICENDI proponi), tamen non excludendum est Verbum ὑποστατικόν, id est Filius Dei, quia in illo praecipiendi et mandandi verbo inerat virtus altissimi, et Verbum substantiale, quia Pater non operatur absque Filio Joh. 5, v. 17. Sic sapientia Dei Proverb. 8, v. 22. usque ad v. 30. aeternitatem suam demonstrat et creationis opus sibi tribuit. Est autem sapientia illa DEI Filius 1. Corinth. 1, v. 24. Matth. 11, v. 19. Cum ergo eadem effecta sapientiae tribuat Salomon, quae Moyses Dei verbo; sequitur idem denotari per *τὸ dicere* apud Moysen et per *sapientiam* apud Salomonem. Chaldaeus paraphrastes eadem appellatione Genes. 1. utitur, alioquin substantiale Verbum nuncupat maimerah, da Jehova, *Verbum ipsius Jehovae.*

Quid Moyses per Verbum dicendi notet.

10. Immorandum hic aliquantulum propter rei magnitudinem. Quid sit illud DICERE, per quod Deus creavit omnia, exponitur Coloss. 1, v. 15. et 16: *qui est imago Dei invisibilis et primogenitus omnis creaturae*, is est, per quem omnia creata. Sic Hebr. 1, v. 2. et 3: *per quem Pater fecit secula*, is est *splendor gloriae et character substantiae ejus.* Commendamus hic diligentem et accuratam V. et N. T. collationem: Qui populum eduxit ex Aegypto et eum per desertum comitatus est et ei legem dedit, is dicit, se sex diebus creasse coelum et terram Exod. 20; jam vero is est Dei Filius, vocatur enim angelus Jehovae et proinde a Patre distinguitur Exod. 3, v. 2. Ac diserte de Christo dicitur 1. Cor. 10, v. 9, quod in deserto ab Israëlitis sit tentatus. Qui apud Esa. c. 45, v. 23. dicit: *Mihi curvabitur omne genu*, ibidem dicit, *se fecisse terram et hominem super eam creasse et suis manibus coelos extendisse.* Hoc apostolus accommodat ad Christum Rom. 14, v. 11: *Oportet nos sisti coram tribunali Christi, quia scriptum est: mihi curvabitur omne genu.* Christus ergo fecit terram et hominem. Non est adorandus, nisi fecit coelum et terram Apoc. 14, v. 7. Atqui Christum *adorant omnes angeli* Psalm. 97, v. 8. Hebr. 1, 6. Ergo ipse fecit coelum et terram. Sic qui dicit Esa. 48, v. 12: *Ego sum primus et novissimus, ejus manus fundavit terram et dextra palmo mensa est coelos* v. 13. Jam vero Christus dicit Apoc. 1, v. 11: *Ego sum α et ω, primus et novissimus.* Nemo proinde neget verbo dicendi Gen. 1. denotari Filium Dei secundam trinitatis personam.

Creatio Spiritui s. tribuitur.

11. De Spiritu s. ibidem dicitur, quod *incubarit aquis* v. 2. Rabbini et eorum asseclae accipiunt de vento: at is nondum fuit; praeterea diserte dicitur *Spiritus Elohim*, ut significetur, quod sit Patris et Filii Spiritus. Recte Wolfg. Capito super 1. Genes.: *Spiritus quando pro vento ponitur, violentum quid significat, additum nomen Domini rei magnitudinem, cui adjicitur, declarat, ut montes Dei, cedri Dei; si ergo significaretur ventus violentissimus, qui cum impetu feratur, non potuisset superincubare.* Nascitur inde argumentum sententiae nostrae tertium, talia Spiritui hoc loco tribuuntur, quae vento non competunt. Basilius in hexaëm. p. 10. ex Syro quodam se accepisse tradit, vocem hic positam significare idem, *quod fovere vitali calore, instar gallinae* ἐπωαζούσης. Augustinus recte: *Non ita superferebatur Spiritus aquis, ut oleum aquae vel aqua terrae, sed vi quadam effectoria et fabricatoria; sicut superfertur voluntas artificis ligno vel cuique rei alii subjectae ad operandum.* Denique conjungimus explicationem Psal. 33, v. 6: *Verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis exercitus eorum*, ubi tres trinitatis personas distingui ex ipsis rabbinis ostendit Galatinus 2. de arc. cathol. verit. c. 4.

Spiritus incubabat aquis.

12. Nec praetereundum est, Mosaicum illum textum *(Spiritus Domini incubabat aquis)* a quibusvis melioris notae interpretibus, tum veteribus, tum recentioribus unanimi consensu de tertia sacro sanctae trinitatis persona exponi. Videatur Orig. l. 1. περὶ ἀρχ. c. 3. Basil. tom. 1. oper. homil. 2. hexaëm. p. 35. Cyrill. lib. 1. contra Julian. col. 13. et l. 2. col. 35. August. 13. Confess. c. 4. lib. 8. de civit. Dei c. 11. et lib. 11, c. 32. lib. 2. ad Simpl. quaest. 1. Ambros. l. 1. hexaëm. c. 8. Luth. super 1. Gen. Munsterus etc. Quid quod Burgensis notat, antiquiores rabbinos diserte de Spiritu Dei hunc locum itidem exposuisse.

Bara Elohim.

13. Observandum quoque, quod Moyses peculiari locutione dicit: *Bara Elohim.* Constans aliqua et certa ratio pluralis numeri de Deo usurpati reddi alia nequit, quam personarum pluralitas. Rabbi

Hunna: *Nisi hic sermo ita esset scriptus, nemini ita loqui licuisset.* Quod vero Aben Ezra et alii existimant esse hanc proprietatem sacrae linguae et honoris causa de Deo pluralem numerum usurpari, caret fundamento. Nomen hoc pluralis numeri Elohim cum verbo etiam plurali construitur 2. Sam. 7, v. 13: *Propter gentem Israël iverunt Elohim ad redimendum sibi populum.* Sic cum adjectivo etiam plurali conjungitur Jos. 24, v. 19: *Jehova est Elohim Kedoschim*, jam vero non est moris in Scriptura, ut plurale adjectivum uni tribuatur personae. Vide plura in Disp. de Trinit.

14. Pertinet huc, quod Gen. 1, v. 26. Deus de homine condendo deliberationem suscipiens (loquimur ut possumus) plurali utitur numero: *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* In eo, quod dicit *faciamus*, una operatio trium personarum ostenditur; in eo, quod dicit *ad imaginem et similitudinem nostram*, una et aequalis substantia trium personarum indigitatur. Hinc Socrates lib. 2, c. 25. refert, decretum esse in synodo Syrmiensi: *εἴ τις τὸ ποιήσωμεν ἄνθρωπον μὴ τὸν πατέρα πρὸς τὸν υἱὸν λέγοι, ἀλλ' αὐτὸν πρὸς ἑαυτὸν τὸν θεὸν εἰρηκέναι, ἀνάθεμα ἔστω.*

15. Concludimus igitur, creationem esse actionem indivisam unius ac solius veri Dei, Patris scilicet, Filii et Spiritus s.: *Omnia causalia sunt totius divinitatis communia.* Dionys. de divin. nom. c. 2: *Creare convenit Deo secundum esse, quod est ejus essentia, quae communis tribus personis.* Thom. p. 1. q. 45. Non autem curiosius disputandum est de discrimine personarum in opere creationis, sed contenti simus illa simplicitate, quod pater aeternus per Filium in Spiritu s. omnia crearit, quam propositionem Patres colligunt ex Rom. 11, v. 36. Sed recte addit Nazianzenus voculas illas, *ἀπό, διά, ἐν, non naturam dividere, sed unius et inconfusae naturae proprietates exprimere.* Et observa, quod Coloss. 1, v. 16. etiam *in Filio* dicuntur omnia creata. Chrysost. super 1. Hebr. homil. 2: *Non, ut haereticus inaniter suspicatur, tanquam aliquod instrumentum Patris exstitit Filius, neque per eum dicitur fecisse, tanquam ipse facere non posset, sed sicut dicitur Pater judicare per Filium, quia judicem genuit, sic etiam dicitur operari per Filium, quia eum constat opificem genuisse.*

16. Basilius Orat. de Spiritu s. Patrem vocat *αἰτίαν προκαταρκτικήν*, Filium *δημιουργικήν*, Spiritum s. *τελειωτικήν*, id vero dextre accipiendum, videlicet de personarum distinctione, et qui ex eo resultat, in operibus ad extra agendi ordine; non autem de essentiae vel potentiae in agendo inaequalitate. Danaeus in Phys. Christ. c. 17. ita loquitur: *Pater creat voluntate; Verbum sive Filius creat operatione et ipsa productione; Spiritus autem sanctus creat virium naturaeque insitione et motus vitaeque injectione, quae cuique rei ut exsisteret et conservaretur inest.* Sed haec longe majori explicatione indigent, ne nullam potentiae inaequalitatem importent. Una est Patris, Filii et Spiritus s. in creationis opere voluntas, una operatio, sicut una trium indivisa essentia.

IV. 7. Creatio est opus solius Dei.

17. Caeterum creationis opus non solum unius Dei et trium personarum divinitatis actio est, sed etiam solius Dei propria, id quod ex compluribus Scripturae pronuntiatis thes. 7. allegatis ostendunt Athan. ser. 3. contra Arian. p. 180. Cyrill. lib. 2. Thesauri c. 2. in fin. et lib. 12, c. 15. lib. 2. contra Julian. col. 41. August. 12. de civ. Dei c. 24. Damascen. lib. 2. orth. fid. c. 3; quibus adde potiores ex Scholasticis Dd. Thomam p. 1. q. 45. et 2. sent. dist. q. 1. art. 3. Alensem, Scotum, Capreolum, Bielem ibidem. Mornaeus de verit. relig. c. 2. ad hujus pronuntiati demonstrationem tale format argumentum: *A nihilo ad aliquid est spatium infinitum: ergo ut ex non esse inesse, ex nihilo in aliquid quippiam producatur, infinita virtus solius Dei propria adsit necesse est.* Desumsit hoc ex Thoma part. 1. quaest. 45. artic. 5, quod argumentum tamen solvere nititur Biel. 2. sent. dist. 1. quaest. 4.

Angeli non sunt creatores.

18. Detestamur ergo monstrosos illos errores et furores veterum haereticorum, qui vel creationis opus inter Deum et angelos diviserunt vel inaequalitatem agendi tribus divinitatis personis assignarunt, vel quacunque alia ratione integritatem hujus mysterii labefactarunt, quo pertinent *αἰῶνες* Valentini, *ἐκβολαὶ καὶ προβολαὶ* Basilidis, duo principia Manichaeorum etc., de quibus videantur Irenaeus, Tertullianus, Epiphanius et Augustinus. Saturniani statuebant angelos hominis conditores teste Tertull. de praescript. p. 112. Simoniani totius mundi fabricatores eos salutabant teste Iren. libr. 1, c. 20. et lib. 2, c. 9. Sed illos omnes Damascen. 2. orth. fid. c. 3. recte vocat *στόματα διαβόλου.*

CAPUT III.

DE MATERIA CREATIONIS.

Creatio ex nihilo.

19. Porro creavit Deus omnia ex nihilo, ergo *materiam noli quaerere, nulla fuit.* Ex *οὐκ ὄντων* fecit *Deus coelum et terram* 2. Macc. 7, v. 28. Vocat *τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα*, Rom. 4, v. 17. *De tenebris jussit lucem splendescere* 2. Cor. 4, v. 6. *Verbo Dei aptata sunt secula εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι*, Hebr. 11, v. 3. Sic Proverb. 8, v. 24: *Cum abyssi essent nihil, genita sum*, dicit Sapientia. Observa igitur, quando dicitur *ex nihilo*, denotari terminum, non materiam, ac simul negari habitudinem causae materialis, *ex nihilo, id est non ex aliquo.* Thom. part. 1. quaest 45. art. 1. Adde etiam ex Damasc. lib. 2. orthod. fidei c. 5: *Deum omnia fecisse ex nihilo, alia quidem immediate, alia vero mediate.* August. 1. de Gen. contra Manich. c. 6: *Etsi omnia formata de mate-*

ria illa informi (primo die creata) *facta sint, tamen haec ipsa materia de omnino nihilo est facta, unde rectissime creditur Deus omnia ex nihilo fecisse.*

Chaos Stoicorum.

20. Facessant deliria Stoicorum, qui fingebant duo aeterna principia, *νοῦν καὶ ὕλην*, *mentem sive Deum et materiam*, quam aeternis temporibus confusum chaos fuisse et certo tempore a mente demum efformatam somniabant. Sed et recentiores Photiniani sententiae de creatione ex nihilo refragari dicuntur, quam tamen scriptis publicis nondum oppugnarunt. Exstat liber Tertulliani contra Hermogenianos sive Materiarios, qui ex Sap. 11, v. 18. argumentati sunt, mundum minime ex nihilo, sed ex informi materia conditum, sed illum locum recte explicat Damasceni distinctio thesi praecedente allata.

IV. 8—16. [sic.]

CAPUT IV.

DE ORDINE CREATIONIS, IN QUO FORMA EJUS CONSISTIT.

Creatio est opus ἑξαήμερον.

21. Ordinem creationis ex Dei revelatione ita describit Moyses, quod distinctis sex diebus coelum, terram, mare et omnia, quae in illis sunt, Deus creaverit. Hinc a Basilio et Ambrosio opus creationis vocatur *ἔργον ἑξαήμερον.* Philo lib. 1. allegor. p. 27. putat *rusticanae simplicitatis* esse hoc statuere, et August. 4. de Gen. ad lit. c. 26. asserere videtur *omnia in momento, ἀθρόως καὶ ἐν ῥιπῇ esse condita, Scripturam autem loquendi temporibus dividere ea, quae Deus operandi temporibus non diviserit.* Sed non discedendum a litera. Potuisset Deus uno momento simul omnia producere, sed voluit immensa bonitate distinguere opus creationis in sex dies. Sufficiat nobis Dei voluntas, licet rationes hujus consilii plene explicare non possimus; aliquid ex patribus afferri posset, sed malumus in Dei voluntate simpliciter acquiescere. Ipse Augustinus in hac sententia de momentanea omnium creatione sibi non constat eamque infirmam esse sentit lib. 4. de Gen. ad lit. c. 28.

Quomodo creavit Deus omnia simul.

22. Pro momentanea rerum omnium creatione solebant urgere illud Eccl. 18, v. 1: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul.* Atqui vocula *κοινῇ* non notat *συγκαιρίαν*, ejusdem momenti articulum, quo omnia sunt creata, sed operum creatorum *συλλογήν:* omnia ab eodem artifice creata esse Sapiens dicit, non autem eodem momento omnia creata asserit. Docet id ipsa oppositio, siquidem confert inter se Deum creatorem, qui ab aeterno in aeternum vivit, et res creatas, quae simul omnes in tempore sunt a Deo productae. Quicquid sit, unicus Scripturae locus et quidem apocryphus, non debet opponi propriae hujus articuli sedi, quae in primo Geneseos capite exstat.

Opera primi diei.

23. Primo die creata *coelum et terra*, Gen. 1, v. 1, quibus nominibus intelligimus rudem materiam futuri operis, sic enim Moyses ipse se declarat, cum addit: *Et terra erat vacua et inanis, et Spiritus Domini ferebatur super aquas,* inde colligimus materiam illam, 1. quoad substantiam fuisse partim aqueam, partim terream; 2. quoad quantitatem fuisse ingentem et ceu sine fundo molem; 3. quoad qualitatem fuisse rudem, informem, indigestam, tenebricosam, arboribus, herbis, gramine nondum exornatam etc. Primo etiam die creata est *lux,* quod August. Rupertus, Beda et alii exponunt de angelis; minus recte, quia Moyses visibilis hujus mundi creationem describere sibi proposuit, quia ad removendas tenebras abyssi corporali luce opus fuit, et quia sine luce dierum ac noctium vicissitudo constare non potuit. Spinosa hic magis quam utilis quaestio agitatur, fueritne lux illa *ἀρχέγονος* substantia an accidens? et si accidens, num *ἐνυπόστατον*, num *ἰδιοσύστατον?* Statuimus cum D. Luthero lucem illam fuisse qualitatem corpori lucido insitam, quod corpus procul dubio erat coelum, aquis adhuc immersum, unde et lux fuit obscurior.

24. Secundi diei *θεούργημα* est *firmamentum,* quod aquas *ἐπουρανίας* ab aquis *ὑπωρανίαις* divisit. Per firmamentum intelligunt quidam ex rabbinis et recentioribus *aërem*, minus recte, quia in hoc firmamento die quarto sunt sidera collocata. Simplicissime ergo per firmamentum intelligimus totum systema coelestium corporum ac omnium, si qui sunt, orbium. Rakia dicitur ideo, quod instar pellis, utris, vesicae, tapetis ac laminae diductum sit, Psal. 104, v. 2: *Extendit coelum velut cortinam.* Esa. 40, v. 22: *Extendit velut telam coelos;* c. 42, v. 5: *Sic dixit Jehovah creator coelorum et extendens eos.* Dicitur *στερέωμα* non quod ex adamantina materia sit compactum, aut propter stationem immobilem, sed propter firmitatem, *et quia humanae curiositati hic fixus est terminus.* Ambr. lib. 2. hexaëm. c. 4. ab officio dicitur מַבְדִּיל distinguens. Ope[ra] secu[ndi] diei. IV. [sic.]

Aqu[ae] ὑπο[υ]ράν[ιαι]

25. Aquas supra firmamentum esse R. David Kimhi et alii judicant incredibile. Origenes allegorice et ethice per istas aquas *ἐπουρανίας* contemplationem beatitudinis aeternae, per *ὑπουρανίας* terrenam conversationem, per firmamentum hominem, qui coelestia a mundanis distinguit, intelligit. Origenem sequitur Hugo. Scholastici plerique de coelo crystallino, cui perspicuitate cum aqua conveniat. Sed respondemus ex Augustino 2. de Gen. ad lit. c. 4: *Major est hujus Scripturae auctoritas, quam humani ingenii capacitas.* Cogita Dei potentiam, cogita aquas maris rubri et Jordanis instar muri erectas, cogita nubes in sublime evectas, et facilius rationem captivare sub fidei obsequium poteris. Psal. 104, v. 3: *Deus superiora coeli aquis contignare dicitur.* Ps. 148, v. 4. dicitur, quod aquae istae possint *laudare Dominum*, quod suppeditent materiam divinae laudis. Quod responsum volumus illis, qui quaerunt, cui bono istae aquae? interim suo loco relinquimus, quae Justinus q. 93. Basilius orat. 3. Ambrosius 2. Hexaëm. c. 3. Augustin. 11. de civ. Dei c. ult. Theodor. q. 11. Beda super

Gen Damascen. 2. orthod. fid. c. 10. de usu earum disserunt.

26. Tertii diei θαυματούργημα est, quod aquae, quae erant infra firmamentum, in unum locum omnipotente Dei imperio congregantur, et arida apparet: in quo magnificam Dei potentiam liquido conspicuam Scriptura non semel depraedicat, Job. 38, v. 8. et seqq. Psal. 33, v. 7. Psal. 104, v. 5. et seqq. Prov. 8, v. 29. Jer. 5, v. 22. Aqua sua natura supra terram assurgit, et tamen omnipotente Dei mandato terrarum orbis ex undis est eductus, ac ne ab aquis vicissim obruatur, divino hoc fit imperio; unde recte D. Luth.: *Tota vita nostra supra terram nihil aliud est, quam transitus per mare rubrum.* Recte autem monet Basilius hom. 4. hexaëm. per istam aquarum συναγωγὴν ἐξέχουσαν καὶ μεγίστην illam, quae in mari est, praecipue intelligendam esse. Eodem die terra nondum imbribus humectata aut calore solis foecundata herbas Dei jussu profert. Herbae illae non omnes homini sunt esui, interim omnes sunt homini usui.

27. Quarto die produxit Deus luminaria, solem, lunam et reliquas minores faculas, tam errantes, quam fixas. Etsi enim lux primo statim die creata, tamen quia erat subobscura atque oculis animantium non satis attemperata, ideo vehicula illa lucis Deus creare voluit. Ac quia de luminaribus illis dicit Moyses, quod inter alia officia etiam sint *signa*, ideo de astrologia quid statuendum sit, quaeritur. Respondemus ex Elia Cretensi commentatore Nazianzeni in orat. ejus secundam de Theol.: *Graeci ex siderum, quae in zodiaco moventur, conjunctione, congressu, distantia mutua, concurrentibus nimirum illis hoc vel illo pacto, natalitias praedictiones, ex aliorum etiam eventum fingunt. Nos autem colligi quidem ex his signa quaedam et ipsi fatemur, sintne videlicet exoriturae pluviae necne? frigus an calor? humor an siccitas? Venti denique et alia talia? Ortus vero nostri actionumque causas nequaquam in eis ponendas esse definimus.* Idem habet Damascen. 2. orth. fid. c. 7.

28. Quod ergo attinet ad praedictiones de pluviis, ventis, siccitatibus, illae non plane sunt repudiandae, interim tamen nituntur fundamento admodum lubrico, videlicet observationibus. Et recte monet Dn. Lutherus, quod istas tantum experientias notarint artifices et in literas retulerint, quae non fefellerunt, reliquas vero praeterierint. Praeterea nec omnes stellae nobis cognitae; nec omnium notarum effectus est perspectus, nec influxus earum notus est causa totalis talium sublunarium mutationum. Denique quod maximum est, Deus praedictiones illas saepissime avertit, vel piis precibus placatus vel peccatis ad iram provocatus. *Sapiens dominabitur astris.*

29. Quod vero attinet mores, studia, fortunas, conjugia atque alia, quae vel immediate a Dei providentia vel etiam libero hominis arbitrio dependent, de illis nihil certi potest praedicere astrologia. Quamvis enim mores animi quandoque sequantur corporis temperamentum, tamen actiones saepe fiunt adversus propensiones et in hominis voluntate positae sunt. *Non ergo mathesis, sed mataea est, quae ex astris mortalium omnium fortunas, casus, eventus, cuncta, fatum ipsum tanquam e suggestu militari pollicetur*, Scal. exerc. 251. Vides recte dictum ab Averrh. in cant. Avic.: *Ars astrologiae debilis est.* Ideoque concludimus cum pronuntiato Dn. Lutheri in Genes. p. 10: *Praestat esse semper in timore Domini et orare, quam discruciari metu futurorum eventuum.* Vide Gersonem in Trilogio astrolog. theolog.

30. Detestanda ergo est eorum opinio, qui furta, latrocinia et alia flagitia hominum improborum stellarum influxui accepta referre non dubitant, quibus opponimus illud ἀξιομνημόνευτον Augustini lib. 5. de civ. Dei c. 1: *Qui putant stellas potestatem hanc habere, magnam coelo faciunt injuriam, in cujus velut clarissimo senatu ac splendidissima curia opinantur scelera facienda decerni, qualia si aliqua terrena civitas decrevisset, genere humano decernente fuerat evertenda.* Thom. p. 1. q. 64. utitur hoc argumento: *Cum sidera naturam conservent, impossibile est, ut ad peccandum inclinent.* Praeterea peccatum maledictione comite committitur, sidera autem cum a maledictione fuerint immunia, nullo modo ad peccandum inclinatione sua hominem dirigunt.

31. Projectae cujusdam stoliditatis et audaciae est, quod ipsius salvatoris nostri genesin, vitam et miracula novae isti stellae, quae Magis apparuit, subjicere non fuerunt veriti Albert. Magn. in suo Speculo, Petrus de Alliaco lib. de concord. astron. cum theolog. et nostro seculo Cardanus. Sed respondemus illis ex August. lib. 2. contra Faustum c. 5: *Nos sub fato stellarum nullius hominis genesin ponimus, quanto minus illius temporalem generationem sub astrorum conditione credimus factam, qui est aeternus universorum creator et dominus.* Itaque *ista stella, quam viderunt Magi, Christo secundum carnem nato non ad decretum dominabatur, sed ad testimonium famulabatur, nec eum subjiciebat imperio, sed indicabat obsequio.* Idem serm. 34. de temp.: *Non illa stella Christum fecit mirabiliter vivere, sed ipsam fecit Christus mirabiliter apparere, nec ipsa Christi mirabilia decrevit, sed ipsam Christus inter sua mirabilia demonstravit.* Stella Christi.

32. Quintus dies natalis est aquatilibus et volatilibus, ac nominatim appellantur *cete grandia*, ut sciamus tam magna corpora esse Dei opera, nec territi magnitudine credamus ea esse spectra. Et facilis conjectura est, cum tam magna corpora a Deo creata sint, etiam minores pisces a Deo creatos. Opera quinti diei.

33. Sexto die producit Deus animalia terrestria juxta varias species et ipsum hominem. Si quaeratur de herbis venenatis, de bestiis noxiis etc., respondemus verbis Augustini de Gen. ad literam lib. 3. c. 15: *Creata animalia noxia nihil homini nocuissent, si non peccasset; puniendorum namque* Opera sexti diei.

vitiorum et terrenornm vel probanda vel perficiendae virtutis causa nocere coeperunt, fuerunt ergo creata innoxia, sed propter peccatum facta sunt noxia. Observa locum Sap. 1, v. 14: *Creavit Deus omnia εἰς τὸ εἶναι, καὶ σωτήριοι αἱ γενέσεις τοῦ κόσμου, et non est in illis pharmacum pernitiosum.*

Creatio hominis. 34. In hominis creatione notanda quatuor: 1. quod Deus ad eam accessurus deliberationem quasi suscipit, quod non Dei infirmitatem, sed hominis praestantiam arguit; 2. quod homo post absolutum coeli ac terrae opificium ac post omnes demum creaturas conditus, est enim *μικρόκοσμος* et mundi epitome. Pulcre veteres: Philo de mund. opif. Ambros.
IV. 19. Epist. 39. Chrysost. homil. 8. in Gen.: *Quemadmodum convivatores non prius ad coenam vocant, quam instructo prius convivio, et qui edunt ludos aut athletarum spectacula, priusquam spectatores vocati conveniant in theatra vel stadia, parant copiam concertatorum earumque rerum, quae ad oculos auresque oblectandas pertinent: ita etiam mundi totius gubernator, antequam convivator ludorumque praefectus hominem ad convivium simul et theatrum sacratissimum vocaret, alterum copiis, alterum spectaculis prius instruxit et hominem in hunc mundum quasi in domum jam paratam et instructam introduxit.* Basil. li. 6. hex. c. 3: *Fecit Deus coelum, non lego, quod requieverit; fecit terram, non lego, quod requieverit; fecit solem, lunam et stellas, nec ibi lego, quod requieverit; sed lego, quod fecerit hominem, et tunc requieverit, habens, cui peccata remitteret.* 3. Quod ex limo terrae formatus. Factus est homo in terra et deterra, non tamen ad terram nec propter terram, sed ad coelum et propter coelum. Bernhard. serm. 3. in nat. Dom. col. 41. Adverte homo, quia limus es, et non sis superbus:

Nil nisi terra sumus, sed terra nil et nisi fumus,
Sed nihil est fumus, nos nihil ergo sumus.

4. Quod ad imaginem Dei factus, qua de re suo loco.

DIEXODOS DE ANGELIS CREATURIS DEI NOBILISSIMIS.

An angeli creati? 35. Atque haec est *ἑξαήμερος* illa operum creationis *οἰκονομία* a Moyse prophetarum reliquorum fonte descripta. Quaerat aliquis, *an angeli ex censu creaturarum propterea exempti, quia expresse de illis nulla fit mentio?* Minime vero, quia praeter Deum nihil est *ἄκτιστον καὶ ἀΐδιον.* Atque alibi Scriptura manifeste ostendit, angelos esse conditos, Psal. 104, v. 4. Hebr. 1, v. 7: *Qui facis angelos tuos spiritus et ministros tuos flammam ignis.* Col. 1, v. 16: *In ipso* (Christo) *condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia, sive throni sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum et in ipso creata sunt.* Proinde etsi Moyses in suo hexaëmero disertam angelorum mentionem non faciat, sed ea tantum commemoret Dei opera, quorum pleraque oculis obvia sunt humanis, tamen ubi postea angelos Dei ministros introducit, colligere promptum est, eorum creatorem esse Deum cui sua servitia impendunt. Manichaei nolebant admittere angelos a Deo conditos esse, teste August. 21. contra Faustum c. 4. sed Damascen. 2. orth. fid. c. 3. recte illis hoc opponit: *Creaturae cum sint, creatores esse non possunt.*

SECTIO I.
DE NOMINE ANGELORUM.

36. Sciendum est, ait Ambrosius super 1. Hebr., **Angelus est nomen officii.**
quod angelus nomen est officii, non naturae. *Quaeris hujus naturae nomen? spiritus est; quaeris officii? angelus. Ex eo, quod est, est spiritus: ex eo, quod agit, angelus: quia angelus Graece, nuntius Latine dicitur. Sicut homo nomen naturae, miles vero officii: sic enim, qui erant jam spiritus, conditi a creatore Deo facit eos angelos, mittendo eos nuntiare quod jusserit.*

37. Nomen angeli *ὁμώνυμον* sive aequivocum est, **Ὁμωνυμία vocis angelus.**
monente Epiph. haeres. 69. p. 340. Tributuir enim: 1. angelo increato, Dei Filio, qui propterea dicitur angelus, quia est persona illa, per quam Pater coelestis locutus est ad patriarchas in V. T. et quem in plenitudine temporis misit in carnem Gen. 16, v. 7. c. 22, v. 11. c. 32, v. 24. Hose. 12, v. 3. etc. Observanda hic regula: Quotiescunque vel nomen Jehovae vel divina opera et divinus cultus angelo in
Scriptura tribuatur, ibi intelligendus Dei Filius, IV. 20.
princeps militiae coelestis, angelorum omnium Dominus, Basil. lib. 2. contra Eunom. p. 128. 2. creatis spiritibus, tum bonis tum malis, cujus significationis exempla sunt ubique in Scripturis obvia. 3. Johanni Baptistae Malach. 3, v. 1. Matth. 11, v. 10. Marc. 1, v. 2. 4. Ministris ecclesiae Esa. 33, v. 7. Malach. 2, v. 7. Apoc. 1. 2. 3. etc., qui propterea dicuntur angeli, quia pro Christo legatione funguntur 2. Cor. 5, v. 20.

SECTIO II.
DE TEMPORE CREATIONIS ANGELORUM.

38. Angelos conditos esse ex Scripturis certum et **Quo die angeli conditi.**
perspicuum est, sed quo die creati sint, diserte non exprimitur; hinc illa sententiarum divortia. Hieronym. super 1. epist. ad Tim. tom. 9. fol. 120: *Sex milia necdum nostri orbis implentur anni et quantas prius aeternitates, quanta tempora, quantas seculorum origines fecisse arbitrandum est, in quibus angeli, throni, dominationes caeteraeque virtutes*

serviverint. Deo. Nazianz. orat. 38, quae est in Christi nativ. p. 587, et orat. 2. in pascha, quae est numero 42. p. 666. statuit, *invisibiles creaturas ante omnes visibiles esse creatas*, cujus sententiam approbat Damascen. lib. 2. orth. fid. c. 3. Chrysost. lib. 1. de provid. tom. 5. col. 600. scribit, *Deum prius angelos, postea coelum et terram condidisse.* Hilar. contra Auxent. p. 296. putat, *non esse negandum ante tempora et secula angelos et diabolum fuisse.* Theodor. q. 3. in Gen. scribit, *parum referre, si vel maxime nesciatur, quo tempore angeli creati sint*, addit autem non esse fidei adversum, si dicatur, *quod ante coelum et terram conditi sint.*

39. Sed enim verisimilius est, ante mundi initium angelos non exstitisse, sed in uno sex dierum creationis conditos, id Epiph. haeres. 65. p. 277. et August. 11. de civ. Dei c. 9. ex eo confirmant, quod Gen. 2, v. 1. dicitur *Deus complevisse coelum et terram cum omni exercitu ipsorum;* jam vero pars exercitus coelestis sunt angeli. Addimus etiam hoc argumentum: Scriptura per spatium antemundanum semper intelligit aeternitatem, ut patet ex Ps. 90. Prov. 8. Joh. 1. et aliis Scripturae locis. Jam vero angelis non competit aeternitas. Vide, si placet, Lombard. 2. sent. dist. 2. cum interpp. Thom. p. 1. q. 61. art. art. 3. Alens. p. 2. q. 19.

40. Quo die angeli sint conditi, scrupulose magis quam utiliter quaeritur. Quod primo die conditi sint, quidam ex eo probare conantur, quia Job. 38, v. 7. dicitur, quod *astra matutina et filii Dei laudaverint Deum, cum fundamenta terrae poneret,* quae utique primo die sunt constituta. Sed quidam eorum creationem ad diem tertium referunt argumento ducto ex Col. 1, v. 16. Cum enim angeli sint in coelo, eosdem habitaculo suo constructo et exornato priores non fuisse censent. Quidam statuunt angelos secundo die conditos; et eodem statim die quosdam ex illis lapsos, cum operi secundae diei non addatur a Moyse hoc elogium, *vidit Deus, quod esset bonum* etc. Sed enim

Nescire velle, quae magister maximus
Docere non vult, erudita inscitia est.

SECTIO III.
DE NATURA ANGELORUM.

Angeli sunt spiritus.

41. Illud majori cum fructu quaeritur, quales a Deo sint creati? Natura eorum describitur vocabulo *spiritus* Hebr. 1, v. ult., unde eos ἄϋλους et incorporeos esse statuimus, *quia spiritus carnem et ossa non habet*, Luc. 24, v. 39. Quod autem Orige-
IV 21. nes 2. de princip. c. 23. Tertull. contra Praxeam p. 409. Macar. hom. 4. p. 45. Cassian. coll. 7, c. 13. angelis corpus quoddam tribuunt, id Damascen. lib. 2. orth. fid. c. 3. exponit esse dictum *respectu Dei*, ad quem facta collatione non sint plane incorporei angeli; rectius diceretur, angelos non esse pure simplices et actus purissimos respectu Dei. Boëtius dicit, *angelum esse compositum ex quo est et quod est.* Vulgo dicunt esse in angelo actum et potentiam. August. lib. de haeres. c. 86. Tertullianum ita excusat, quod nomine corporis nihil aliud intelligat, quam οὐσίαν. Hinc veteres magno consensu docent, angelos esse ἀσωμάτους. Ignatius epist. ad Trall. Basil. hom., quod Deus non sit auctor mali. Nazianz. orat. 2. de theol. Nyss. de vita Moys. Chrysost. hom. 22. in Gen. Epiph. haeres. 26. Fulgent. de fide ad Petrum c. 3. Gregor. 9. moral. c. 9. etc.

Corpora angelorum, in quibus apparuerunt.

42. Quod autem aliquando corpus assumserunt, id factum est κατ' οἰκονομίαν. Sua enim natura sunt spiritus a corpore non dependentes, ideo etiam assumti illius corporis non fuerunt formae informantes, sed assistentes. R. Moyse statuit, tales apparitiones solum in visione prophetica factas, sed refutatur a Thoma de pot. Dei q. 6. art. 7. Tertull. lib. de carne Christi p. 26: *Constat angelos carnem non propriam gestasse, utpote naturae et substantiae spiritualis, in carnem autem humanam transfigurabiles ad tempus, ut videri et congredi cum hominibus possent.* Lud. Vives in schol. super 15. August. de civ. Dei c. 23. sic scribit: *Augustinum sensisse angelos et daemones corporibus esse praeditos legentibus ejus opera, istud videlicet et de natura daemonum et de Genesi ad literam, certius, quam ut pluribus ostendi debeat, nec ex aliena sententia tot locis locutus est, ut Lombardus dicit, quosdam putare, sed ex sua ipsius, sequutus nimirum non pudendos auctores, primum Platonicos omnes, deinde Origenem, Lactantium, Basilium et consensum fere suo tempore scribentium. Michael Psellus de daemonibus interprete Ficino (oportet enim, ut divinus asserit Paulus, spiritus ministros, qui mittuntur, corpus habere, quo moveantur gradumque sistant palamque appareant) et postea Augustinus angelis corpora tenuissima tribuit, quae visum omnem frustentur, ad agendum apta, non ad patiendum.* Haec Vives. Eodem fere sensu Bernhard. ser. 5. super Cant.: *Quomodo angeli implent ministerium suum absque corpore praesertim apud viventes in corpore? non est discurrere, nec de loco in locum transire nisi corporum, et tandem concludit, angelos indigere corpore, ut juvent, Deum solum esse incorporeum, qui neque corpore juvet nec juvetur.* De assumtis corporibus angelorum vide etiam Scalig. exerc. 559. sect. 13.

SECTIO IV.
DE DEFINITIONE ANGELORUM.

Angelus quid sit.

43. Angelus ita definitur ab Athanasio libr. de comm. essent. p. 392. tom. 1: Ἄγγελος ζῶόν ἐστι λογικόν, ἄϋλον, ὑμνολογικόν, ἀθάνατον. Plenior est definitio Damasc. lib. 2. orthod. fid. c. 3, quam late

exponit Bonav. lib. 2. Compend. c. 11: *Ἄγγελός ἐστιν οὐσία νοερὰ, ἀεικίνητος, αὐτεξούσιος, ἀσώματος, θεῷ λειτουργοῦσα, κατὰ χάριν, οὐ τῇ φύσει τὸ ἀθάνατον εἰληφυῖα, ἧς οὐσίας τὸ εἶδος καὶ τὸν ὅρον μόνος ὁ κτιστὴς ἐπίσταται.* Vide Eliam Cretens. super 2. orat. Nazian. p. 28. Ipse vero Nazianz. orat. in S. Bapt. ita describit angelos, quod sint *δεύτερον φῶς, τοῦ πρώτου φωτὸς ἀποῤῥοή, πρῶτοι καὶ καθαροὶ τῆς ἄνω δόξης ἐπόπται καὶ μάρτυρες.* Dionys. lib. de div. nom. ponit hanc definitionem, quam explicat Alensis p. 2. q. 20. memb. 3. art. 2: *Angelus est imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum purum, splendidissimum, immaculatum, incontaminatum, incoinquinalum recipiens totam* IV. 22. *(si justum est dicere) speciositatem Dei formitatis et pure declarans in se ipso, sicut possibile est, bonitatem, quae est in abditis.*

SECTIO V.
DE INTELLIGENTIA ANGELORUM.

Angeli intelligunt et volunt.

44. Quoad essentia proprietates angeli sunt intelligentia et voluntate praediti 2. Sam. 14, v. 20. inde conludit Damasc. libr. 2. c. 3, angelos ad imaginem Dei esse conditos. Vide Bonav. 2. sent. dist. 16. q. 3. Aliter autem intelligit homo, aliter angelus, aliter Deus: Dei intelligere est Dei esse, secus se habet intellectus angeli.

Quomodo angeli intelligunt.

45. Hac de re ita disputant Scholastici: Intelligere angeli non esse ipsum ejus esse, cum non sit purus actus, sed habeat aliquid de potentia admixtum, Thom. p. 1. q. 54. art. 1., nec tamen esse in eo intellectum agentem et possibilem, cum non sit quandoque intelligens tantum quoad potentiam respectu eorum, quae naturaliter intelligit Thom. ibid. art. 4; intelligere vero angelum per species connaturales sive innatas, idem q. 55. art. 2. Sed Biel 2. sent. dist. 4. art. 2. conconclus. 2. secutus Occamum negat illas species in intellectu angelico ac statuit angelum cognoscere res intuitive per essentias objectorum cognitorum et non per species superadditas.

Cognitio angelorum matutina et vespertina.

46. Distinguunt etiam ex August. 4, de Genes. ad lit. et lib. 11. de civit. Dei c. 29. inter cognitionem angelorum *matutinam et vespertinam.* Cognitionem rerum in verbo, quae est beatifica, dicunt matutinam, cognitionem rerum in lumine naturae vocant vespertinam. Biel. 2. sent. dist. 3. q. un. Rationem exponit Thom. p. 1. q. 58. art. 6: *Sicut mane est principium diei, vesperi autem terminus: ita cognitio primordialis esse rerum in verbo est matutina, cognitio rei creatae, ut in propria natura consistit, est vespertina.* Alex. Alensis p. 2. q. 23. triplicem angelorum cognitionem statuit, unam, qua cognoscant verbum et se ac creaturas sibi in verbo relucentes, una indistincta cognitione in lumine gloriae et beatifice; alteram, qua Deum, se atque alia cognoscant per species sibi concreatas: tertiam, qua cognoscant per species a rebus conditis acceptas. Ultimae duae agnitiones dicuntur vespertinae, quia his cognoscitur creatura, quae de se tendit in occasum, prima dicitur matutina, quia ista est cognitio in creatore, qui est principium omnis creaturae, sicut mane principium diei. Vide Scalig. exerc. 359. sect. 9. 10. 11.

47. Sed enim quid nos humi reptantes vermiculi de spirituum coelestium intellectione in hac mentis nostrae caligine statuere possumus, cum ne nostram quidem intellectionem exacte cognoscamus? Praestat ergo Deo pro angelorum ministerio, quod nobis quotidie exhibet, devotas agere gratias, quam haec arcana et non revelata extra verbi limites curiose scrutari.

SECTIO VI.
DE POTENTIA ANGELORUM.

Angeli sunt finiti nec tamen circumscripti loco.

48. Angeli sunt spiriritus *potentes virtute* Psal. 103, v. 20. 2. Reg. 19, v. 35, finita tamen illa potentia sicut et ipsa essentia, unum solum ens omnimode independens, unum infinitum. Cum ergo angeli sint entia alia a primo ente, finita esse necesse IV. 23. est; et cum sint finiti, in aliquo certo UBI sint necesse est; cum sint incorporei, loco etiam non circumscribuntur; cum sint spiritus, ideo obice corporeo accessus eorum impediri nequit, proinde summa celeritate esse possunt, ubi volunt, unde etiam *vento et igni flammanti* comparantur Psal. 104. v. 4. Bernhard. homil. 3. in festum annuntiat. col. 24: *Angelicis spiritibus parietes non obsistunt, sed cuncta illis visibilia cedunt, cuncta aeque corpora quantumlibet solida vel spissa penetrabilia eis sunt ac pervia.*

SECTIO VII.
DE *ΤΩι ΠΟΥ* ANGELORUM.

***Ποῦ* angelorum.**

49. De *τῷ ποῦ* angelorum (quam *ubietatem* vocat Scaliger exerc. 359. sect. 5.) varie disserunt Scholastici. Thom. p. 1. q. 52. art. 1: *Angelus aequivoce est in loco, corpus est in loco per hoc, quod applicatur loco secundum contactum dimensivae quantitatis, quae in angelis non est, sed virtualis; per applicationem igitur virtutis angelicae ad aliquem locum qualitercunque angelus dicitur esse in loco.* Sequuntur Thomam Ferrarius 3. cont. gent. c. 68. Capreolus 2. sent. dist. 2. q. 1. art. 1; sed

recte se opponunt illis Scotus 2. sent. dist. 2. q. 6. Richard. 1. sent. dist. 37. q. 1. Biel 2. sent. 2. q. 2. artic. 4. et illos secutus Scaliger loco dicto: *Non per operationem angelus est in suo UBI, sed per definitionem: per definitionem hunc ad modum, ibi est, hic non est. Non enim operatio est affectus comes entium necessarius, at UBI est circumstantia necessaria omnibus entibus praeter Deum. Si angelus esset in suo UBI per operationem, non posset in eodem UBI aliam exercere operationem, sed variata operatione variaretur UBI; jam vero sine ullo motu sui secundum UBI multas potest exercere operationes* etc.

50. Quaerunt etiam, *an duo angeli in uno et eodem loco esse possint?* quod negat Thom. p. 1. q. 52. art. 3, sed Occamus rectius affirmat 1. quodlib. quaest. 4; nam et legio angelorum in uno homine. Non per circumscriptionem, sed per designationem angeli in UBI sunt, quid ergo impedit plures in uno UBI esse? Quaerunt, *an angelus possit moveri ex uno UBI in alterum in instanti,* ubi recte respondet Thom. p. 1. quaest. 53. art. 3. requiri ad talem motum temporis tractum, sed tempus illud non esse nobis perceptibile, cum non sit idem cum tempore, quod mensurat motum coeli. Biel in solutione hujus quaestionis distinguit inter locum *angeli adaequatum et non adaequatum.* 2. sent. dist. 2. quaest. 3. art. 3. Si quis plures desiderat hujusmodi quaestiones de τῷ UBI angelorum, adeat ipsos Scholasticos.

SECTIO VIII.
DE MENSURA DURATIONIS ANGELORUM.

51. De mensura durationis angelorum itidem varie disputant. Quidam enim triplicem introducunt mensuram durationis, videlicet aeternitatem in Deo, quae est unum per omnia cum ipsa divina essentia, aevum seu ut loquuntur aeviternitatem in angelis et tempus in rebus corruptibilibus. Sed illis se opponit Biel 2. sent. dist. 2. q. 1. et ostendere nititur, etiam tempus esse mensuram durationis angelorum, ac proinde non introducendam tertiam illam speciem mensurae durationis, nec aeternitatem proprie esse mensuram durationis in DEO, cum DEUS sit simpliciter immensus, cum aeternitas Dei sit ipse Deus, et cum mensura tantum sit finitorum. Scalig. exerc. 359. sect. 7. ita procedit: *Ut aetas nobis, ita angelis suum cuique aevum; ut tempus nobis extra nos, ita illis continuatio sua extra illos, quae dicitur aeternitas; ea vero solus Deus est et ipsemet solus Deus; aetas enim in nobis est, quia tempus in motu primo; aevum in angelis, quia aeternitas in Deo, quae Deus ipse est, et quia ipse est, illi sunt.* Haec Scaliger. Sed videtur distinguendum inter mensuram perfectionis et durationis, mensura perfectionis Deus est, non autem durationis mensura est Dei aeternitas, quippe per quam nequit cognosci, quae duratio angeli longior vel brevior.

SECTIO IX.
DE ORDINIBUS ANGELORUM.

52. Quae de distinctis hierarchiis et ordinibus angelorum quaeruntur ac disputantur, ad ea respondemus ex August. ad Oros. contra Priscil. c. 11. tom. 6. fol. 134: *Esse sedes sive dominationes, sive principatus et potestates in coelestibus apparatibus, firmissime credo, et differre aliquid indubitata fide teneo; sed quaenam ista sint et quid inter se differant, nescio.* Idem in Enchir. ad Laur. c. 58: *Quid inter se distent quatuor illa vocabula, quibus universam illam societatem videtur apostolus esse complexus, dicendo, sive sedes sive dominationes sive principatus sive potestates dicant, qui possunt, si tamen possunt probare, quod dicunt, ego me ista ignorare confiteor.* Nazianz. de Theol. p. 77: *Ordo angelorum notus ei, qui ipsos ordinavit.* Cum Dionysio distributionis illius architecto non concordant Gregorius et Bernhardus, id quod movit Bielem, ut scriberet 2. sent. dist. 9. quaest. 1. art. 1: *Quae distinctio verior sit, et de qua hierarchia sit principatus et similiter virtutum ordo, ille novit, qui creavit et distinxit.*

Hierarchiae angelorum.

1. De coelo hierarch. c. 6.

53. De hierarchiis illis angelicis multa philosophantur ex Dionysio suo Scholastici. Dicunt esse triplicem hierarchiam: *supercoelestem*, quae est sacrosanctae trinitatis; *coelestem*, quae est sanctorum angelorum; *et subcoelestem* quae est hominum. (Interim tamen. Thom. p. 11. q. 108. art. 1. in personis divinis hierarchiam constituendam esse negat, et recte). Hierarchiam angelicam vicissim constituunt triplicem, et in qualibet hierarchia constituunt tres ordines: in prima collocant *Seraphim, Cherubim et thronos.* In secunda ponit Dionysius *dominationes, potestates et virtutes.* Sed Gregorius et Bernhardus ponunt *dominationes, principatus et virtutes.* In tertia ponit Dionysius *principatus, archangelos, angelos*, sed Gregorius et Bernhardus loco principatuum ponunt *virtutes.* Ratio diversitatis oritur ex eo, quod apostolus Eph. 1. aliter enumerat illos angelorum ordines, quam Coloss. 1. Scholastici conantur diversitatem illam excusare per distinctionem, quod Dionysius ordines secundae hierarchiae disponat *juxta perfectionem potestatis*, Gregorius autem *ratione officiorum.* Ambros. Camaldulensis in scholis Dionysii dicit, *esse hanc doctrinam beatissimi Pauli, quod novem sint angelorum ordines.*

54. Audiamus illos ἐμβατεύοντας ἐν οἷς μὴ ἑωράκασιν, ulterius: *Prima hierarchia* (inquiunt) attenditur penes *scientiam et statum contemplationis in conversione ad Deum, quae consistit in cognitione, hinc Cherubim in dilectione, hinc Seraphim, et*

quiete, hinc throni. In secunda hierarchia respicitur vel ad perfectionem potestatis vel ad officia. Perfectio potestatis vel in praesidendo, hinc dominationes, per quas angeli boni in suis officiis diriguntur; vel in resistendo, hinc potestates, per quas potestas daemonis reprimitur; vel in operando, hinc virtutes, per quas Deus miracula et sanitates operatur. Respectu officiorum quidam praesunt angelis, hinc dominationes; quidam bonis hominibus, hinc principatus; quidam malis spiritibus, hinc potestates. In tertia hierarchia respicitur vel ad
IV. 33. *actionem ministerialem vel ad infimum statum activorum: actio ministerialis angelorum aut est circa regimen principum, hinc principatus; aut circa regimen et custodiam multitudinis, hinc archangeli; aut circa regimen et custodiam unius personae, hinc angeli. Status activorum consistit in operando, hinc ordo virtutum, quorum est miracula operari; vel in docendo majora, hinc archangeli; vel in docendo minora, hinc angeli.*

55. Sed necdum finis, quaerunt enim, *an ordinum distinctio ex donis naturalibus, an vero gratuitis oriatur?* quaerunt, *quos actus habeant angeli superiorum ordinum respectu inferiorum?* quaerunt, *an ex omnibus ordinibus quidam lapsi?* quaerunt, *an angelus, qui fuit supremus inter peccantes, fuerit supremus inter omnes reliquos adhuc stantes?* quaerunt, *an ad omnes angelorum ordines fiet assumtio salvandorum?* quod audacter affirmant; quaerunt, *an omnes beati ad ordines angelorum assumendi?* ubi quidam dicunt, quod omnes assumentur ad angelorum ordines, quidam dicunt, quod reparatio angelorum fiet solum ex virginibus, ex reliquis autem beatis decimum ordinem constitutum iri; quidam dicunt decimum ordinem constituendum ex illis, qui in hac vita non pervenerint ad tantam meritorum excellentiam, sed tantum meritis Christi salvati sint, sicut circumcisi et baptizati parvuli, atque hos praefiguratos esse in drachma decima inventa, item in horologia Hiskiae 2. Reg. 20, in quo sol descendit ad decem lineas, quam opinionem Biel 2. sent. dist. 9. q. 1. art. 3. dub. 4. nominat probabilem. Quaerunt, *an praesidentia unius ordinis respectu alterius in die judicii sit desitura?* Ac de his omnibus ita disserunt, ut merito quis quaerat, quam nuper sint de coelo delapsi? Angelorum ordines tunc demum videbimus, quando beatis illis spiritibus associati uno ore ac voce Deum laudabimus.

SECTIO X.

DE DISCRIMINE BONORUM ET MALORUM ANGELORUM.

Unde quidam angeli sint mali.

56. Conditi sunt omnes angeli boni, justi, sancti, sed quidam ex illis non *perstiterunt in veritate,* Joh. 8, v. 44; *originem suam non servarunt, sed reliquerunt proprium* οἰκητήριον Epist. Jud. v. 9. Hinc nata est divisio angelorum in bonos et malos. Quodnam fuerit primum diaboli peccatum, libenter fatemur nos ignorare. August. tract. 49. in Johan. Ambros. epist. 84. Basil. in homil. quod Deus non sit auctor mali, Damasc. 2. orthod. fid. c. 4. Per *superbiam* diabolum esse lapsum statuunt. Cyprian. serm. de zelo. Lactant. 2. instit. c. 8. Bernhardus et alii per *invidiam.* Praestat seriis gemitibus ingentia illa mala lapsum angelorum secuta deplorare, (siquidem primos nostros parentes diabolus sua versutia seduxit ac per hoc et ipsos et omnes posteros concreata rectitudine ac felicitate spoliavit) quam nimis anxie de primo ejus peccato disquirere.

SECTIO XI.

DE STATU ANGELORUM ANTE LAPSUM.

57. De statu angelorum ante lapsum sollicite quaerunt Scholastici. Si enim fuerunt in statu perfectionis, quomodo ex eo potuerunt excidere? Sin adhuc imperfecti, cur perfectionem aliquam denegavit ipsis creator perfectissimus? Distinguunt autem inter *beatitudinem seu perfectionem acceptam positive vel privative,* priori modo beatitudo notat statum perfectum plenitudine omnis boni, et sic includit claram Dei visionem, perfectam fruitionem et firmam tentionem; hanc perfectionem denegant angelis ante confirmationem in bono; posteriori modo perfectio notat statum privatum omni malo culpae et poenae et habentem quicquid suae naturae convenit, hanc perfectionem tribuunt angelis, etiam ante sui in bono confirmationem. Vide Thom. p. 1. q. 62. art. 1. Bonav. et alios 2. sent. dist. 4. Quaerunt, an angeli conditi in gratia, an vero in puris naturalibus? ubi occurrunt varia sententiarum divortia.

Ang rum tus laps

IV.

SECTIO XII.

DE LAPSU ANGELORUM.

Laps ange rum.

58. De lapsu angelorum non minus sollicite quaerunt. Disputat Thom. p. 1. q. 163. art. 7, quod diabolus statim post primum instans creationis peccaverit, art. 2. probare nititur, primum peccatum angeli fuisse superbiam et consequenter invidiam. *Peccatum* (inquit) *est in aliquo dupliciter, vel secundum reatum, vel secundum effectum, secundum reatum omnia peccata in daemonibus esse contingit, cum ad omnis generis peccata homines impellant; secundum effectum illa solum peccata sunt in eis, ad quae contingit affici spiritualem naturam. Jam vero spiritualem naturam non contingit affici ad*

bona, quae corpori propria, sed quae in rebus spiritualibus inveniri possunt, nihil enim afficitur nisi ad id, quod suae naturae quodammodo conveniens, in spiritualibus peccatum esse non potest, nisi per hoc, quod in tali affectu superioris regulae non ordinatur, et hoc est peccatum superbiae. Ergo peccatum primum angeli non potest esse aliud, quam superbia. Consequenter potuit esse invidia, ejusdem enim rationis est, quod affectus tendat in aliquid appetendum et quod renitatur opposito. Invidia autem ex hoc de bono alterius dolet, in quantum bonum alterius aestimat sui impedimentum. Haec Thomas. Sed enim quamvis diaboli sint sua natura ἀσώματοι, tamen per assumta corpora etiam libidines et alia peccata secundum affectum peragunt, quod testantur incubi et succubi, de quibus vide Aug. 15. de civit. Dei c. 23. et alibi passim.

59. Quia vero plerique ex veteribus statuunt, superbiam fuisse primum diaboli peccatum, observa, accipi superbiam dupliciter, primo *ut est contemtus obedientiae*, et sic in omni peccato invenitur, deinde *ut est amor vel appetitus propriae excellentiae*, et hoc modo in hac quaestione usurpatur. Observa etiam ex Gregor. 23. moral. c. 3, quatuor esse superbiae species: 1. cum quis bonum a semet ipso habere aestimat; 2. cum sibi desuper datum pro suis se meritis accepisse autumat; 3. cum quis jactat se habere, quod non habet; 4. cum despectis ceteris singulariter quis videri appetit. Peccatum diaboli reducitur ad primam superbiae speciem. Bonaventura sic distinguit: *Quantum ad inchoationem, peccatum diaboli initiatum est in praesumtione, consummatum in ambitione, confirmatum in invidiae et odii aversione.* Vide August. Steuch. libr. 8. de perpet. philos. c. 38. ubi tres sententias recitat de peccato angelorum.

Angeli mali cur non recipiantur in gratiam.

60. Quare mali angeli non recipiantur in gratiam patres varias reddunt causas. Praestat summam Filii Dei erga lapsum genus humanum φιλανθρωπίαν ac misericordiam depraedicare, qua propter nos et propter nostram salutem descendit de coelis et homo factus est, *non angelos, sed semen Abrahae apprehendens*, Hebr. 2, v. 16, quam extra verbi limites scrutari causas justissimi illius judicii, quo Deus angelos a se aversos *catenis noctis in tartarum praecipitatos tradidit in judicium servatos*, 2. Petr. 2, v. 4. Sufficit scire, *quod non in factura naturae, sed in voluntatis operatione diabolus factus sit.* Orig. lib. 2. in Job.: *Non enim diabolus statim*
IV. 35. *creatus est diabolus, sed cum angelicam accepisset potestatem, in daemonis naturam conversus est et factus iniquus daemon.* Basil. serm. in aliquot Scripturae locos.

61. Audiamus tamen veteres disserentes de causis, quare diaboli lapsus absque remedio sit relictus. August. in Enchir. c. 29: *Placuit universitatis creatori atque moderatori Deo, ut, quoniam non tota multitudo angelorum Deum deserendo perierat, ea quae, perierat, in perpetua perditione remaneret, quae autem cum Deo illa deserente perstiterat, de sua certissime semper cognita felicitate gauderet; alia vero creatura rationalis, quae in hominibus erat, quoniam peccatis atque suppliciis et originalibus et propriis tota perierat, ex ejus parte reparata, unde angelicae societati suppleretur, quod ruina illi diminuerat.* Idem tractat. 110. in Joh.: *Cum noverimus bonorum omnium creatorem reparandis angelis malis nihil gratiae contulisse, cur non potius intelligimus, quod tanto damnabilior eorum judicata sit culpa, quanto erat natura sublimior? tanto enim minus quam nos peccare debuerunt, quanto meliores nobis fuerunt, nunc autem in offendendo creatorem tanto exsecrabilius beneficio ejus ingrati exstiterunt, quanto beneficentius sunt creati, nec eis satis fuit, desertores esse illius, nisi et nostri fierent deceptores.* Anshelm. lib. 2. Cur Deus homo c. 21: *Angeli quamvis omnes sint ejusdem naturae, non tamen ejusdem generis; non enim sic sunt omnes angeli de uno angelo, quemadmodum omnes homines de uno homine. Sicut autem homo per alium hominem, qui non esset ejusdem generis, quamvis ejusdem esset naturae, non debuit relevari, ita nullus angelus per alium angelum salvari debuit; hoc quoque removet eorum restaurationem, quod sicut ceciderunt nullo alio nocente, ut caderent; ita nullo alio adjuvante resurgere debent, quod est illis impossibile.* Vide etiam Gregor. lib. 4. moral. Isidor. 1. sent. c. 12. etc. Scholastici has afferunt diversitates: Homo peccavit alio instigante, diabolus nullo instigante; homo occasionaliter malitia aliena, diabolus malitia propria; homo est naturae inferioris, diabolus perfectioris.

SECTIO XIII.

DE CONFIRMATIONE BONORUM ANGELORUM IN BONO.

62. Ac veluti mali angeli absque spe reparationis lapsi sunt, ita boni, qui in veritate perstiterunt, confirmati sunt in bono, ut jam labi non possint. Angeli boni sunt in bono confirmati.
Unde dicuntur *electi Dei angeli* 1. Tim. 5, v. 21, *qui semper vident faciem Patris coelestis* Matth. 18, v. 10; *sunt angeli sancti* Marc. 8, v. 38; *angeli lucis* 2. Corinth. 11, v. 14. ac electi futuri aliquando sunt ἰσάγγελοι, Luc. 20, v. 36. Haec tamen in bono confirmatio arbitrii libertatem in illis nec imminuit nec sustulit; quin potius perfectiorem reddidit, cum liberior sit voluntas, quae a bono discedere aut decidere nequit, ut pulcre demonstrat Augustinus in Enchir. c. 105. Recte Prosper in vita contempl. c. 3: *Divino justoque judicio factum est, ut fieret permanendi voluntaria felixque necessitas.*

63. Istam suam beatitudinem sive in bono confirmationem meruisse angelos audacter pronuntiat Merita angelorum.
Scotus 2. sent. dist. 5. q. 2. et Thom. p. 1. q. 64. art. 4; sed Lombard. 2. sent. dist. 5. disputat, *praemium in illis praecessisse meritum.* Quid ad meriti

proprie sic dicti conditiones requiratur, suo dicetur loco, ubi monstrabitur, creaturam nudam suis obsequiis jam ante creatori debitis nihil mereri posse, ergo illa in bono confirmatio non est adaequatum et debitum meriti alicujus stipendium, sed gratuitum Dei ultra condignum praemiantis donum. Quod attinet argumentum Scholasticorum (quaelibet res per operationem pertingit ad finem, quae operatio vel est factiva finis, quando finis non excedit virtutem ejus, quod operatur propter finem, vel
IV. 36. meritoria, quando finis excedit virtutem operantis propter finem, unde exspectatur finis ex dono alterius; jam vero beatitudo ultima excedit naturam angelicam, ergo obtinuerunt eam ex merito), ad illud respondemus esse insufficientem actionis meritoriae descriptionem, quod finis ejus virtutem operantis excedat, plura omnino ad meritum requiruntur, ut docebitur in quaestione: An bona opera renatorum sint meritoria aeternae gloriae?

64. Bonaventura disputat, *angelos aliquid mereri, dum nobis hominibus ministrant, cum ex magna liberalitate nobis condescendant, et cum ministerium non sit actus comprehensoris, sed viatoris;* verum Biel 2. sent. dist. 5. q. un. rectius asserit, quod obsequia ista sint opera quaedam redundantia ex perfectione beatitudinis habitae, sicut actus fruendi Deo in beatis. Scotus id probat tali argumento: *Si homo non fuisset creandus, angelus non habuisset beatitudinem; at hoc inconveniens, nam unus angelus non dependet ab alio in merendo, multo minus ab homine.* Item: *si per hoc, quod quis bene usurus dono meretur donum, posset homo mereri gratiam, et sic gratia non esset gratia.* (Observa meritum et gratiam diserte a Scoto sibi invicem opponi, cujus observationis usus erit in articulo de justificatione.)

65. In quo proprie consistat illa angelorum in bono confirmatio, operose disquirunt Scholastici; dicunt, actum beatificum, qui consistit in clara visione et perfecta dilectione Dei, formaliter repugnare omni actui peccati, hunc actum angelorum beatificum a solo Deo in fieri et conservari dependere, eundem nulla creata potentia impediri posse; stante etiam isto actu in angeli voluntate non posse voluntatem elicere peccandi actum, atque in eo consistere illam in bono confirmationem: *Deo conservante actum beatificum non potest creata voluntas producere actum contrarium.*

SECTIO XIV.

DE OBSTINATIONE MALORUM ANGELORUM IN MALO.

66. De causa obstinationis diabolorum in malo ita disserit Thom. p. 1. q. 64. art. 2, quod ea accipienda sit non solum *ex gravitate culpae*, sed etiam *ex conditione status.* Vis appetitiva proportionatur apprehensivae. Angelus apprehendit immobiliter, sicut nos, prima principia, quia non discurrit, nos autem discurrendo (διανοοῦντες) intelligimus, unde voluntas nostra mutabiliter adhaeret, angeli vero voluntas fixe et immobiliter. Ipsam in malo obstinationem ita describit Biel 2. sent. distin. 7. q. un.: *Angelus malus non potest carere actu malo, qui non potest non velle beatitudinem, quam Deus ei non vult dare, non potest non velle poenam, quam Deus vult infligere, nec nolle esse in tali loco, in quo Deus ipsum vult esse; ergo ex consideratione perpetua acerbissimae poenae gehennae et actuali consideratione beatitudinis amissae cum omnimoda desperatione* (amissa spe) *recuperandi spiritu impatientiae agitatur et surgit in continuum murmur et odium punientis Dei.*

SECTIO XV.

DE OPERIBUS BONORUM ANGELORUM.

67. Ex confirmatione quorundam angelorum in bono Opera bonorum
et obstinatione quorundam in malo oriuntur contraria angelorum.
illa bonorum et malorum angelorum opera. Boni lau- IV. 37.
dant ac glorificant Deum, expediunt Dei jussa, inserviunt hominibus, castra metantur circa timentes Dominum, parvulos curant, adultos in viis suis, hoc est invocatione sua, custodiunt, morientibus praesto sunt, nec solum singulorum credentium, sed etiam omnium statuum a Deo ordinatorum, ecclesiastici, politici et oeconomici, sedulam curam ac custodiam suscipiunt. Bernh. serm. 10. in Psal. 91: *Adsunt angeli et adsunt tibi, non modo tecum, sed etiam pro te, adsunt ut protegant, adsunt ut prosint.* Malorum opera sunt illis contraria.

68. Quare Deus, cum sit ubique praesens, ange- Quare Deus angelorum bonorum ministerio utatur.
lorum ministerio circa salvandos utatur, ejus causam exponere voluit Biel 2. sent. dist. 10. q. un. art. 1: *Exigitur aliqua cooperatio liberi arbitrii nostri, secundum quam cooperatores Dei simus, quod liberum arbitrium, quia pigrum et mutabile, indiget multiplici adjutorio excitante, roborante* etc.; sed hypothesis illa de viribus liberi arbitrii Deo cooperantis quale robur habeat, suo loco videbimus. Praestat summam Dei φιλανθρωπίαν hac in parte agnoscere et praedicare, quod coelestes illos spiritus nobis humi repentibus vermiculis ad ministerium mittit. Bernhard. serm. 12. super verba Ps. 91: *Angelis suis mandavit de te etc. Magna dilectio caritatis, quis, quibus, de quo et quid mandavit? siquidem Deus mandavit et angelis suis mandavit, de te homine mandavit, et ut custodiant te in omnibus viis, mandavit. Domine, quid est homo, quod innotuisti ei, aut filius hominis, quod reputas eum? Mittis ei unigenitum tuum, immittis Spiritum s., et ne quid vacet in coelestibus ab opere solicitudinis, illos etiam beatos spiritus propter nos mittis in ministerium nostrum.* Pater mittit Filium ad redem-

tionem, Spiritum s. ad consolationem, angelos ad protectionem.

Quibus angeli custodes addantur.

69. Quod si angelorum ministerio et tutela gaudere cupimus, in vera poenitentia vivendum est, *quia gaudium est in coelo et coram angelis de peccatore poenitentiam agente* Luc. 15, v. 7. et 10. Cavenda sunt scandala, vivendum in timore Dei et seriis precibus ista angelorum custodia efflagitanda. Illis gaudent inservire angeli, quos olim in aeterna vita socios habebunt; Hebr. 1, v. 14: *Nonne omnes sunt spiritus ministratorii emissi ad ministerium eorum, qui heredes futuri sunt beatitudinis?* Ubi non est Dei gratia, ibi nec angelorum praesentia, qua de re alibi plura diximus. Basilius in Ps. 33. tom. 1. p. 258: *ὡς τὰς μελίσσας καπνὸς φυγαδεύει καὶ τὰς περιστερὰς δυσώδεια ἐξελαύνει, οὕτω καὶ τὸν φύλακα τῆς ζωῆς ἡμῶν ἄγγελον ἡ πολύδακρυς καὶ δυσώδης ἀφίστησιν ἁμαρτία.*

70. Angelorum missio ad hominum ministerium concordat (ait Bonaventura) primo *caritati divinae*, quae in hoc manifestatur, dum nobilissimos spiritus intima sibi caritate conjunctos ad salutem nostram mittit; secundo *caritati angelicae*, dum videntes nos auxilio suo indigere contra diaboli insultus ad ministerium nostrum se offerunt Deo; tertio *caritati humanae*, quae quia debilis est, indiget foveri, nutriri et excitari; quibus adde, quod custodia illa angelorum nos invitet ad gratias Deo agendas, ad studium caritatis et humilitatis proximo exhibendum, cum videamus potentes illos spiritus nobis se longe inferioribus inservire. Bernhard. serm. 12. super Ps. 91: *In omni loco, in omni angulo reverentiam exhibe tuo angelo neque illo praesente facias, quod me praesente erubesceres.*

Effectus angelicae custodiae.

71. Effectus angelicae custodiae hosce enumerant Scholastici: 1. pro delictis increpare, Judic. 2; 2. a peccatorum vinculis absolvere, Act. 12; 3. impedientia a bono auferre, Exod. 12; 4. arcere daemones, Tob. 12; 5. docere et intus illuminare, Dan. 9;
IV. 38. 6. secreta revelare, Gen. 18; 7. consolari afflictos, Tob. 5; 8. in via Domini confortare, 1. Reg. 19; 9. in via deducere et reducere, Tob. 5; 10. hostes dejicere, Esa. 37; 11. tentationes mitigare, Gen. 32; 12. orationes deferre, Tob. 12. Hinc Gerson. tract. 8. super Magnificat:

> *Angelus adstat, fulget, pulsat, surgere clamat,*
> *Solvit et educit libertatique relinquit.*

Rectius et plenius dicitur angelos inservire Deo et hominibus; Deo quidem tum ipsum laudando Esa. 6. Luc. 2. tum ei ministrando Psal. 103. Dan. 7. Hominibus inserviunt: 1. contra Satanam pugnando, Dan. 12. Tob. 8. Apoc. 12; 2. Dei voluntatem ipsis nuntiando, Dan. 9. Matth. 1. Luc. 1; 3. a malis culpae prohibendo, Genes. 16. 19. Num. 22; 4. a malis poenae custodiendo, Psal. 34. 91; 5. peccata vindicando, Genes. 3. 2. Sam. 24. Esa. 37; 6. animas piorum in sinum Abrahae deportando, Luc. 16.

An cuique homini certus adsit angelus.

72. Quaerunt veteres, *an cuique homini certus angelus ad custodiam datus?* Clem. 6. strom. p. 321: *Per gentes et civitates distributae sunt angelorum praefecturae, fortasse autem ex iis sunt deputati singulis.* Reliqui majori *παῤῥησίᾳ* illud asserunt. Hieron. super 18. Matth. Basilius lib. 3. contra Eunom. tom. 1. p. 139: *Unaquaeque anima angelum habet ad sui custodiam deputatum*, id probare conantur ex eo, quia Christus nominat *puerorum angelos.* Theodor. orat. 11. p. 715: *Sicut unicuique nostrum unus designatus est angelus, sic unicuique provinciae unus praesertim est archangelus.* Thom. p. 1. p. 113. art. 2: *singulis hominibus singuli angeli deputantur.* Quin etiam cuique homini malum adesse angelum ad exercitium plures asserunt. Orig. homil. 35. in Luc. Nyssenus de vita perf. p. 500. Cassianus collat. 13. c. 12. Lombard. 2. sent. dist. 11. §. 1. Sed enim quia *angeli* (in plurali) dicuntur animam Lazari *in Abrahae sinum deportasse* Luc. 16, quia *coram angelis* (in plurali) dicitur esse gaudium de peccatoris poenitentia Luc. 15, quia Jacobo apparent *Mahanaim* Genes. 32: ideo hominis custodia non ita uni angelo assignanda, ut reliquorum auxilium excludatur; vicissim quia in uno homine *legio malorum angelorum* Marc. 5, quia diabolus semel expulsus assumit *septem nequiores spiritus* Luc. 11, ideo non unum tantum ex diabolis, sed plures unicuique homini insidiari apparet. Unita sunt angelorum bonorum ministeria ad bonum, malorum ad malum.

73. Quaerunt Scholastici, *an Christus in diebus carnis suae angelum habuerit custodem*, ubi respondent, Christum habuisse angelos ministros, non custodes. Matth. 4, v. 11: *Angeli accedebant et ministrabant ei.* Custodia notat quandam praesidentiam et prohibitionem nocumenti in custodiente, et in custodito quandam indigentiam. Vide Thom. p. 1. q. 113. art. 4. Alex. Alens. et Bielem 2. sent. dist. 11. Interim merito miramur et praedicamus summam exinanitionem Filii Dei, quod angeli confortatione usus sit, qui est robur angelorum et fulcrum omnium creaturarum Luc. 22, v. 43.

SECTIO XVI.

AN ANGELI SINT INVOCANDI.

Angeli an invocandi.

74. Multa et magna exstant angelorum erga nos beneficia, num propterea invocationis honorem ipsis exhibere debemus? minime vero; Apoc. 19, v. 10. Johannes angelum adoraturus hoc responsi accipit: *Vide, ne facias, conservus tuus sum et fratrum tuorum et omnium eorum, qui habent testimonium Jesu: Deum adora.* Idem repetitur Apocal. 22, IV. 39.
v. 9, cum recidivam pateretur apostolus et denuo invocationis honorem angelo exhibere vellet; proponitur autem in istis verbis non solum diserta prohibitio, sed etiam argumenta istius pr hibitionis:

1. quia angeli sunt conservi nostri, sunt itidem creaturae; 2. quia cultus adorationis soli Deo debetur. Angelolatrae in primitiva ecclesia damnati sub nomine Angelicorum, vide Augustinum de haeres. c. 39; sed nec mediatores nobis constituamus angelos, de quo errore vide Chrysostomum homil. 7. ad Colossens. proinde exsulet a nobis ista precatiuncula:

Angele, qui meus es custos, pietate paterna
Me tibi commissum serva, defende, guberna.

SECTIO XVII.
DE ANGELIS MALIS.

An diabolus praesciat futura.

75. Si quaeratur, *an diaboli possint futura praescire ac praedicere?* respondemus: ex subtilitate naturae, temporum experientia et revelatione superiorum potestatum quaedam praescire ac praedicere possunt. Sed cum Deus eventus naturales saepe impediat, hinc fallit ac fallitur diabolus *saepissime ac permulta mendaciter ad hominum seductionem praedicit.* Augustinus 9. de civit. Dei c. 22. Christus jubet obmutescere spiritum daemoniacum, etiam vera dicentem, quo admonet, ne veritatem quidem ab eo audiendam. Theoph. supra 1. Marci. Quae pendent ab hominis arbitrio, adhuc minus certo praedicere potest. Solummodo enim ex temperamenti constitutione aliquid colligit. Quae vero DEUS posuit ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ, ea plane nullo modo praescire aut praedicere potest, sic inter nos cordium recessus et abditas mentis cogitationes cognoscere nequit; DEUS *solus novit corda filiorum hominum* 2. Par. 6, v. 30.

An diabolus vera miracula edere possit.

76. Si quaeratur, *an diabolus possit edere miracula?* respondemus, causas naturales eum habere exquisitissime perspectas, inde multa mirabilia et praestigiosa efficere potest; interim tamen diabolica illa mirabilia non sunt miracula proprie dicta. Non enim sufficit ad rationem miraculi, si aliquid fiat praeter ordinem alicujus naturae particularis, sive praeter ordinarium faciendi modum; sed ex eo dicitur proprie miraculum, quod fit praeter ordinem totius naturae creatae. Diaboli per repentinam activorum naturalium ad passiva applicationem multa faciunt, quae nobis mirabilia videntur, suis etiam praestigiis homines deludunt. Et probe notandum, quod miracula vera sint, quae ad bonum finem ordinantur; falsa autem, quae ad deceptionem et subversionem hominum spectant, unde recte concluditur, *omnia diaboli miracula esse falsa.* Chrysost. homil. 29. super 9. Matth.

Potestas diaboli.

77. In genere de potestate diaboli hoc sciamus, quod magna quidem illa sit, interim tamen determinata ac Dei imperio subjecta. Recte Gregor. 2. moral: *a se ipso diabolus nocendi voluntatem habet, sed a Domino potestatem. Quod enim ipse facere inique appetit, Deus fieri non nisi juste permittit. Facit quod potest permittente Deo; quod potest, non facit prohibente Deo.* Unde recte August. 11. de civ. Dei c. 1. vocat *egenam potestatem.* Gerson. lib. 3. cons. theol. prosa 4: *Tenet Deus ligatum leonem infernalem, ne furiat quemadmodum vellet, non ille, sed detinens eum rogandus est.*

SECTIO XVIII.
DE NUMERO ANGELORUM.

IV. 40—48. [sic.]

Numerus angelorum.

78. Plura de angelis tum bonis tum malis quaerunt Scholastici, sed eorum pleraque ita comparata sunt, ut subtilius quaerantur et audacius determinentur, quam fructuosius discutiantur. Sic de angelorum numero quaerunt, de quo ita disserit Thom. p. 1. q. 50. art. 3: *Angeli secundum quod immateriales substantiae, sunt in quadam multitudine maxima omnem materialem multitudinem excedente, quanto enim aliqua magis perfecta, in tanto majori numero sunt a Deo creata. Ut in corporeis attenditur excessus secundum magnitudinem, ita in incorporeis secundum multitudinem, jam vero incorruptibilia corpora incomparabiliter excedunt secundum magnitudinem corpora corruptibilia; rationabile ergo, quod substantiae immateriales secundum multitudinem excedant materialia.* Hanc Thomae rationem repetit Dionysius Carthus. super 5. Apoc. f. 234, sed impugnat eam Biel 2. sent. dist. 9. q. 1. art. 3. dub. 1. et concludit, *maximum quidem esse angelorum numerum, sed nobis incertum.* Cyrill. Hieros. Catech. 15. p. 244. statuit, in extremo die plures angelos quam homines conspiciendos. De angelorum numero rectius ex Scripturis disseritur. Dan. 7, v. 11: *Milia milium ministrabant Antiquo dierum, et decies centena milia assistebant ei.* Gen. 32, v. 2 Jacobo apparent *castra angelorum.* Matth. 26, v. 53: *An putas*, ait Christus, *quia non possim rogare Patrem meum, et exhibebit mihi plus quam duodecim legiones angelorum?* Comprehendunt autem 12 legiones secundum Vegetium 2. de re militar. c. 6. pedites 73200, equites 8760; ergo duodecim legiones essent 81960. Hebr. 12, v. 22: προσεληλύθατε μυριάσιν ἀγγέλων.

SECTIO XIX.
DE COLLOQUIO ANGELORUM.

Angeli quomodo invicem colloquantur.

79. Quaerunt, *quomodo angeli sibi invicem loquantur?* Durand. 2. sent. dist. 11. q. 2. putat, angelos non alio modo colloqui, nisi eo quo cum hominibus, formando voces in aëre. Scotus 2. sent. dist. 9. qu. 2. unum angelum per hoc alteri loqui

putat, quod in ejus intellectu effective imprimit conceptum similem suo conceptui. Thom. p. 1. qu. 107. art. 1. putat, per hoc angelum loqui ad alterum, dum sua voluntate ordinat conceptum ad illum. *Per voluntatem*, inquit, *ordinatur conceptus mentis ad alterum vel ad agendum aliquid vel manifestandum alteri, nihil autem aliud est loqui quam conceptum mentis manifestare alteri, quod angelis competit. In nobis praeter illam interiorem ordinationem necessarium est adhibere signum externum, sed in angelis hoc necessarium non est, ut nec in beatis, id eo* dicit esse illam locutionem *mentalem*. Sed modeste August. in Ench. c. 59. de hac quaestione ait, eam non posse a nobis explicari. Vide etiam 16. de civ. Dei c. 6, ubi quaeritur, quomodo Deus angelis loquatur.

80. **Quaeritur**, *an angelus illuminet alium?* Illuminare dicunt nihil aliud esse quam manifestationem veritatis tradere. Ad intelligendum concurrunt virtus intellectiva et similitudo rei intellectae, angelus ergo illuminat alterum *vel fortificando virtutem ejus intellectivam vel veritatem, quam universaliter superior concipit, quodammodo distinguendo;* Thom. p. 1. qu. 106. art. 1. inde concludunt, angelos superiores illuminare inferiores, non autem contra, sed inferiores tantum loqui ad superiores, quia manifestatio eorum, quae dependent a prima veritate, scilicet Deo, est illuminatio, sed manifestatio eorum, quae dependent ex voluntate intelligentis, est locutio. Vide Biel. 2. sent. dist. 9. qu. 2. art. 4. Si dicas, angelos omnes in verbo omnia videre cognitione matutina ac proinde inferiores angelos non ignorare, quod noverunt superiores, respondet Biel dist. et quaest. dict. art. 5. angelos tantum in verbo videre, quantum eis verbum ostendit, ostendit autem quantum vult, cum sit speculum voluntarium quoad creaturas extra subsistentes. Hujus explicationis de speculo verbi, quod angeli et animae beatorum intuentur, usus aliquando erit in disputat. de invocat. sanctorum.

81. **Quaerunt**, *an daemones humana corpora obsidentes animabus obsessorum illabantur?* quod negant, quia illabi secundum ipsos notat intimam praesentiam ejus, quod illabitur et cui illabitur, deinde omnimodam et plenam praesidentiam ac dominium illabentis super illum, cui illabitur; soli ergo Deo competit animae rationali illabi, diabolo vero minime, quia hoc modo tolleretur ab anima arbitrii libertas et praesidentia divina. Biel 2. sent. dist. 8. qu. 2. conclus. 1. art. 1. Sed has et similes quaestiones praetermittimus et contenti illis, quae Scriptura de angelis tradit, hanc dissertationem finimus.

82. Si quis ea, quae de angelis dicta, in summam redigere velit, poterit dicere, quod angeli sint spiritus intelligentes et potentes, a Deo omnium creatore boni, justi et sancti conditi hoc fine, ut ab ipsis glorificaretur, ac ut Deus eorum ministerio uteretur, quidam vero ex illis libera voluntate primaevam suam originem relinquentes, concreata illa bonitate, justitia ac sanctitate propria culpa spoliati, facti sunt hostes Dei et humani generis, eo aeterno igni cruciandi servantur, reliquis, qui in veritate perstiterunt, in bono confirmatis et nunquam auferenda aeternae felicitatis corona a Deo donatis.

83. Collige igitur ex superioribus omnibus, quod non solum visibiles et adspectabiles illas creaturas in principio Deus per Filium in Spiritu sancto creavit, sed etiam invisibilia, sive sint throni sive dominationes sive principatus sive potestates, omnia per ipsum et in ipso sunt creata, Col. 1, v. 16. Deus creator est visibilium et invisibilium.

CAPUT V.

DE FINE CREATIONIS.

84. *Nulla autem necessitate coactus, nulla suae cujusdam utilitatis indigentia permotus, sed sola bonitate ac liberrima voluntate fecit Deus, quicquid fecit*, August. 11. de civ. Dei c. 24: *Ἔδει σχεθῆναι τὸ ἀγαθὸν ὡς πλείονα ἔχειν εὐεργετούμενα, τοῦτο γὰρ τῆς ἄχρας ἦν ἀγαθότητος*, Greg. Theol. *εἰς τὰ γενέθ.* Vidit bonitatem suam communicari posse, hinc bonitatis illi in creaturis rivuli, fonte interim inexhausto permanente perpetim et nulla ex parte diminuto. Theodor. qu. 3. in Gen.: *Non indiget dominus Deus laudatoribus, quippe qui natura nullius indiget, sed sola bonitate ductus angelis, archangelis et universae creaturae largitus est, ut essent.* Euch. lib. 1. in Gen.: *Deus non ex indigentia fecit opera, sed ex beneficentia et omnipotentia, non nostris ampliandus laudibus, sed suis manifestandus operibus.* Damascen. lib. 2. orth. fid. c. 2. causam creationis omnium recte statuit *ὑπερβολὴν ἀγαθότητος τοῦ θεοῦ.* Pulchre Thomas p. 1. qu. 46. art. 1: *Deus est causa mundi finalis ratione suae bonitatis; exemplaris ratione suae sapientiae; efficiens ratione suae potentiae.* Caeterum, quod divina bonitas sit rerum omnium finis, id quaest. 44. art. 4. ita probat: *Omne agens agit propter finem, primo agenti, quia est agens tantum, non contingit agere propter acquisitionem alicujus finis, sed intendit solum communicare suam perfectionem, quae est ejus bonitas, et unaquaeque creatura intendit consequi suam perfectionem, quae est similitudo perfectionis et bonitatis divinae. Ergo divina bonitas est rerum omnium finis.* Causa προηγουμένη creationis. IV. 50.

85. Hic ergo ultimus finis creationis, *Dei gloria*, quam enarrant coeli, quam depraedicat terra, quam annuntiant omnia, quae in illis sunt. Hinc quod de miraculis dicit Augustinus tract. 24. in Johann. idem de creaturis omnibus dicere possumus, quod *suas habeant linguas*. Beatus qui audit vocem creaturae admonentis [qua dicit: *Vide homo, quomodo amavi te, qui propter te fecit me, servio tibi, ut tu servias illi, qui fecit me et te*] ne audire aliquando in judicio cogatur vocem comminantis [qua dicit ad impios ignis: *a me comburatur*, aqua: *in me submergatur;* terra et infernus: *a nobis deglutiatur*]. Dei gloria est ultimus creationis finis.

Utilitas hominum finis intermedius. 86. Ultimus ille ac primarius finis creationis includit alterum istum secundarium, quod scilicet omnia propter usum et utilitatem hominum sint condita. Recte Damascen. lib. 2. de orthod. fid. c. 10: *Nullum sive animal sive planta est, in qua operationem quandam hominum usui conducentem non imposuerit conditor rerum atque opifex.* Manichaei calumniabantur, Deum multa fecisse, quae hominibus non sint necessaria, quaedam etiam, quae sint
IV. 51. perniciosa, sed recte illis respondetur ab August. lib. 1. de Gen. contra Manich. c. 10: *Cum ista dicunt, non intelligunt, quod omnia pulchra sint conditori et artifici suo, qui omnibus utitur ad gubernationem universitatis, cui summa lege dominatur. Quodsi in alicujus opificis officinam imperitus intret, videt ibi multa instrumenta, quorum causas ignorat, et si multum est insipiens, superflua esse putat. Jam vero si in fornacem incautus inciderit, aut ferramento aliquo acuto, cum id male tractat, se ipsum vulneravit, etiam perniciosa et noxia existimat ibi esse multa, quorum tamen usum quia novit artifex, insipientiam ejus ridet et verba inepta non curans officinam suam constanter exercet. Et tamen tam stulti homines sunt, ut apud artificem hominem non audeant vituperare, quae ignorant, sed cum ea viderint, credunt esse necessaria, et propter usus aliquos instituta: in hoc autem mundo, cujus conditor et administrator praedicatur Deus, audent multa reprehendere, quorum causas non vident, atque in operibus atque instrumentis omnipotentis artificis volunt se videri scire quod nesciunt.*

87. Scholastici, praesertim Bonaventura et Biel 2. sent. dist. 15. hac de re sic scribunt: *Animalia sensibilia aliter ordinata ad hominis utilitatem secundum statum innocentiae, aliter secundum statum naturae lapsae: secundum statum innocentiae quadruplici ratione, primo ad manifestandum hominis imperium, quod ei omnia obedirent; secundo ad decorandam hominis habitationem; tertio ad excitandum hominis sensum, ut cognosceret sapientiam creatoris; quarto ad movendum ejus affectum, ut excitaretur ad amandum Deum. Secundum statum naturae lapsae animalia innoxia ordinantur ad cibum, vestitum, obsequium, solatium; noxia aut poenaliter laedunt aut salubriter exercent aut utiliter probant aut ignoranter docent.*

88. Quo pertinet etiam insignis ille locus Bernhardi ser. 5. sup. Cant. col. 53: *Quid si qua animantia, quantum ad sui usum, reperiantur incommoda nullisque apta usibus humanarum necessitatum? Prosunt profecto visu, etsi non usu, utiliora cordibus intuentium, quam oculis utentium esse possunt. Etsi nociva, etsi etiam perniciosa hominum temporali constet esse saluti, non tamen deest eorum corporibus, unde cooperentur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt Sancti, etsi non cedendo in cibum aut exhibendo ministerium, certe ingenium exercendo, juxta eum, qui utique omni utenti ratione praesto est, communis disciplinae profectum, quo invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Haec Bernhardus Breviter, creatura omnis bona, etsi quibusdam non apta. Res ergo eo redit: Ex cognitione potentiae divinae in creaturis nascatur in nobis timor Dei, ex cognitione sapientiae divinae nascatur erga Deum fiducia, ex cognitione bonitatis divinae nascatur Dei amor, ut sic in omnibus laudetur Deus benedictus in secula.

CAPUT VI.
DE CREATIONIS DEFINITIONE.

89. Creationem definiunt Scholastici, quod sit *emanatio totius entis universalis a primo principio, quod est Deus.* Ex illis, quae dicta sunt, creationis definitio constitui poterit plenior hujusmodi. Creatio est actio unius, et quidem solius Dei, ac indivisum trium personarum divinitatis opus, quo Pater per Filium coaeternum in Spiritu sancto coaeterno libera voluntate sex distinctis diebus condidit omnia visibilia et invisibilia, non ex materia aliqua ab aeterno sibi coëxsistente, sed ex nihilo propter gloriam sui nominis et hominum utilitatem; et omnia, quaecunque Deus fecit, sunt valde bona, creataque idem adhuc hodie conservat, sustentat et gubernat, ipsi sit laus, honor et gloria. Amen.

LOCUS SEXTUS

IV. 52.

DE PROVIDENTIA.

I.

Connexio cum praecedente loco.

Creator omnium DEUS non discessit ab opificio a se condito, sed omnipotentia sua illud adhuc hodie conservat et sapientia sua omnia in eo regit ac moderatur. *Non enim sicut structuram aedium cum fabricaverit quis, abscedit atque illo cessante et abscedente stat opus ejus: ita mundus vel ictu oculi stare posset, si illi Deus regimen suum subtraxerit.* August. lib. 4. de Gen. ad lit. c. 12. Utrumque est Dei, *καλῶς ποιῆσαι καὶ τῶν γενομένων καλῶς ἐπιμεληθῆναι*, Nemes. c. 42.

Deus non discessit a suo opificio.

2. Sunt quidam, teste Augustino 5. de Gen. ad lit. c. 20. qui arbitrantur, *tantummodo mundum ipsum factum a Deo, caetera jam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit et jussit, Deum autem ipsum nihil operari;* sed contra hos profertur illa sententia Domini: *Pater meus usque adhuc operatur, et ego operor. Si enim navis, quantumvis firma et instructa, tamen in fluctibus consistere sine gubernatore non potest: quanto minus orbis universus constare potest sine cura et gubernatione Dei.* Chrysost. hom. 19. in epist. Ephes.

Idem est κτιστὴς καὶ προνοητής.

3. Utrumque conjungit Scriptura, utrumque fideli corde credendum, Deum esse *κτιστήν*, Deum esse *προνοητήν*. *In manu istius, qui fecit omnia*, Job. 12, v. 9, *est anima omnis viventis et spiritus universae carnis*, v. 10. *Qui fecit mundum et omnia, quae in eo sunt*, Act. 17, v. 24, *ipse dat omnibus vitam et inspirationem et omnia*, v. 25; *in ipso vivimus, movemur et sumus*, v. 28. *Qui fecit coelum et terram* Psalm. 121, v. 2, *is nec dormitat nec dormit in custodiendo Israël*, v. 4. Inde Anselm. in monol.: *Sicut nihil factum est nisi per essentiam creatricem, ita nihil viget, nisi per ejusdem potentiam servatricem.* Imaginatio illa perversa, quod Deus creaturas reliquerit propriae tantum gubernationi, magnam caliginem offundit mentibus humanis et tetras parit dubitationes, teste Theod. orat. 1. *περὶ προν.*

Natura ipsa divinae providentiae testis est.

4. Ipsa illa, quae conservatur ac regitur natura, divinae providentiae testis est. Si naturae discipulus esse volueris, invenies non minus vilissimis et minimis rebus consuli, quam nobilissimis; ad finem necessaria conferri omnibus; in certo ac mirabili ordine persistere omnia; ea quae sine sensu et cogitatione agunt, tamen obtinere suum finem; res inter se pugnantes ita temperari, ut, vires invicem frangendo, repugnantia sua mundo prosint; potiorem semper boni communis, quam privati haberi rationem etc.

5. Hinc Boëtius lib. 3. pros. 12: *Sicut mundus hic ex tam diversis contrariisque partibus in unam formam minime convenisset, nisi unus esset, qui tam diversa conjungeret: ita conjuncta ipsa naturarum diversitas invicem discors dissociaretur ac divelleretur, nisi esset unus, qui, quod nexuit, contineret, nec tam dispositos motus locis, temporibus, efficientia, spatiis, qualitatibus explicaret, nisi unus esset, qui has mutationum varietates manens ipse* IV. 53.
disponeret. Eodem sensu Theodoret. orat. 1. de provident.: *Considerate visibilium naturam, situm, ordinem, statum, motum, consonantiam, harmoniam, venustatem, pulchritudinem, usum, oblectationem, varietatem, alterationem, permansionem in corruptibilibus. Cernitis providentiam Dei in qualibet parte creationis manifestam. Cernitis ipsam in coelo et luminaribus coeli, sole, luna et aliis astris, in aëre, in nubibus, in terra, in mari, in plantis, in herbis, in seminibus, in animalibus tam rationalibus, quam irrationalibus, pedestribus, volatilibus, in natatilibus et reptilibus. Cogitate apud vosmet ipsos, quis sit continens coelestis apsidos, quod tot milibus annorum coelum non consenuerit, nullam mutationem recipiens, sed tamen passibilem habens et corruptibilem substantiam, maneat tale, quale erat verbo creationis sustentatum* etc.

6. Simili inductione utitur Lactantius libr. 1. instit. div. c. 6: *Nemo est tam rudis tam feris moribus, quin oculos suos in coelum tollens, tametsi nesciat, cujus providentia regatur hoc omne, quod cernitur, non aliquam tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, pulchritudine, temperatione: nec posse fieri, quin id, quod mirabili ratione constat, consilio majori aliquo sit instructum.* Quin imo, si quis recte

attenderit, inveniet, ὅτι παντὶ μορίῳ τοῦ σώματος ἐμφαίνεται τῆς προνοίας ἡ προμήθεια, docente Nemesio.

7. Per scalam illam creaturarum eo adscenderat Plato, ut scriberet, *Deum negari ab illo, qui providentiam ejus neget*, 10. de legibus. Addimus, turpius errare eos, qui negant providentiam, quam qui Deum negant. *Quemadmodum tu, nisi fallor, levius indignareris illi, qui putaret, te esse natum, quam qui crederet, tibi non esse sensus aut mentem humanam aliaque sine quibus homo cognomen hominis amittit.* Erasm. in Symb. catech. 2. p. 55: *Confiteri esse Deum et negare esse praescium futurorum apertissima insania est.* August. 5. de C. D. c. 9.

8. Flagitiosa ergo illa Plinii vox et ipsi naturae repugnans lib. 2. Hist. nat. c. 7: *Irridendum vero agere curam rerum humanarum illud quicquid est summum: anne tam tristi atque multiplici ministerio non pollui credamus dubitemusve? imo vero scire debebat*, ut in Dei vocatione ignavia, desidia, inertia non est cogitanda; ita nec in ejus opere labor, conatus aut industria; *novit ipse quiescens agere et agens quiescere*, August. 12. de civ. Dei c. 17.

Notitia naturalis de providentia est languida.

9. Sed enim illa ex naturae libro petita divinae providentiae cognitio languida est et imperfecta, non aliquo naturae ipsius, sed mentis nostrae vitio. Rutilio ex morbo convalescente exclamat Statius: *Estis, io superi;* sed Tibullo demortuo detonat Ovidius:

Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fesso,
Sollicitor, nullos esse putare Deos.

Sic apud Virgilium amisso praematura morte filio:

Atque Deos atque astra vocat crudelia mater.

Omnium vero pulcerrime ethnicas has dubitationes, vel, ut ipse vocat, *mentis tumultus*, descripsit Claudianus in exordio invectivae in Rufinum. Certior autem et perfectior est illa providentiae divinae cognitio, quae ex Scripturae libro petitur.

IV. 54.

CAPUT I.

DE VOCABULO PROVIDENTIAE.

Vox providentiae.

10. Providentiae vocula ex Scripturis deducta Scriptoribus ecclesiasticis etiam vetustissimis familiaris est. Iren. lib. advers. haeres. c. 41: *Providentiam Deus habet omnium.* Euseb. libr. 6. de praepar. evang. c. 5: *Universa providentia divina exsistere et gubernari verae pietatis jura praedicant.* Hieronym. super 12. Jerem.: *Nihil accidit bonorum aut malorum temere et sine providentia, sed omnia judicio Dei accidunt.*

Ubi exstet in Scripturis.

11. Potiora Scripturae loca, in quibus providendentiae vox de Deo usurpata exstat, haec sunt: Judith. 9, v. 7: τὰ μετέπειτα καὶ τὰ νῦν καὶ τὰ ἐπερχόμενα διενοήθης. v. 8: αἱ κρίσεις σου ἐν προγνώσει. Sapient. 6, v. 7: μικρὸν καὶ μέγαν ὁ θεὸς ἐποίησεν, ὁμοίως τε προνοεῖ (al. προνοεῖται) περὶ πάντων. Sap. 14, v. 3: ἡ δὲ σή, πάτερ, διακυβερνᾷ πρόνοια. Sap. 17, v. 2: κατακλεισθέντες ὀρόφοις φυγάδες τῆς αἰωνίου προνοίας ἔκειντο, *non potuerunt evitare malum Dei providentia et justo ejus judicio sibi ipsis paratum.*

12. Nec abs re est observare, quibus voculis Scriptura eandem rem explicet. Psalm. 119, v. 91: לְמִשְׁפָּט, *ordinatione Dei perseverant coelum et terram usque in hodiernum diem.* Hebr. 1, v. 3: φέρων, *portans omnia verbo virtutis suae.* Ruitura ergo essent omnia, nisi Deus sua potentia ea sustentaret. Col. 1, v. 7: *Omnia per ipsum* συνέστηκε. Totum ergo mundi systema dissolveretur, nisi potentia Dei omnia gestarentur, et singularis emphasis est in voce συστήματος, quae aptam ac pulcerrimam omnium mundi partium connexionem, suavissimam harmoniam ac concentum denotat. 1. Tim. 4, v. 10: *Deus est salvator omnium hominum, maxime fidelium*, ex Psalm. 36, v. 7: *Homines et jumenta salvabis, Domine.* Sap. 12, v. 18: *Deus* διοικεῖ, quemadmodum prudens pater familias universae domui prospicit, sic Deus mundo a se condito; c. 14, v. 3: διακυβερνᾷ, sicut nauclerus regit navem inter fluctus, ita Deus mundum. Synonyma providentiae ex Scripturis.

13. Ac siquidem divina providentia in sui conceptu includit παντεποψίαν τοῦ θεοῦ, ut paulo post dicetur, inde συνεκδοχικῶς per vocabula *visionis* et *praevisionis* tota divinae providentiae actio intelligitur, ac proinde per illam visionem neutiquam nudus et otiosus adspectus accipiendus. Genes. 22, v. 8: יִרְאֶה ὄψεται, *videbit*, vel ut interpres recte reddidit, *providebit victimam.* 1. Sam. 16, v. 1: רָאִיתִי ἑώρακα, *providi regem.* Ezech. 20, v. 6: *in terra, quam provideram eis* אֲשֶׁר תַּרְתִּי ἣν ἡτοίμασα. Hebr. 11, v. 40: *melius aliquid providente Deo*, προβλεψαμένου τοῦ θεοῦ. Vicissim quia praevisio Dei non est nuda notitia, ideo verbis *faciendi*, *praeparandi* et similibus providentia Dei describitur. Numer. 27, v. 16: יִפְקֹד *visitando Deus provideat virum*, LXX. reddiderunt ἐπισκεψάσθω. Judith. 11, v. 16: εὖ ἐποίησεν ὁ θεός, *haec per providentiam Dei facta sunt* etc. Sap. 8, v. 1: διατείνει ἀπὸ πέρατος εἰς πέρας εὐρώστως καὶ διοικεῖ τὰ πάντα χρηστῶς. Sap. 12, v. 13: τῷ θεῷ μέλει περὶ πάντων. Visio synecdochice notat providentiam.

14. Referendae etiam huc appellationes synonymae, quibus pii veteres providentiam Dei exprimunt. Augustin. 4. de Gen. ad lit. c. 12. vocat *administrationem, regimen, gubernationem;* utitur etiam vocibus *regendi, continendi.* Lib. 5, c. 20: *Operatur in hoc mundo, movet occulta sapientia et potentia, universam creaturam provido motu administrat, est causa subsistendi.* Lib. 7. de civ. Dei c. 29: *Rebus creatis subsistendi et movendi initia sua usque ad finem constituit, rerum causas habet, novit, disponit et ordinat, flagella exordiis, progressibus finibusque moderatur, dat vitam congruam et motum.* Basil. οὐδὲν ἀπρονόητον οὐδὲ ἠμελημένον παρὰ θεοῦ, πάντα σκοπεύει ὁ ἀκοίμητος ὀφθαλμός, πᾶσι πάρεστι σκορπίζων ἑκάστῳ τὴν σωτηρίαν. Suidas ex veteribus; Synonyma providentiae ex patribus. IV. 55.

Deus omnia administrat *κατ' οἰκονομίαν, κατ' εὐδοκίαν* in bonis, *κατὰ συγχώρησιν* in malis. Nemesius vocat *προμήθειαν, ἐπιμέλειαν* etc.

CAPUT II.

QUOS ACTUS PROVIDENTIA DEI INCLUDAT.

Providentia quos actus complectatur.

15. Illa *τοῦ θεοῦ πρόνοια* in sua significatione includit tria: *praecognitionem rerum* [ignoti enim nulla cura], *voluntatem et curam prospiciendi*, [omnis enim actionis principium voluntas] atque *actionem ipsam*, qua res curantur et reguntur. In his ergo tribus consistit providentia: *προγνώσει, προθέσει* seu *προορισμῷ* ac *διοικήσει*. Hugo de S. Victore sic effert: *In providentia divina tria esse consideranda: scientiam dirigentem, voluntatem imperantem et potentiam exsequentem.*

CAPUT III.

DE DEI PRAESCIENTIA.

Πρόγνωσις Dei quomodo intelligenda.

16. *Πρόγνωσις* seu praescientia *ἀνθρωποπαθῶς καὶ κατὰ συγκατάβασιν* Deo tribuitur. Omnia enim in perpetuo, stabili ac immutabili *νῦν* Deus intuetur, omnem temporis mensuram et circumscriptionem longissime transcendit omniaque temporum spatia et intervalla aeternitatis suae proprietate excludit. Ut praeteritorum non reminiscitur, ita nec futura a longe praevidet. Praescientia ergo Dei est praesens visionis scientia *καὶ παντεποψία*, Damasc. 2. orth. fid. c. 32.

17. Hanc Dei *παντεποψίαν* nulli mutabilitati obnoxiam pulcre describit Saresberiensis in suo Policratico de nug. curial. libr. 2, c. 21: *Manet usquequaque immobilis integritas scientiae Dei, et si quid varietatis alicui inest, non tam scientis quam scitorum mutabilitas est. Licet enim, quae scientia Dei complectitur, mutabilitati subjacent, ipsa tamen alterationis vices ignorat et uno singulari adspectu et individuo omnium, quae dici aut quocunque sensu excogitari possunt, universitatem claudit et continet adeo quidem sine motu, ut localia sine loco, nascentia sine initio, decedentia sine fine, fluctuantia sine alteratione, temporalia sine mutabilitate et mora, sic uniformiter comprehendat, ut ei nec praeterita transeant, nec futura succedant.*

18. Monent Scholastici nomen scientiae vel cognitionis repurgandum ab omni imperfectione et tum demum Deo tribuendum. Thom. p. 1. q. 14. art. 1: *Deus est in summo gradu immaterialitatis, ergo etiam in summo gradu cognitionis.* Biel. 1. sent. dist. 35. q. 1: *accipiendo notitiam pro notitia adhaesiva veri complexi nata causari ex aliquibus praemissis per demonstrationem, illa non est in Deo accipiendo generaliter pro omni notitia, tum est in Deo.* Deus est summum ens, ergo summo gradu intelligens et cognoscens. Ulterius, Deus est summum et perfectissimum cognoscens, ergo competit ei summus et perfectissimus cognoscendi modus.

19. Et quia absque ullo temporis tractu Deus omnia intuetur, ideo recte disputat Scalig. exerc. 365. sect. 8. *ne verbum quidem illud providere Dei convenire omnipotentiae, nisi quoad nostra mutila intellectione metimur infinitatem.* Nobis quidem, quibus est futurum, praevisio illa est; Deus, cui nihil futurum est, non praevidet, sed videt simplicissime quod est praesens, at omnia illi praesentia. Ergo non per momenta et intervalla temporum successive Deus res intuetur, sed notitia intuitiva omnia *ἀθρόως καὶ ἐν ῥιπῇ* simul adspicit, unde Hebraei voce יָדַע, *scivit* praescientiam Dei exprimunt.

IV. 56—64. [sic.]

20. Pulcerrime Augustinus libr. 11. de civ. Dei c. 21: *Non more nostro ille* (Deus) *vel quod futurum est, prospicit, vel quod praeteritum est, respicit, sed alio modo quodam a nostrarum cogitationum consuetudine longe lateque diverso. Ille quippe non ex hoc in illud cogitatione mutata, sed omnino incommutabiliter videt, ita ut illa quidem, quae temporaliter fiunt et futura nondum sint, et praesentia jam sint, et praeterita jam non sint, ipse vero haec omnia stabili ac sempiterna praesentia comprehendat, nec aliter oculis, aliter mente, non enim animo constat et corpore; nec aliter nunc, et aliter antea, et aliter postea, quoniam non sicut nostra, ita et ejus quoque scientia trium temporum, praesentis videlicet et praeteriti vel futuri, varietate mutatur, apud quem non est immutatio nec momenti obumbratio. Neque enim ejus intentio de cogitatione in cogitationem transit, in cujus incorporeo contuitu simul adsunt cuncta, quae novit. Quoniam tempora ita novit nullis suis temporalibus notionibus, quemadmodum temporalia movet nullis suis temporalibus motibus.* Haec Augustinus.

Προγνώσεως vox dupliciter accipitur.

21. Quamvis vero vox *προγνώσεως* quandoque *εἰδικῶς* in Scripturis accipiatur, prout denotat praenotionem fidei in Christum Roman. 8, v. 29. c. 11, v. 2. 1. Petr. 1, v. 1. et 2, tamen a nobis hic accipitur *γενικῶς* et denotat scientiam Dei generalem de rebus omnibus, quas vel ipse, vel alii sunt facturi. Hac ergo *προγνώσει* Deus omnia, quae sunt et fiunt, praeterita, praesentia et futura, ipse praesentissimus scit, novit ac intuetur. Hebr. 4, v. 13: *οὐκ ἔστι κτίσις ἀφανὴς ἐνώπιον αὐτοῦ, πάντα δὲ γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, omnia nuda et aperta oculis ejus*, ubi in voce posteriore est magna emphasis. Chrysostomus dicit: *Verbum esse a victimis translatum, in quibus mactatis ac nudatis pelle intus conspicua sunt omnia:* hac scientia *corda et renes hominum*, id est abditissima quaeque in eis cognoscit Psal. 7, v. 10. *imo et cogitationes hominum* Psal. 94, v. 11. atque *id longe ante* Psal. 139, v. 2. Nec unius solum ho-

minis, sed omnia corda scrutatur et omne figmentum cogitationum intelligit 1. Paral. 28, v. 9. Quin imo cogitationes hominum exactius prospicit, quam homo ipse, quia *absconditum nostrum ponit in lumine vultus sui*, Psal. 90, v. 8. *pravum cor hominis et inscrutabile, quis cognoscet illud?* Jer. 17, v. 9, sed statim sequitur: *Ego Jehovah scrutans cor, probans renes.*

Objecta divinae προγνώσεως. 22. De modo et objectis divinae praescientiae varie disputant Scholastici. Quaerunt, *an Deus omnia alia extra se distincte cognoscat?* ubi recte respondent affirmative et impugnant Averrhoem, qui lib. 12. Comm. metaph. id negaverat. Thom. p. 1. q. 14. art. 5: *Deus perfecte se ipsum intelligit, si autem perfecte aliquid cognoscitur, necesse est, quod virtus ejus perfecte cognoscatur, virtus perfecte non cognoscitur, nisi cognoscantur ea, ad quae virtus se extendit, Dei autem virtus extendit se ad omnia: Deus se ipsum videt in se ipso, quia se ipsum videt per essentiam suam, alia a se videt non in ipsis, sed in ipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso.* Biel. 1. sent. dist. 35. q. 2: *Causa efficiens et totalis est repraesentativa sui effectus, quem continet virtualiter, Deus perfecte cognoscit se ipsum. Ergo in se ipso cognoscit omnia.*

23. Ratiunculae Averrhois facili negotio solvi
IV. 65. possunt, si observetur, Deum longe alio cognoscendi modo uti, quam quo intellectus noster utitur, *non disceptat, non rationatur, non proponit, non colligit, non cum alio confert, non ab ullo accipit.* Scalig. exerc. 365. sect. 8. Deus omnia cognoscit una simplici intellectione, quae ipse est, non intelligit quadam distincta cognitione ab alio causata, ac proinde ex cognitione ista non accedit ei de novo aliqua perfectio. Cum Deus nihil potentialitatis habeat admixtum, sed sit purus actus, oportet, quod in eo intellectus et intelligibilis species sit idem omnibus modis atque unum cum ejus essentia, unde etiam concludunt, *quod Deus cognoscendo se comprehendat*, hoc est, tam perfecte cognoscat, ut nihil ulterius cognoscendum restet. Tanta Dei virtus in cognoscendo, quanta actualitas in exsistendo. Thom. p. 1. q. 14. art. 3: *Deus est finitus sibi*, id est, *sic se habet in non excedendo intellectum suum, sicut se habet aliquod finitum in non excedendo intellectum finitum.*

Ideae. 24. Quaerunt ulterius, *an Deus intelligat omnia alia extra se per ideas eorum?* De ideis late tractat August. lib. 83. quaest. q. 46. ubi dicit, tantam in eis vim constitui, ut nisi his intellectis sapiens esse nemo possit; definit autem hoc modo: *Ideae sunt principales formae quaedam vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quae ipsae formatae non sunt, ac per hoc aeternae ac semper eodem modo se habentes, quae in divina intelligentia continentur, et cum ipsae nec oriantur nec intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri et interire potest, et omne quod oritur ac interit.* Gerson. de vita spirit. lect. 1. Cor. 12. ita definit: *Idea est cognitum quoddam exemplar a principio activo intellectuali, ad quod activum adspiciens, potest aliquid in esse reali rationabiliter producere.* Seneca Epist. 66: *Ideae sunt in mente divina stabiles et aeternae, et sunt rationes seu exemplaria, ad quae adspiciens omnia producit, quae producit.*

25. Quid ergo de ideis statuendum? Resp. August. loco dicto: *Quis vera religione imbutus negare audeat, imo non etiam profiteatur, omnia quaecunque sunt, id est, quaecunque in suo genere propria quadam natura continentur, ut sint, Deo auctore esse procreata, eoque auctore omnia quae vivunt vivere atque universalem rerum incolumitatem ordinemque ipsum, quo ea, quae mutantur, suos temporales cursus certo moderamine celebrant, summi Dei legibus contineri et gubernari. Quo constituto atque concesso quis audeat dicere, Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod si recte dici aut credi non potest, restat, ut omnia ratione sint condita, nec eadem ratione homo, qua equus, hoc enim absurdum est existimare, singula igitur propriis creata sunt rationibus, has autem rationes ubi arbitrandum est esse nisi in mente ipsa creatoris? non enim extra se quicquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret, quod constituebat: quod si hae rerum omnium creandarum creatarumve rationes in divina mente continentur, neque in divina mente quicquam nisi aeternum atque incommutabile esse potest atque has rerum rationes principales ideas appellat Plato; non solum sunt ideae, sed ipsae verae sunt, quia aeternae sunt et ejusmodi atque incommutabiles manent, quarum participatione fit, ut sit quicquid est, quoquo modo est.*

26. Scholastici de ideis hoc monent: *Deus secundum essentiam est similitudo rerum omnium, ergo idea nihil aliud quam Dei essentia.* Thom. p. 1. q. 15. art. 1; et tamen dantur plures ideae in mente divina, si enim ordo universi intentus a Deo, necesse est, quod habeat ideam ordinis universi, ratio autem alicujus totius haberi non potest, nisi habeantur propriae rationes eorum, ex quibus totum constituitur; nec pugnat hoc cum simplicitate intellectus divini, quia *idea est in mente operantis, sicut quod intelligitur, non autem ut species, qua intelligitur.* Id. art. 2. id sic exprimit Biel 1. sent. dist. 35. q. 5: *in Deo sunt ideae non subjective et realiter, sed objective*, quia creaturae a Deo intellectae non sunt realiter et subjective in eo. q. 6. addit hoc ἀξιομνημόνευτον: *Omnia sunt in Deo objective, virtualiter, eminenter.*

27. Ad modum divinae προγνώσεως pertinet IV. Modi divi(nae) προ(γνώ)σεω(ς)
etiam illa quaestio: *An scientia Dei sit discursiva?* quod utique negandum. Duplex est in scientia nostra discursus; primo secundum successionem tantum, cum, postquam intelligimus aliquid in actu, convertimus nos ad intelligendum aliud; deinde est alius discursus secundum causalitatem, cum per principia venimus ad cognitionem conclusionum:

neuter horum discursuum Deo convenit; non primus, quia omnia videt in uno, quod est ipse, sicut nos multa simul videmus in speculo; nec secundus, quia hic primum praesupponit, et quia talis processus est a noto ad ignotum, *jam vero Deus videt effectus suos in se ipso sicut in causa.* Thom. p. 1. q. 14. art. 7.

An Deus praesciat non-entia.

28. Ad objecta divinae *προγνώσεως* pertinent hae quaestiones: *1. An Deus praescientiam habeat nonentium?* ad quam simplicissime respondetur, nonentia esse duorum generum: quaedam absolute et simpliciter talia, quae nec fuerunt nec sunt nec unquam erunt, quae nec actu nec potentia sunt entia; quaedam vero sunt secundum quid talia, nimirum quae cum actu non sint, tamen vel olim exstiterunt vel futura sunt vel fieri possunt; ad posteriorem non-entium gradum utique extendit se divina praescientia. Th. p. 1. q. 14. art. 9; de hac quaest. eodem modo disputat: *Deus scit omnia quaecunque sunt quocunque modo, nihil autem prohibet ea, quae non sunt simpliciter, aliquo modo esse, ea enim, quae non sunt actu, sunt in potentia vel ipsius creaturae vel Dei, sive in potentia activa sive passiva, sive in potentia opinandi vel imaginandi vel quocunque modo significandi; quaedam sunt, quae licet actu non sint, tamen fuerunt, circa illa est scientia visionis; quaedam sunt in potentia Dei vel creaturae, quae tamen nec sunt nec erunt nec fuerunt, respectu horum est scientia simplicis intelligentiae.* Scalig. exerc. 365. sect. 9. recitat dictum Procli: *δὴ τὴν πρόνοιαν πάντα γινώσκειν τῷ ἑνὶ τῷ ἑαυτῆς, καθὸ καὶ ἀγαθήνει πάντα τὰ νοοῦντα καὶ τὰ μὴ ζῶντα καὶ τὰ μὴ ὄντα πᾶσιν ἐπιβάλλουσα;* et Hermetis, *ἔστιν ὁ θεὸς καὶ τὰ ὄντα καὶ τὰ μὴ ὄντα, τὰ γὰρ ὄντα ἐφανέρωσε, τὰ δὲ μὴ ὄντα ἔχει ἐν ἑαυτῷ.*

An cognoscat Deus singularia.

29. Quaeritur *2. An cognoscat Deus singularia?* quod negare flagitium esset, cum enim ne quidem capillus capitis nostri in terram decidat absque Dei voluntate, quomodo non prospiceret singularibus? si prospicit non solum maximis, sed etiam infimis [ut postea demonstrabitur] quomodo singularia ex censu objectorum divinae providentiae eximi possent? Thomas utitur duobus argumentis p. 1. q. 4. art. 11: *Omnes perfectiones praexistunt in Deo, agnoscere autem singularia pertinet ad perfectionem nostram. Deinde virtus activa Dei extendit se ad singularia, utique ergo et scientia.*

An cognoscat Deus infinita.

30. Quaeritur *3. An Deus cognoscat infinita?* Respondemus: Deus cognoscit se ipsum, at ille infinitum ens, utique ergo cognoscit infinitum. Deinde quae infinita sunt nobis, illa finita sunt Deo, et divina cognitione quidem finiuntur ac terminantur. Pulchre Aug. l. 12. de C. Dei c. 18: *Qui dicunt, nec Dei scientia, quae infinita sunt, posse comprehendi, illis restat, ut dicere audeant atque huic se voragini profundae impietatis immergant, quod non omnes numeros Deus noverit, eos quippe infinitos esse certissimum est, quoniam in quocunque numero finem faciendum putaveris, idem ipse non dico uno addito augeri, sed quamlibet sit magnus et quamlibet ingentem multitudinem continens, in ipsa ratione atque scientia numerorum non solum duplicari potest* etc. *Absit autem ut dubitemus, quod non sit ei notus omnis numerus, cujus intelligentiae, sicut in Psalmo canitur, non est numerus; infinitas itaque numeri, quamvis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non est tamen incomprehensibilis ei, cujus intelligentiae non est numerus. Quapropter, si quicquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione fini-* IV. 67. *tur, profecto et omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita est, quia scientia ipsius incomprehensibilis non est. Quare si infinitas numerorum scientiae Dei, qua comprehenditur, esse non potest infinita, qui tandem nos sumus homunculi, qui ejus scientiae limitem figere praesumamus, et cujus sapientia simpliciter multiplex et uniformiter multiformis, qui incomprehensibili comprehensione omnia incomprehensibilia comprehendit.* Haec Augustinus. Thomas p. 1. q. 14. art. 12. Quae sunt in potentia Dei vel creaturae, novit Deus, at ea sunt infinita. Ergo novit Deus infinita. Essentia divina, per quam intellectus divinitus intelligit, est sufficiens similitudo omnium, quae sunt vel esse possunt, non solum quantum ad principia communia, sed quantum ad principia propria uniuscujusque.

31. Concludimus distinctione, quam profert Altisiodorensis lib. 1, c. 48: *Scientia Dei respectu possibilium omnium dicitur intuitiva vel simplicis intelligentiae; respectu eorum, quae sunt, fuerunt vel erunt, dicitur scientia visionis; respectu futurorum dicitur praescientia; sed quia visionis scientia itidem ad futura se extendit, siquidem futura Deus non intuetur e longinquo, sed praesentissime, ideo posteriores duae species* [ut ita loquamur] *rectius pro una numerantur.*

Praescientia Dei est immutabilis.

32. Porro certa et immutabilis est Dei praescientia, *novit Deus incommutabiliter omnia, quae futura sunt.* August. 5. de civ. Dei c. 9. res nihilominus quaedam, quarum est praescientia, mutabiles sunt et contingentes. Id. 3. de lib. arb. c. 3. ac proinde non omnem ex rebus contingentiam tollit nec absolutam aliquam necessitatem importat.

An praescientia Dei afferat rebus necessitatem.

33. Observandum igitur, quod duplex sit necessitas: alia *consequentis* [quam alii vocant *absolutam*, alii *praecedentem*, alii *simplicem*,] quae oritur ex necessaria causae cum effectu cohaesione; alia *consequentiae* [quam etiam vocant *ex hypothesi*, *sequentem et conditionalem*,] haec oritur ex actu exsistentiae et est rerum sua natura contingentium, quae tamen necessariae dicuntur, vel quia sequuntur ex causis, quae non mutantur, cum tamen sua natura mutari potuissent; vel quia cum sunt, simul non possunt non esse. *Omne enim, quod est, eo ipso quod est, necesse est esse.* Hac posteriori necessitatis specie, respectu divinae praescientiae necessaria sunt, quaecunque etiam ex causis contingenter et libere agentibus fiunt. Monent tamen Metaphysici, non esse hanc proprie dictam necessitatem, utpote quae aestimanda sit ex causa proxima, non autem ab actu exsistentiae.

34. Desudant vehementer Scholastici in explicanda quaestione, *quomodo Deus habeat scientiam determinatam et necessariam futurorum contingentium?* Th. p. 1. q. 14. art. 13: *Effectus potest esse contingens propter causam proximam contingentem, licet causa prima sit necessaria; scita a Deo sunt contingentia scientia Dei necessaria* Biel 1. sent. dist. 38. q. un.: *Libertas causae secundae sufficit ad salvandam contingentiam, quia sufficit unam causam requisitam esse liberam.* Sed quomodo stante infallibili et determinata Dei praescientia salvatur contingentia futurorum? Scot. 1. sent. dist. 39. refert varias opiniones. *Quidam dixerunt, Deum futura contingentia per ideas certo cognoscere propter perfectionem repraesentationis; quidam dixerunt, Deum ideo perfecte cognoscere per hoc, quod totus fluxus temporis est praesens aeternitati et omnia, quae sunt in tempore: ut enim immensum praesens omni loco, ita aeternum omni tempore.* Ipse autem statuit, *quod voluntas divina, quae est prima regula contingentium, prius determinet contingentia, antequam illa intellectus divinus intelligat,* [quam vere hoc statuat Scotus, ipse viderit, cum intellectus prior sit voluntate in rationalibus, in Deo utrumque simplicissime ταυτό τι]. Occam fatetur, *modum non posse sufficienter exprimi ab intellectu creato,* ipse tamen statuit, *quod Deus seu essentia divina sit cognitio intuitiva tam sui, quam omnium futurorum et possibilium tam perfecta et clara, quam ipsa etiam est evidens notitia*
IV. 68. *praeteritorum, praesentium et futurorum, ergo sicut notitia intuitiva in nobis, qua evidenter cognoscimus verum contingens praesens, non addit ipsi contingenti aliquam necessitatem, licet ipsa sit evidens et infallibilis; notitia Dei rebus futuris contingentibus non imponit necessitatem.* [Haec Occami sententia verissima est et simplicisima.] Th. p. 1. q. 14. art. 13. sic procedit: *Contingens consideratur vel in se ipso, secundum quod jam actu est, et sic non consideratur ut futurum, sed ut praesens, et ut determinatum ad unum, et propter hoc sic infallibiliter subditur divinae cognitioni. Deinde potest considerari contingens, ut est in sua causa, et sic consideratur ut futurum et ut nondum determinatum, et sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni. Deus cognoscit contingentia non solum ut sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodque eorum est actu in se ipso.* Biel 1. sent. dist. 38. q. un. art. 2. prop. 5: *Scientia illa, qua Deus scit futura contingentia, est necessaria, quia est ipsius essentia, non autem respectu futurorum contingentium, id est non habet scientiam, qua necessario sciat hoc futurum contingens, ut enim ipsum futurum contingens erit contingenter, ita Deus ipsum scit contingenter.* [Sed haec dextre indigent interpretatione, contingentes enim effectus praescit Deus necessario non contingenter.]

35. Acquiescimus nos in distinctione necessitatis proxime proposita et exposita. Respectu divinae praescientiae etiam quaecunque ex causis contingenter et libere agentibus fiunt, necessaria sunt, necessitate scilicet non consequentis, sed consequentiae; necessitate non absoluta, sed ex hypothesi; non praecedente, sed sequente; non simplici, sed conditionali. Deo, qui omnia praeterita, praesentia et futura in absolutissimo τῷ νῦν aeternitatis videt, non ignotum est vel esse potest, quonam agendi vis in causis contingenter et libere agentibus sit declinatura; interim sua illa praevisione vel potius visione non affert eis absolutam aliquam necessitatem, siquidem ipse discrimen hoc constituit, ut in creaturis quaedam libera agendi facultate essent praeditae.

36. Caeterum hinc sententiae, quod quaedam fiant libere et contingenter toties in sacris literis testimonium datur, quoties libertas voluntatis humanae praedicatur, [quae qualis sit, suo explicabitur loco] quoties praemia bene agentibus, poenae reprobis constituuntur, quoties lapsus culpa Adae et Evae transcribitur, quoties bona laudantur, mala vituperio afficiuntur etc., ubi tamen observa, nos non statuere Deum otiosum spectatorem eorum, quae in mundo fiunt, postea enim docebimus, Deum non solum προγινώσκειν ac προιδεῖν, sed etiam διοικεῖν omnia, quae διοίκησις quomodo sit diversarum objectorum respectu comparata, itidem ostendemus: hac autem vice manemus in terminis quaestionis, videlicet ex divina praescientia [quatenus tali] neutiquam absolutam omnium, quae fiunt, necessitatem consequi, aut omnem contingentiam atque libertatem per eam aboleri. Contingentia.

37. Multo minus dicendum, quod divina praescientia fatalem ac necessariam peccandi necessitatem hominibus afferat: *Non enim, quia Deus futura cognoscit, necesse est nos facere, quod ille praescivit: sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit futurum, quia Deus,* Hieron. lib. 3. in Ezech. *Nec ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum praescivit, imo ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille, cujus praescientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed hominem peccaturum praescivit, qui, si nolit, omnino non peccat, sed si peccare noluerit, etiam hoc ille praescivit,* Aug. 5. de civ. Dei c. 10. *Non ex eo, quod falli scientia divina non potest, necessitate peccandi urgetur facinus voluntatis;* Ambros. 2. de voc. gent. c. 4. Praescientia Dei peccandi necessitatem haudquaquam importat.

38. Neque enim τὸ ὅτι solum, sed etiam τὸ δὶ οὗ καὶ τὸ πῶς, causam et modum agendi Deus praevidet. Non modo proditionem Judae praevidit, sed etiam eandem voluntariam et necessitatis expertem praevidit. Pulcre August. tract. 53. in Joh.: *Non* IV. 69. *propter ea quenquam Deus ad peccandum cogit, quia futura peccata hominum novit, ipsorum enim praescivit peccata, non sua, non cujusquam alterius, sed ipsorum. Quapropter si ea, quae ille praescivit ipsorum, non sunt ipsorum, non vere ille praescivit; sed quia illius praescientia falli non potest, sine dubio non alii, sed ipsi peccant, quos Deus peccaturos esse praescivit.*

39. Si nondum plene percipis, sic habe: Praescientia Dei non affert rebus immutabilitatem a priori,

sed saltem a posteriori, hoc est, quando Deus scit rem esse, necesse est eam esse; interim tamen res sua natura et respectu suarum causarum poterat aliter esse, et tunc Deus aliter praescivisset. Res sive praesentes sive praeteritae sive futurae non a scientia, sed scientia a re et eventu dependent, qui talis praescitur, qualis est, ita ut, si futurus non esset, id ipsum etiam a Deo praevideretur. Aug. 3. de lib. arbit. c. 3.

40. Declarant id veteres primum exemplis memoriae recordantis praeteritorum, sive probentur sive improbentur; medici morbum praevidentis; astronomi ecclipsin praedicentis. Deinde exemplis vaticiniorum propheticorum de peccatis hominum, quae non ideo perpetrata, quia divinitus praedicta, sed ideo praedicta, quia Deus hominum malitiam viderit incurabilem. Justin. Apolog. 2. et q. 58. Epiph. contra Cajan. Chrysost. in Matth. homil. 60. et 1. Cor. 11. Cyrill. et August. super 12. Joh.

Antithesis adversariorum.

41. Ergo nec possumus nec debemus probare, quod scribit Calv. 3. Instit. c. 23. sect. 9: *Ordinatione Dei [cui sua constet aequitas nobis incognita, sed illi certissima] injici reprobis peccandi necessitatem*, et sect. 6. *Deum non alia ratione futura praevidere, nisi quia ita ut fierent decrevit;* quod scribit Beza in Colloq. Mompelg. p. 519. *Deum nihil scire futurum, quod non decreverit futurum;* quod scribit Rennech. in cat. sal. aurea c. 6. p. 28: *Licet cadere et non cadere ipsi* [Adamo] *contingens et indifferens fuerit, et alterutrum tam hoc quam illud evenire potuerit, tamen illud ex meris alioquin contingentibus solum evenit et accidit, quod Deus ab aeterno futurum providerat et decreverat;* quod scribit Piscator in Disput. de praedest. p. 11: *vi consilii divini aliter fieri non potuisse, quin primi parentes peccarent;* quod scribit Hyperius lib. 1. Methodi p. 258: *quoad Deum absoluta necessitate fieri omnia;* quod scribit Bucan. loco 14. p. 136: *Quae homines vel angeli agunt, necessario agunt, quoniam Deus hoc fieri sua providentia decrevit.*

Veterum sententiae de hac quaestione.

42. Longe rectius pii veteres. Augustin. 5. de civit. Dei c. 9: *Non timemus, ne ideo voluntate non faciamus, quod voluntate facimus, quia illud nos facturos ille praescivit, cujus praescientia falli non potest, quod Cicero timuit, ut oppugnaret praescientiam, et Stoici, ut non omnia necessitate fieri dicerent, quamvis omnia fato fieri contenderent, et Cicero, ut voluntatis libertatem confirmaret, negavit futurorum praescientiam, atque ita dum facere vult liberos, facit sacrilegos; religiosus autem animus utrumque eligit, utrumque confitetur et fide pietatis utrumque confirmat* etc. *Nos adversus istos ausus sacrilegos atque impios et Deum dicimus omnia scire antequam fiant, et voluntate nos facere, quicquid a nobis non nisi volentibus fieri sentimus et novimus* etc. *Non est consequens, ut si Deo certus est omnium causarum ordo, ideo nihil sit in nostrae voluntatis arbitrio: et ipsae quippe nostrae voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo ejusque praescientia continetur, quoniam et humanae voluntates humanorum operum causae sunt, atque ita qui omnes rerum causas praescivit, profecto in eis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse praescivit* etc. *Quomodo ergo ordo causarum, qui praescienti Deo certus est, id efficit, ut nihil sit in nostra voluntate, cum in ipso causarum ordine magnum habeant locum nostrae voluntates?* c. 10: *Non propterea nihil est in nostra voluntate, quia Deus praescivit, quid futurum esset in nostra voluntate, non enim qui hoc praescivit, nihil praescivit.* IV. 70. *Porro si ille praescivit, quid futurum esset in nostra voluntate, non utique nihil, sed aliquid praescivit, profecto et illo praesciente est aliquid in nostra voluntate. Quocirca nullo modo cogimur aut retenta praescientia Dei tollere voluntatis arbitrarium, aut retento voluntatis arbitrio Deum, quod nefas est, negare praescium futurorum, sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter et veraciter confitemur, illud ut bonum credamus, hoc ut bonum vivamus. Male autem vivitur, si de Deo non bene creditur* etc. Chrysost. sup. 1. Cor. 11. hom. 27: *Christus inquit, necesse est, ut veniant scandala: attamen nec libertatem arbitrii his verbis tollit neque necessitatem aliquam et violentiam vitae imponit, sed quod procul dubio ob pravam hominum mentem futurum erat, praedixit, quod quidem futurum erat non propter ipsius praedictionem, sed propter eorum, qui curari non poterant voluntatem, non enim quod haec praedixerit, ideo haec facta sunt, sed cum procul dubio futura erant, ideo praedixit, nam si necessitatis essent scandala et non voluntatis eorum, qui ea movent, superfluum esset, quod dixit: Vae homini, per quem scandala veniunt.* Id. hom. 60. in Matth.: *Non putanda est praedictio ipsius* (Christi) *scandala inducere, non enim quia futura praedixit, ideo eveniunt, sed quoniam futura erant, ideo praedixit.* Quid quod ipse Dn. Philip. in Epist. ad Thom. Archiepisc. Cantuar. *reprehensione dignissimum* esse judicat statuere, *quod divina praedictio Judae et aliis fatalem et inevitabilem peccandi pereundique necessitatem attulerit.*

Argumenta pro fatali omnium necessitate.

43. Videamus, quibus argumentis fatalem illam omnium necessitatem demonstrare conentur. *Praescientia Dei*, inquiunt, *non distinguenda est ab ejus decreto, voluntate et praedestinatione; Deus non alia ratione futura praevidet, nisi quia ita, ut fierent, decrevit; Deus nihil scit futurum, quod non decreverit futurum* etc. Respondemus: 1. Si praescientia cum praedestinatione, decreto et voluntate Dei modis omnibus est unum et idem, sequetur, ut Deus praescit hominum peccata, ita eadem ipsum praedestinare, decernere et velle, contra Psaltes Psalm. 5, v. 5: *Non Deus volens iniquitatem tu es.* 2. Recte ergo August. lib. de praedest. Sanct. c. 10: *Praedestinatio sine praescientia esse non potest, sed potest esse sine praedestinatione praescientia: praedestinatione quippe Deus ea praescivit, quae fuerat ipse*

facturus; unde dictum est, fecit quae futura sunt; praescire autem potens est etiam ea, quae ipse non fecit, sicut quaecunque peccata. Idem lib. 6. hypogn. c. 2: *Mala Judae praescivit quidem Deus, sed non praedestinavit.* Prosper in respons. ad Gall.: *Praescientia et bona noscit et mala, praedestinatio autem Dei semper in bono est.* Fulgent. lib. 1. ad Mon.: *Si ad peccatum aliquod Deus hominem praedestinaret, pro peccatis hominem non puniret.* Lombard. 1. sent. dist. 6. sect. 2: *Praescientia Dei sive scientia, qua scit vel praescit bona et mala, divina natura sive essentia est, et praedestinatio sive voluntas ejus eadem divina esentia est, nec est aliud Deo scire et velle, quam esse, et cum sit unum et idem scientia Dei vel voluntas, non tamen dicitur de voluntate, quicquid dicitur de scientia, et e converso; nec omnia illa sua voluntate Deus vult, quae sua scientia scit, cum sua scientia noverit tam bona quam mala, voluntate autem non velit nisi bona. Scientia quippe Dei et praescientia de bonis est et malis, voluntas vero et praedestinatio de bonis est tantum, et tamen unum et idem est in Deo scientia et voluntas et praescientia et praedestinatio.* 3. Id quodammodo declarat Biel 1. sent. dist. 2. q. 1; quaerit enim, cur concedatur haec propositio: *Deus intelligit malum*, et negetur ista: *Deus vult malum*, cum tamen sit identitas inter intellectum et voluntatem Dei? respondet, *id fieri propter diversa terminorum connotata, non autem propter aliquam non identitatem in Deo.* Si illa nomina *intelligere, velle*, non essent connotativa, sed quodlibet illorum absolute et simpliciter sine connotatione diceret illam
IV. 71. rem, quae Deus est, utraque propositio foret concedenda. Sic ergo habendum. Per quod DEUS intelligit et scit, per illud etiam vult, quia intelligit et vult per suam essentiam, non autem quod Deus intelligit et scit, idem etiam vult, quia scit hominum peccata, et tamen eadem non vult. 4. Sed enim repetendum hoc loco ex superioribus, Dei praescientiam ἀνθρωποπαθῶς sic dici, cum sit potius praesens visio et scientia. Nostra ratio et illi, qui rationis tenebras relicta verbi luce sequuntur, sibi praescientiam Dei hoc modo imaginantur, quod res futuras longe ante praevideat, ac proinde, ne Deus futurorum praescius in sua iste praevisione fallatur, sed veritatis laudem retineat, ideo cogitant simplicem et absolutam esse omnium necessitatem. Ludovicus Vives super 5. de civ. Dei c. 10: *Haec res difficiliorem efficit hanc disputationem, quod sic imaginantur quidam, futura esse Deo ut nobis, sed cogitare debebant, nec ea, quae dicuntur praeterita, in mente divina praeterire, nec ea, quae dicuntur futura quasi desint, exspectari ut veniant, sed et praeterita et futura cum praesentibus esse cuncta praesentia, nec singula cogitari et ab aliis ad alia cogitando transiri, sed in uno conspectu simul praesto esse universa.* 5. Ergo praescientia illa Dei, qua talis, non infert absolutam agendi necessitatem, quia relinquit liberam agendi facultatem semel creaturis rationalibus donatam, quae libertas praescientia Dei non tollitur, cum et illa sit in ordine causarum, quae sunt a Deo praescitae. 6. Si urgeas, Dei praescientiam non esse nudam et otiosam contemplationem, sed cum activitate perpetuo conjunctam, respondemus: Distinguendum hic esse inter actiones creaturarum bonas et malas, circa quas diversimode se habet divina providentia, ut paulo post uberius explicabimus.

44. Pergunt, *terminos distinctionis inter necessitatem consequentis et consequentiae esse philosophicos, ac proinde huc non afferendos.* Respondemus: 2.
Res ipsa in Scripturis satis evidenter est exposita, quippe quae Deum omnium futurorum praescium esse docet, et tamen peccati causam esse negat, id si convenientibus terminis philosophicis explicetur, nulla fit μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, cum non tam probationis quam explicationis gratia nec ad novi cujusdam articuli fabricam extra et praeter Scripturam exstruendam, sed ad veteris fidei in Scripturis expositae declarationem adhibeantur: cur istud philosophiae ministerium hac in parte respuunt illi, qui alibi ejus dominium et magisterium in mysteriis divinis sequuntur, et hoc ipso loco fatalem omnium necessitatem ex Stoicorum scholis in ecclesiam postliminio introducere satagunt?

45. *Constituit* [inquiunt] *Deus aeterno et immutabili decreto, secundum quod quaelibet immutabiliter* 3.
et necessario fieri oportet, ut Deus absoluta necessitate necessario bonus, ita quaecunque ab illo fiunt, absoluta necessitate isto modo fiunt. Resp. Ut quaedam Deus in tempore agit, quaedam fieri permittit, ita ab aeterno quaedam agere, quaedam vero permittere decrevit, quid autem per illam DEI permissionem et per decretum permissionis intelligendum sit, patebit suo loco. Infallibiliter Deus praescit futura, interim tamen scientiae suae infallibilitate non affert absolutam omnibus rebus necessitatem, cum ab illa praescientia Dei non oriantur malae hominum actiones, sed potius ex causa proxima sint aestimandae. Ad posterius objectum subtilissime respondet Scotus 1. sentent. distinct. 45. q. 5: *Deus est ens simpliciter et ex se necessarium, eaque de Deo notio hominibus est innata, et tamen remota hac notione et [remotis omnibus] quaecunque sunt, Deus nec quicquam deperdit, quia ens simplex et necessarium est, at si necessario vellet, quae praeter eum non sunt, non posset non velle ea, quia in Deo esse et velle necessario sunt idem. Ergo remota volitione creaturarum hujus vel illius rei tolleretur etiam esse Dei.* Haec Scotus. Nos simplicius sic respondemus: Non ideo, quia Deus absoluta necessitate bonus, ideo quae in creaturis bene agit, absoluta necessitate talia sunt, quia non solum bene, sed etiam libere agit; multo minus propter absolutam divinae bonitatis necessitatem talia sunt, quae creaturae libertate agendi instructae male agunt, cum IV. 72.
in illis ab ordine divinae bonitatis devient. Declarationis gratia huc referri possunt, quae Scaliger disputat exercit. 249. sect. 3. de quaestione illa, *An Deus facere possit melius quod fecit, quam quo-*

modo fecit? ad quam respondet: ***Potest Deus aliter facere, quia summa in potestate minor quoque comprehenditur potestas. Ex immensitate igitur potentiae potest, at ex summa bonitate, quae est potentiae regula, neque a potentia essentiâ diversa [est enim Deus et Dei omnia unum atque unus Deus sui ipsius et principium et finis, sine tamen et principio et fine ullo, non enim extra se egredi potest] non vult minus posse quam bene posse, quia a summo bono simpliciter non potest, nisi summum bonum in unoquoque genere aut ordine entium proficisci*** etc.

46. Atque haec sunt potiora argumenta, quibus fatalem omnium necessitatem evincere conantur, ex quibus ad reliqua facile potest responderi: quae ex Scripturis ad hanc quaestionem accommodantur testimonia, suo loco explicabuntur, quando de causa peccati disseremus, et quo modo in malis hominum actionibus divina providentia concurrat, exponemus. Postquam igitur de primo quasi actu divinae providentiae, videl. *προγνώσει* sive praescientia divina, satis copiose egimus hactenus, restat, ut ad reliquos duos ejusdem actus, videlicet *πρόθεσιν καὶ διοίκησιν*, explicandos accedamus.

CAPUT IV.

DE SECUNDO PROVIDENTIAE ACTU, VIDELICET *ΠΡΟΘΕΣΕΙ*.

Πρόθεσις qualis actus.

47. Consistit igitur secundo divina providentia in *προορισμῷ* sive *προθέσει*, decreto et voluntate prospiciendi rebus omnibus. Quicquid enim Deus in tempore agit, ab aeterno agere decrevit; ac providi est non solum habere notitiam, sed etiam voluntatem prospiciendi rerum necessitatibus. Eph. 1, v. 11: *Deus omnia operatur juxta consilium voluntatis suae.*

48. Ex hoc fundamento Scaliger exerc. 365. sect. 8. arguit Ludovicum Vivem, qui Dei providentiam dixerat esse *voluntatem consilio universa gubernantem*, cum et ante mundi creationem fuerit providentia sine gubernatione, cumque consilio Deus non egeat tanquam medio aut instrumento aut idea ad gubernandum; interim tamen negari nequit, Scripturam per solitam suam ad nos *συγκατάβασιν* consilium *ἀνθρωποπαθῶς* Deo tribuere. Quamvis enim Deus accurate loquendo non consultet nec ratiocinetur, tamen quia ipsius operibus summae et infinitae sapientiae radii effulgent, et quia talia agit, quae homines summa animi prudentia atque consilio agunt, inde et ideo Deo consilium tribuitur.

Vox προθέσεως accipitur dupliciter.

49. Vox *προθέσεως* in Scriptura specialiter de proposito salutis nostrae, h. e. de Dei decreto ab aeterno in Christo disposito et per evangelium nobis revelato, de hominibus per fidem in Christum salvandis, ut hac ratione hoc propositum totum ordinem salutis nostrae complectatur. Rom. 8, v. 28: *κλητοῖς κατὰ πρόθεσιν*. c. 9, v. 11: *ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν τοῦ θεοῦ πρόθεσις μένῃ*. Ephes. 1, v. 9: *κατὰ τὴν εὐδοκίαν, ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ*. v. 11: *προορισθέντες κατὰ πρόθεσιν;* hoc Dei propositum vocatur ibidem *εὐδοκία καὶ βουλὴ τοῦ θελήματος θεοῦ*.

50. Sed enim, quia non solum reparatio generis humani per Christum et credentium in eum salvatio, sed etiam creaturarum productio et conservatio est opus Dei, ideo *κατ' ἀναλογίαν* statuere possumus, non solum de reparatione generis humani per Christum credentium salvatione, sed etiam de creaturarum productione et conservatione aeternam in mente IV. 81.
divina *πρόθεσιν* exstitisse; quicquid enim in tempore Deus agit, ab aeterno agere decrevit.

Πρόθεσις Dei an etiam ad peccata hominum sit referenda.

51. Vicissim, quia *πρόθεσις* illa *θελήματος θεοῦ* ad ea solum referenda, quae in tempore Deus agit [siquidem quae Deus non agit in tempore, ea nec ab aeterno agere decrevit] inde colligimus, lapsum Adae, qua talem, et peccata hominum, qua talia, non esse ex aeterna Dei *προθέσει* orta dicenda, nullo enim Dei decreto immutabili coactus vel inductus est homo, ut laberetur, qui a DEO accepit mandatum, ne laberetur; quod vero attinet lapsus ipsius remedium, illud ab aeterno est a Deo decretum et in Christo dispositum. Lapsum hominis DEUS in tempore non est operatus, nec hominem, ut laberetur, impulit. Ergo nec ab aeterno DEUS hominis lapsum decrevit. Hominem labi DEUS in tempore permisit, [cujus permissionis rationes enumerabimus suo loco]. Ergo lapsum hominis permittere sive non impedire Deus ab aeterno decrevit. Lapsui hominis DEUS in tempore pretiosissimum attulit per Christum remedium. Ergo lapsui hominis remedium aliquod ab aeterno est a Deo decretum.

52. Proinde si decreti vocem tam late extendere quis velit, ut referatur ad omnia, circa quae divina providentia occupata est, scilicet tam ad malas quam bonas hominum actiones, necessario hic itidem distinguendum, ut in ipsa divinae providentiae *διοικήσει*, quod videlicet *πρόθεσις* Dei aliter se habeat respectu bonarum, aliter vero respectu malarum actionum. Ut enim hominum actiones Deus in tempore ita *διοικεῖ*, ut bonas praecipiat, probet, adjuvet; malas vero nec praecipiat nec velit nec adjuvet, sed propter finem bonum, quem ex illis elicere novit, permittat; ita quoque dicendum, aeternam Dei *πρόθεσιν* ita comparatam, ut bonas hominum actiones praecipere, probare, adjuvare, malas autem propter finem bonum, quem ipse ex eis elicere noverit, permittere decreverit. Breviter: qualis est *διοίκησις* Dei in tempore, talis etiam *διοικήσεως πρόθεσις* propter exactissimam utriusque sibi correspondentis relationem.

53. Exactissime vero observandum, quando statuitur decretum permissionis ratione malarum actionum, ibi vocem decreti referendam esse non ad actiones malas per se, sed ad bonos illos fines, quos ex malis hominum actionibus Deus sua sapientia et

bonitate elicere novit. Decrevit DEUS permittere lapsum Adae et reliqua hominum peccata lapsum illum consecuta, non quasi delectetur isto lapsu et istis peccatis, non quasi approbet ea, non quasi impellat ad ea, sed quia novit bonum finem ex illis elicere. Ut ergo DEUS in tempore volens permittit lapsum, nec tamen vult hominis lapsum, ita ab aeterno decrevit permittere lapsum, nec tamen ipsum lapsum decrevit. Proinde serio improbandum est, quod Beza part. 2. respons. ad colloq. p. 155. textum apostolicum Ephes. 1, v. 11: *DEUS operatur omnia juxta consilium voluntatis suae*, ad omnes etiam malas hominum actiones tam nude et crude referat, cum tamen eas nec operetur DEUS nec operari ab aeterno decreverit.

Vox προορισμοῦ dupliciter accipitur.

54. *Προορισμὸς* itidem in Scripturis accipitur specialiter et proprie de electione *τῶν μελλόντων εἰς Χριστὸν πιστεύειν* ad vitam aeternam. Rom. 8, v. 30. Eph. 1, v. 5. etc., interim tamen vocula *προορίζειν* generalis est, significans deliberare, constituere ac definire, quid de re aliqua sit agendum, finem et media sibi proponere. Damascen. in Dial. de haeres. Manich. *προορισμός ἐστι κρίσις καὶ ἀπόφασις ἐπὶ τοῖς ἐσομένοις*: in generali hac significatione vox *προορισμοῦ* hic a nobis accipitur. Quomodo vero se habeat vox *προορισμοῦ* specialiter accepta ad providentiam, id exponit Thom. part. 1. q. 23. art. 1: *Praedestinatio pars est providentiae: providentia enim effectus est res in finem suum dirigere et movere, jam vero duplex est finis rationalis creaturae, unus naturalis, creaturae proportionatus, ad quem potest*
IV. 82. *suis viribus pertingere; aliter supernaturalis, qui excedit proportionem naturae creatae, qui est vita aeterna, hunc finem assequi non potest, nisi ad illum ab alio, nempe a Deo, transmittatur, sicut a sagittario sagitta ad scopum. Ratio istius transmissionis seu decretum transmittendi ad vitam aeternam dicitur praedestinatio.*

CAPUT V.

DE TERTIO PROVIDENTIAE ACTU, VIDELICET *ΔΙΟΙΚΗΣΕΙ*.

Διοίκησις qualis actus. Objecta διοικήσεως.

55. Tertio igitur consistit providentia *ἐν διοικήσει*, in actuali ac temporali omnium rerum sustentatione ac gubernatione, qua Deus omnia sapienter, libere, potenter ac bene moderatur ac dirigit.

56. Versatur haec provida Dei cura circa omnia, quae in mundo sunt ac fiunt, Coloss. 1, v. 17: *Omnia in ipso consistunt.* Hebr. 1, v. 3: *Portat omnia verbo virtutis suae.* Sap. 6, v. 8: *προνοεῖ περὶ πάντων.* c. 8, v. 1: *attingit a fine usque ad finem εὐρώστως et disponit omnia χρηστῶς.* c. 12, v. 13: *τῷ θεῷ μέλει περὶ πάντων.* Nec modo naturas coelestes et incorruptibiles, sed etiam res sublunares; nec modo species, sed et singula individua objecti loco habet.

57. Referunt Clemens 5. strom. p. 275. Cyrill. Catech. 8. Augustin. 5. de Gen. ad lit. cap. 2. fuisse quosdam qui putaverunt, *sublimes quidem mundi partes divina providentia gubernari, hanc autem imam partem terrae et aëris vicinioris, in qua venti nubesque consurgunt, casibus potius et fortuitis motibus agitari.* Plinius 2. nat. hist. 7. putat inferiora coeli astrorumque motibus gubernari. Ac citatur ex Arabe Algazel 3. Metaph. c. 5: *prima causa non scit particularia nisi secundum notitiam universalem.* Ovid. 2. Trist. v. 216 sq.: Errores de objectis providentiae

Utque Deos coelumque simul sublime tuenti,
Non vacat exiguis rebus adesse Jovi.

R. Moyse de direct. perplex. c. 136: *Nulla individua corruptibilia dicit subjacere divinae providentiae, nisi homines propter intellectum, qui est incorruptibilis.* Sed nihil videtur tam casibus volvi, quam omnes istae procellosae ac turbulentae qualitates, quibus aëris facies variatur ac vertitur: et tamen Psal. 148, v. 8: *Deus operit coelum nubibus et parat terrae pluviam.* Psal. 135, v. 8: *Adscendere facit nubes, fulgura cum pluvia ipse facit, educit ventum de thesauris suis.* Matth. 5, v. 45: *Deus ἀνατέλλει solem et pluit super justos et injustos.*

58. Hieronymus in cap. 1. Habacuc. *dicit esse fatuam Dei adulationem, qua majestas ejus ad hoc deducitur, ut sciat per momenta singula, quot culices nascantur, quotve moriantur, quota muscarum sic multitudo, quot pisces natent in aquis.* Nisi hoc dictum sic accipias, quod DEUS quidem singula exacte cognoscat, non tamen modo cognoscendi, qui fit per momenta et intervalla successive, sed notitia intuitiva, qua omnia *ἀθρόως* simul adspicit, detrahet laudi divinae providentiae. Matth. 10, v. 29: *Duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadit super terram sine Patre vestro.* Quae viliores aves, quam passeres? et tamen unus eorum non est in oblivione coram Deo. Luc. 12, v. 6: *Quin imo capilli capitis nostri numerati sunt.* Matth. 10, v. 30: *Lilia Deus vestit.* Matth. 6, v. 28. Vide Lomb. 1. sent. dist. 39. lit. D, ubi dictum Hieronymi ad bonum sensum trahere conatur. Sententia Hieron. quomodo explicanda.

59. Recte ergo Ambr. 1. de offic. c. 13: *Si non est injuria et probrum Dei, minutissimas quasque res fecisse, multo minus probrum illius factas regere.* IV. 83.
Iren. lib. 2, c. 45: *Nihil omnino eorum, quae facta sunt et quae fiunt, Deum fugit, sed per illius providentiam unumquodque et habitum et numerum et quantitatem accipit.* August. 10. de civ. Dei c. 14. laudat sententiam Plotini: *Providentiam a summo DEO usque ad haec terrena et ima pertingere, flosculorum atque foliorum pulcritudo comprobat, quae omnia velut abjecta et velocissime pereuntia decentissimos formarum suarum numeros habere non posse confirmat, nisi inde formentur, ubi forma intelligibilis et incommutabilis, simul habens omnia, perseverat.*

60. *Quis disposuit membra culicis et pulicis, ut habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habe-*

aut motum suum? unam bestiolam brevem minutissimam considera, quam volueris. Quis disposuit ista? quis fecit ista? Expavescis in minimis, lauda magnum. **Augustinus super Psal. 147. tom. 8.**

CAPUT VI.

DE PRIORE ΔΙΟΙΚΗΣΕΩΣ ACTU VIDELICET CONSERVATIONE.

Duae quasi partes sunt διοικήσεως: conservatio et gubernatio.

61. Duo autem sunt divinae providentiae circa res quasvis munia: *Conservatio et gubernatio.* Non ex se et suis viribus res creatae subsistunt, sed *portat Deus omnia verbo virtutis suae*, Hebr. 1, v. 3. *In ipso omnia συνέστηκε* Col. 1, v. 17. *In Deo vivimus, movemur et sumus* Actor. 17, v. 28. Esse creaturarum est esse fluxum; esse DEI est esse fixum; *ut radiorum esse a sole, umbra a corpore: ita omnes creaturae a divina dependent conservatione.* Raym. de Sab. in Theol. natur. c. 16, quem omnino vide.

Conservatio quid?

62. Conservatio definiente Scaligero nihil aliud est *quam exsistentiae continuatio* exercit. 31. et 250. sect. 1. Esse et conservari acceptum fertur eidem auctori eidemque principio. Ut ergo omnes creaturae suam essentiam, suas proprietates ac agendi vires in creatione et generatione a Deo acceperunt, ita ab eodem in essendo et agendo conservantur. Ergo continuus est quasi divinae potentiae omnia conservantis in res exsistentes omnes influxus, quo vel ad momentum subtracto nec agere, imo nec esse possunt. Quid magis homini naturale quam moveri? et tamen *in Deo movemur* Actor. 17, v. 28. Quid magis soli naturale quam singulis diebus oriri? et tamen Deus ἀνατέλλει τὸν ἥλιον Matth. 5, v. 45. Quamvis ergo naturaliter singulis rebus sua indita sit proprietas, eam tamen nec exserunt nec exserere possunt, nisi divina virtute [ut ita loquar] essentientur et vegetentur. Psalm. 104, v, 29: *Abscondis faciem tuam, turbantur; aufers spiritum eorum, deficiunt et in pulverem suum revertuntur.* v. 30: *mittis spiritum tuum, creantur, et renovabis faciem terrae.*

63. Deut. 8, v. 3. Matth. 4, v. 4. dicitur, *hominem non vivere ex solo pane, sed in omni verbo, quod egreditur ex ore Dei*, quo non solum docemur, Deum absque mediis naturalibus posse hominem alere et conservare, sed monemur etiam, vim alendi non esse panis ita propriam, ut subtracto DEI verbo, quo panis primum creatus est, et alendi vim obtinuit, nihilominus hominem alere possit, sed requiri continuum quasi verbi creantis et conservantis influxum, ut alendi vim sibi insitam exserat. Idem de re medica pronuntiare possumus ac debemus. Non restituitur homo sanitati per herbas, sed per Dei verbum, quod herbis vim illam primitus in-

IV. 84. sevit et adhuc hodie quasi instillat. Sap. 16, v. 12: οὔτε βοτάνη οὔτε μάλαγμα ἐθεράπευσεν αὐτούς, ἀλλ' ὁ σός, κύριε, λόγος ὁ πάντα ἰώμενος. v. 13: σὶ γὰρ ζωῆς καὶ θανάτου ἐξουσίαν ἔχεις etc., unde recte et pie concludit Mesue in principio grabadin. Medic.: *Sanat solus languores Deus.* Utinam vero hoc cordi probe infigeremus nostro, ut a fiducia in medicos et medicinas abducti praesentem Dei manum in illis intueremur ac soli DEO per cordis fiduciam adhaerere niteremur! Multi omnino secuti exemplum Asae in infirmitate sua *non quaerunt Dominum, sed magis in medicorum arte confidunt* 2. Paral. 16, v. 12, nimirum qui praetermissa poenitentia et precibus per medicamenta sanitatem se recuperaturos sperant.

CAPUT VII.

DE POSTERIORE ΔΙΟΙΚΗΣΕΩΣ ACTU, VIDELICET GUBERNATIONE.

64. Porro non solum conservat Deus res creatas, sed etiam easdem gubernat, quae gubernatio, quomodo comparata sit, quibusdam aphorismis explicabimus, si prius hoc notaverimus, quod, licet omnia divinae providentiae sint subjecta, peculiariter tamen Deo curae sit homo, mundi epitome et reliquarum creaturarum complementum, cumprimis vero ecclesia ex humano genere collecta 1. Tim. 4, v. 10: *Deus est salvator omnium hominum, maxime fidelium.* 1. Petr. 5, v. 7: *Ipsi cura est de vobis.* Psalm. 33, v. 13: *E coelis respicit Jehovah, videt omnes filios hominum.* v. 18: *Ecce oculus Jehovae super timentes eum, sperantes super misericordia ejus.* Atque ex hoc fonte promanavit distinctio inter providentiam generalem totius mundi et specialem ecclesiae.

Gubernatio rerum quomodo comparata.

65. Quemadmodum Deus omnia creavit, ita omnia conservat et gubernat; sed quemadmodum omnia propter hominem facta (ut pulcherrime hoc probat et explicat Scalig. exerc. 250. sect. 1.), sic peculiariter Deo curae est homo totius universi compendium pulcherrimum. Ipse est olam kathon, μικρόκοσμος, ut appellant eum Rabbini teste R. D. Kimchi super 2. Zachar. Vicissim totum genus humanum conservat Deus post lapsum propter ecclesiam ex eo collectam vel adhuc colligendam, haec ipsius domus est, hoc peculium, hic λαὸς περιούσιος. Ergo providentia divina vel maximus respicit ecclesiam et omnia vera ecclesiae membra.

Homo praecipuum divinae providentiae objectum.

CAPUT VIII.

PROPONIT APHORISMOS DE MODO DIVINAE PROVIDENTIAE.

Aphorismi de modo divinae providentiae. 1. 66. Sit ergo primus de modo divinae providentiae aphorismus: *Providentia divina institutum a se naturae cursum ordinarie conservat.* Sic Pater *coelestis solem ἀνατέλλει et pluit* Matth. 5, v. 45; *dat unicuique grano corpus, sicut vult* 1. Cor. 15, v. 38. Quae ergo sic a Deo sunt creata, ut agant naturaliter, in illis conservat virtutem naturaliter agendi, quae sic sunt creata, ut agant libere, in illis conservat virtutem libere agendi. Hinc usitatum illud August. lib. 7. de civit. Dei c. 30: *Sic Deus administrat omnia, quae creavit, ut etiam ipsa proprios motus exercere sinat*, quod repetit et exponit Gerson lib. 2. de consolat. theol. prosa 4.

IV. 85. 2. 67. Aphorismus secundus: *Etsi providentia divina plerumque agit per media, tamen in illis non haereamus, sed ad causam primam semper respiciamus. Irritae enim sunt causae secundae, nisi juventur a Deo.* Psalm. 127, v. 1: *Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laborant qui custodiant eam.* Hoseae 2, v. 8. et 9: *Nescivit, quod ego frumentum ei dederim, ideo rursus auferam frumentum meum.* 1. Tim. 6, v. 17: *Divitibus praecipe, non sperare in incertitudine divitiarum, sed in Deo vivente, qui praebet ad fruendum abunde omnibus.*

3. 68. Aphorismus tertius: *Providentia divina etiam sine mediis extraordinarie potest opera sua exsequi.* Sic Moyses quadraginta diebus et quadraginta noctibus sine cibo conservatur. Defectus secundarum causarum facile potest suppleri a virtute primae, quippe quae est *αἴτιον αὐτοτελές.*

4. 69. Aphorismus quartus: *Positis causis secundis in actu nihilominus divina providentia effectum istum impedire ac mutare potest.* Tres velut in flamma testes Babylonide servat. Causae enim secundae non agunt sine influxu primae.

5. 70. Aphorismus quintus: *Potest divina providentia ex causis secundis alium effectum producere, quam ipsarum proprietas fert.* Sic ex petra produxit aquas; aquas instar petrae fecit stare; aquas in sanguinem convertit, imo et in vinum. Non alligatus est naturae legibus, naturae Dominus. Asina loquitur, fons ex asini maxilla scaturit, sol stat immobilis etc.

6. 71. Aphorismus sextus: *Bruta animalia non solum subjecta sunt divinae providentiae, sed etiam sive naturali instinctu sive quacunque alia ratione sentiunt et quodammodo fatentur sustentationem et conservationem divinam.* Psalm. 104, v. 27: *Omnia a te exspectant, ut des eis escam.* v. 21: *catuli leonum rugiunt, ut rapiant et quaerant sibi a Deo escam.* Psalm. 145, v. 15: *Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das illis escam illorum in tempore opportuno.* Psalm. 147, v. 9: *Qui dat jumentis escam ipsorum et pullis corvorum invocantibus eum.* Sic ergo rugitum leonum et crocitationem corvorum Scriptura duce interpretemur, quod a Deo sibi quaerant escam; deploremus simul extremam naturae nostrae corruptionem et mentis caliginem per lapsum introductam, per quam fit, quod animalia bruta melius quasi intelligunt divinam providentiam, quam humana ratio, sicut et Christus Matth. 5. aviculas magistros nostros constituit.

72. Cum in sustentatione et gubernatione naturae 7.
humanae duo potissimum emineant, videlicet vita et actiones hominum, quomodo in illis agat et concurrat divina providentia, uberius explicandum erit. Sit ergo aphorismus septimus: *Vitae humanae ingressus, progressus et egressus peculiariter divina providentia regitur.*

73. De miranda foetus in utero formatione ejusdemque in lucem editione, qui hominis in hunc mundum ingressus est, sic loquitur Scriptura Job. 10, v. 8: *Manus tuae* (o Deus) *plasmaverunt me et fecerunt me totum in circuitu.* v. 9: *sicut lutum fecisti me.* v. 19: *sicut lac me mulsisti et sicut caseum me coagulasti.* v. 11: *cute et carne vestivisti me, ossibus et nervis compegisti me.* Quo in loco verbis significantissimis foetus in utero formatio describitur. Convenit enim semini cum lacte materia et conditionibus et generationis modo et officinis, in quibus fiunt, et usu, ac ipsa prima embryonis formatio est coagulatio quaedam. Arist. 1. de gener. animal. 20: *οἷον ἐν τῇ τοῦ γάλακτος πήξει τὸ μὲν σῶμα τὸ γάλα ἐστίν· ὁ δὲ ὀπὸς ἢ πιτύα τὸ τὴν ἀρχὴν ἔχον τὴν συνιστῶσαν· οὕτω τὸ ἀπὸ τοῦ ἄῤῥενος ἐν τῷ θήλει μεριζόμενον.* Psalm. 22, v. 10: *Ex utero me extraxisti.* Psalm. 71, v. 6: *E visceribus matris meae tu eductor meus es.* Actor. 17, v. 25: *Ipse dat omnibus vitam et inspirationem.*

74. Vitae nostrae cursus et progressus ita a Deo regitur, *ut ne capillus quidem capitis citra ipsius voluntatem de capite nostro cadat* Matth. 10, v. 30. *Ipse est vita nostra et longitudo dierum nostrorum* Deuter. 30, v. 20. *Numerat gressus nostros* Psalm. IV. 86.
56, v. 9. *Jehovah, tu cognoscis sessionem meam et resurrectionem meam* Psalm. 139, v. 2; *iter meum et accubitum meum cingis* v. 3. *Divitem et pauperem facit Deus* Prov. 22, v. 2.

75. De egressu et exitu vitae sic loquitur Scriptura: *determinati sunt dies hominis* חֲרוּצִים, concisi, definiti, praecisi, LXX. *ἀριθμητοί*, *numerus mensium ejus apud te, Domine, constituisti terminos ejus, qui praeteriri non poterunt.* Job. 14, v. 5. *In libro tuo scripti omnes dies, qui futuri erant, et nondum unus exstabat ex illis* Psalm. 139, v. 16.

76. Repetendum autem hoc loco ex aphorismis praecedentibus, quod divina providentia nec tollat causas secundas nec ad eas sit alligata. Et sic facile patebit, quomodo recte intelligendum sit, quod

Conjugia quomodo fatalia.

dicitur, conjugia esse fatalia, ac certum cuique homini praefixum esse vitae terminum. Non enim haec intelligenda de absoluto quodam et causas omnes, tum naturales, tum voluntarias excludente decreto; sed divina providentia causarum naturalium activitatem et voluntatis humanae libertatem includit: quin etiam respiciendum hac in parte ad obedientiam ac inobedientiam hominis erga Deum, quarum illa felici conjugio, prosperitate ac μακροβιότητι ordinarie remuneratur; haec vero conjugio infelici, adversitatibus et βραχυβιότητι ordinarie punitur. Proverb. 19, v. 14: *Uxor prudens a Domino.* Eccles. 25, v. 3: *Uxor proba dabitur illis, qui timent Dominum.* Exod. 20, v. 12: *Honora patrem et matrem, ut sis longaevus super terram.* Psalm. 55, v. 24: *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos.*

77. Has tamen promissiones et comminationes divinas cum exceptione crucis et cum privilegio propter causas justissimas extraordinarie agendi Deo insuper relicto accipiendas esse statuimus. Quandoque Abigaëli obtingit Nabal, quandoque Josias aliquis moritur in primo vernantis flore juventae.

De termino vitae.

78. Proinde quando quaeritur de vitae humanae termino, distinguendum primo omnium inter mortem simpliciter et absolute consideratam atque inter horam et genus mortis. Mors ipsa post lapsum homini juxta ordinarium naturae corruptae statum ac cursum est necessaria. Hebr. 9, v. 27: ἀπόκειται, *statutum ac definitum est hominibus semel mori.* Si de genere et hora mortis quaeratur, cavendum erit, ne vel in Scyllam Epicureae temeritatis vel in Charybdin Stoicae necessitatis immergamur.

79. Horam et genus mortis unicuique DEUS constituit, non tamen absoluto et causas secundas omnes excludente decreto, siquidem idem Deus, qui vitae terminum constituit, idem multiplicationem annorum et beatam vitae clausulam piis promittit, idem piorum preces pro sanitate et μακροβιότητι consequenda effusas saepius exaudivit, idem media recuperandae sanitatis naturalia condidit, iisdemque, si praesto sint, uti praecepit, idem impiis justo judicio annorum diminutionem est minatus.

80. Hac de re ita disserit August. 5. de Gen. ad lit. c. 17: *Multa secundum inferiores causas futura sunt, sed si ita sunt, et in praescientia Dei vere futura sunt: si autem ibi aliter sunt, ita potius futura sunt, sicut ibi sunt, ubi qui praescit, falli non potest. Nam futura dicitur senectus in juvene, sed tamen futura non est, si ante moriturus est, hoc autem erit, sicut se habent aliae causae sive in mundo contextae sive in Dei praescientia reservatae. Nam secundum quasdam futurorum causas moriturus erat Ezechias, cui Deus addidit quindecim annos ad vitam, id utique faciens, quod ante mundi constitutionem se facturum esse praesciebat et in sua voluntate servabat. Non ergo id fecit, quod futurum non erat, hoc etiam magis erat futurum, quod se facturum esse praesciebat; nec tamen illi anni additi recte dicerentur, nisi quid adderetur, quod sese aliter in aliis causis habuerat, secundum aliquas igitur inferiores causas jam vitam finierat, secundum illas autem, quae sunt in voluntate et praescientia Dei,* IV. 87.
qui ex aeterno noverat, quod illo tempore facturus erat, et hoc vere futurum erat, tunc erat finiturus vitam, quando finivit vitam, quia sic oranti concessum est, etiam sic eum oraturum, ut tali orationi concedi oporteret, ille utique praesciebat, cujus praescientia falli non poterat, et ideo quod praesciebat, necessario futurum erat.

81. Ex hoc loco Augustini desumsit Lyranus distinctionem, qua utitur in comm. Job. 14. Constitutio termini istius (inquit) dupliciter intelligi potest: uno modo, *prout est in divina ordinatione,* et sic termini vitae hominis praeteriri non possunt anticipando vel differendo, quia ejus providentia est infallibilis; alio modo, *ut est in effectu exteriori,* in quantum ex naturalibus causis est periodus certa vitae hominis et in aliquibus major et minor secundum varietatem complexionis, et secundum hoc termini vitae possunt anticipari per malum regimen, gladium, vel aliam occasionem.

82. Ostendimus hactenus, quo modo in genere res creatas divina providentia sustentet et gubernet; videamus quomodo specialiter in actionibus hominum eadem concurrat. Sit ergo aphorismus octavus: 8.
Aliter concurrit divina providentia ad actiones hominum bonas, aliter ad malas. Cum vero actiones bonae aliae sint civiliter bonae, aliae vero spiritualiter bonae, de utrisque distincte est agendum.

83. In actionibus civiliter bonis ita concurrit divina providentia, ut non solum sustentet naturam agentem ac vires agendi largiatur, sed etiam actiones eas praecipiat, probet ac juvet; interdum ad illas homines etiam non renatos peculiariter excitet, easque praeter intentionem illorum, a quibus fiunt, ad fines utiles transferat. Sic regem Cyrum *vocasse* dicitur Deus *ejusque dextram apprehendisse* Esa. 45, v. 1. et 3.

84. Actiones spiritualiter bonas ita praecipit ac probat Deus, ut per Spiritum sanctum eas ipse efficiat ac operetur, *cum alias ex nobis tanquam ex nobis non simus idonei aliquid horum cogitare, nedum facere* 2. Cor. 3, v. 5. Postquam autem Spiritu sancto renati simus, ita agimur, ut etiam agamus, id est voluntas hominis per vires non naturae, sed Spiritus s. gratia sibi concessas συνεργεῖ et est instrumentum activum sive cooperativum; qua de re plura in loco de viribus liberi arbitrii dicemus.

85. Malas vero actiones Deus nec praecipit nec vult nec adjuvat nec ad eas impellit. Quomodo autem in illis concurrat divina providentia, ita ut non constituatur Deus earum otiosus spectator, distincte explicandum erit.

CAPUT IX.

QUOMODO CONCURRAT DIVINA PROVIDENTIA IN MALIS HOMINUM ACTIONIBUS.

Concurrit divina providentia in malis actionibus: 1. Praesciendo. 2. Naturam sustentando.

86. Dicimus ergo in malis actionibus concurrere Deum primo *praesciendo*, vel potius sciendo ac videndo, *nihil effugit oculos ejus sole clariores* Ecclesiast. 23, v. 28. c. 39, v. 24: quae tamen praescientia absolutam aliquam necessitatem malis actionibus non affert, ut paulo superius ostendimus.

87. Deinde concurrit in his divina providentia *naturam sustentando*, *in ipso enim movemur* Act. 17, v. 28. Est autem stupenda Dei longanimitas, quod sustentet membra, conservet vires ac motus in illis etiam actionibus, in quibus summa afficitur contumelia, fit autem hoc propter Filii intercessionem, et haec Dei *bonitas invitat ad poenitentiam*. Si enim statim exstingueremur, quando peccamus, non possemus ad poenitentiam redire Rom. 2, v. 4, deinde si homo secundum cor impoenitens cumulat iram Dei, ideo sustentatur, ut Deus magnitudinem irae suae adversus peccatum in poenis postea ostendat ad gloriam justitiae divinae Exod. 9, v. 16.

IV. 88–96 [sic.]

Aliud actio ipsa, aliud actionis vitium.

88. Distinguendum autem accurate inter motum seu actionem ipsam et actionis vitium. Actio ut actio non est peccatum, alias omnes actiones essent peccata, sed vitium et defectus in actione est peccatum. Vitium vero istud et defectus non est a causa universali, sed ad causa proxima, videlicet hominis voluntate. Thom. 1. 2. q. 79. art. 1: *Effectus causae secundae procedens ab ea, quatenus subditur ordini causae primae, reducitur ad causam primam, sed defectus causae secundae quatenus exit ordinem causae primae, non reducitur ad causam primam.* August. in lib. de perfectione justitiae id declarat exemplo claudicationis, quae non oritur a virtute motiva animae, sed a luxatione tibiae. Biel. 1. sent. dist. 47. q. un. subtiliter distinguit inter hos terminos *malum facere et facere malum*, sed nolumus eum sequi.

89. Peccatum est *defectus potius ab opere DEI ad sua opera, quam opus aliquod.* August. 14. de civit. Dei c. 11: *Hinc non tam efficiens, quam deficiens ejus causa quaerenda.* Idem 12. de civit. Dei c. 7. Deus autem cum sit summus et purissimus actus, deficere nulla ratione potest, proinde dicere Deum causam peccati est negare eum esse primam et perfectissimam causam; quod enim defectum producit, id in causando deficit, quod deficit, perfectum non est, nec infinitae virtutis.

3. Permittendo.

90. Tertio igitur concurrit divina providentia in malis actionibus eas *permittendo.* Non enim vult Deus peccatum et tamen non impedit, quae est ipsa permissio. Quamvis vero permittat volens non invitus, tamen permissio et voluntas ad diversa tendunt objecta, permissio refertur ad peccatum ipsum, voluntas ad finem utilem, quem pro sua sapientia ex illo novit educere. Pertinent huc, quae disputat Rupertus Tuitiensis de vol. Dei c. 3. *quod aliud sit velle aliquid fieri, aliud velle permittere, ut aliquid fiat.* Item, quae Lombardus disputat ex August. lib. 1. sent. dist. 45 et 46. *quod permissio actum negativum non volendi propria importet.*

91. Accurate hoc loco notandum, quod ipsa Scriptura hanc explicationem nobis subjiciat. Rom. 1, v. 24: *Deus tradidit gentes in reprobum sensum,* id explicatur Act. 14, v. 16: *permisit eas ambulare in viis suis.* Sic quod dicitur Deut. 28, v. 28: *Percutiet te Jehova caecitate et stupore cordis*, id explicatur Hose. 4, v. 16: *Sicut vitula rebellis rebellavit Israël, nunc pascit eos Jehova, tanquam agnum in latitudine.* v. 17: *Particeps simulacrorum Israël, dimitte illum.* Sic, quod 2. Thessal. 2, v. 11. dicitur: *Mittet illis Deus efficaciam errorum*, id explicatur ab Asaria 2. Paral. 15, v. 2: *Jehova vobiscum, cum fueritis cum eo, et si quaesiveritis eum, invenietur a vobis; si vero dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Sic, quod dicitur Matth. 6, v. 13: *Ne inducas nos in tentationem*, id explicatur Jac. 1, v. 14: *nemo cum tentatur, dicat se a Deo tentari, sed unusquisque tentatur a propria concupiscentia.* Quomodo vero concurrit Deus? 1. Cor. 10, v. 13: *Fidelis Deus, qui non sinet vos tentari supra vires.* Psal. 81, v. 13: *Non paruit populus voci meae, et Israël noluit mihi*, dimisi igitur eos fortitudini cordis eorum.

92. Pertinet huc dictum Hugonis de S. Victore libr. de Sacram. part. 2. c. 19: *Providentia operatur in suo et alieno; in suo, quod fecit, in alieno, quod promisit.* Augustinus in Enchir. c. 94: *Non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo. Nec dubitandum est, Deum facere bene, etiam sinendo fieri quaecunque fiunt male.* Referendi etiam huc septem modi vel potius causae finales permissionis divinae, quas ex Nemesio recenset Damascenus 2. orth. fid. c. 31: 1. cum Deus aliquando justum sinit exerceri aerumnis, ut virtutem in eo latentem aliis manifestam faciat, exemplum est in Jobo; 2. cum per absurdam turpemque actionem salutare aliquid efficit, ut quando ex Filii sui morte turpissima salutem hominis operatur; 3. quando adversitatibus subjicit quenquam, ne extollatur, cujus exemplum in apostolo 2. Cor. 12, v. 7; 4. quando aliquos sinit incidere in extrema sive corporis sive animi in admonitionem aliorum, ut ruina praecedentium sit admonitio sequentium; 5. ubi permittat aliquem vel morbo vel alia affici calamitate, ob gloriam nominis sui, exemplum in caeco Joh. 9, v. 3; 6. ubi Deus sinit extrema quosdam pati ad aemulationem aliorum, ut similis in aliis accendatur constantia et patientia, exemplum est in martyribus; 7. cum sinit Deus labi homines in peccata absurdasque actiones, ut alii ipsorum affectus corrigantur. Hactenus Damascen. interprete D. Pelargo viro πατρικῶς doctissimo in Comment.

IV. 97. Causae et modi permissionis divinae.

4. Deserendo.

93. Quarto concurrit divina providentia in malis actionibus *deserendo.* Ubi tamen monemus, hunc modum non procedere in primo Adae peccato, quia, ut recte docet Augustinus: *desertio non fuit causa*

lapsus Adamici; sed lapsus est causa desertionis. In reliquis autem hominum peccatis hoc modo divina providentia concurrit. Quando enim homo resistit Spiritui sancto et ruit in scelera, Deus gratia sua hominem deserit vel etiam datam subtrahit. Sic postquam Saul projecisset verbum Jehovae (1. Sam. 15, v. 26), *recessit Spiritus Jehovae* ab eo (1. Sam. 16, v. 14). Sic Esaiae 5. referuntur varia beneficia, quae Deus vineae suae, id est ecclesiae. praestitit. *Quid faciendum erat vineae meae, et non feci in ea?* v. 4. Cum vero loco uvarum ferret labruscas, dixit Deus: *removebo sepem ejus* v. 5. *Ponam eam in desolationem et mandabo nubibus, ne pluant super eam pluviam* v. 6.

94. Inde est quod Suidas, Phavorinus et Damascen. 2. orth. fidei c. 31. dicunt: *ἡ πρόνοια γίνεται κατ' εὐδοκίαν in bonis, κατὰ συγχώρησιν in malis.* Theophyl. super Rom. declarat hanc divinam desertionem exemplo medici, qui propter incorrigibilem aegroti intemperantiam a curatione desistit nec tamen mortis est causa. Chrysost. hom. de Adamo et Eva utitur similitudine ducis, qui videns milites temerario ausu se hostibus objicere, abit et se quasi subtrahit. Theodor. super 1. Rom. adhibet exemplum navarchae, qui cymbam absque rectore ferre sinit. August. de nat. et grat. c. 23: *Deus neminem ad ista cogit, sed dignos deseri tantum deserit.* Idem sermon. 88. de tempor.: *Nunquam Deus deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur, semel, secundo et tertio gravia peccata committente, et Domino illum nihilominus exspectante.* Fulgent. lib. 1. ad Monim. c. 13: *Juste deseritur a Deo, qui deserit Deum, et quia deserens Deum homo peccat, deserens peccatorem Deus justitiam servat.* Prosp. in respons.: *Gratia Dei prius eos non deseruit, quam ab eis desereretur.* Macar. homil. 4: *Quae deficiunt a Deo, ab eo deseruntur.*

95. Damascen. 2. orth. fidei c. 31. ex Nemes. de nat. hom. c. ult. duas constituit desertionis species, alteram vocat *οἰκονομικὴν καὶ παιδευτικήν, dispensativam et correctoriam*, cum salutis et correctionis causa inque laudem nominis sui interdum fideles deserit quemadmodum Christus se derelictum conqueritur Psalm. 22, v. 1; alteram nominat *τελείαν καὶ ἀπογνωστικήν*, cum Deo universa, quae ad salutem sunt, faciente incorrigibilis et immedicabilis vel insanabilis manet homo justoque Dei judicio deseritur a superna gratia, quemadmodum Spiritus Domini recessit a Saule 1. Sam. 16, v. 14. cap. 28, v. 15. Elias Cretens. comment. Nazianz. in orat. secund. de Filio quatuor modos desertionis constituit, [inter quos duo priores modi videntur potius ad causas finales referendi] primus sit causa explorationis, ut in Jobo et Josepho, quo ille tanquam fortitudinis, hic castitatis columna fieret; alter ad castigationem paternam, ut in apostolo, quo semet ipsum demittendo et humiliando summam illam gratiam conservaret; tertius per aversionem, ut in Judaeis, quo compuncti ad patientiam flecterentur. Supra hos omnes restat modus ille desertionis in administratione Domini pro genere humano, ut per illam, quae videretur esse desertio, nos prius deserti, deinde recepti per incarnationem Christi cruciatibus ejus salvemur. Hugo super Psal. 21. Dominus derelinquere dicitur vel negatur: 1. exponendo culpae, ut Psal. 37, v. 28: *Non derelinquet sanctos suos;* 2. exponendo poenae, Esa. 54, v. 8: *Ad punctum in modico dereliqui te;* 3. non apponendo gratiam vel subtrahendo eam, Esa. 50, v. 1: *Quisnam iste liber repudii matris vestrae, quam dimisi;* 4. suspendendo flagella, Ezech. 16, v. 42: *Requiescere faciam iram meam in te, et recedet zelus meus a te;* 5. poenae aeternae tradendo, 1. Paral. 28, v. 9: *Si dereliqueris eum, projiciet te in aeternum.*

96. Quinto concurrit Deus in malis actionibus *Satanae tradendo.* Deus enim tanquam justus judex homines a se aversos diabolo tanquam executori divinae justitiae tradit, a quo ad varia scelera impelluntur. Sic, quod Ezech. 14, v. 9. dicit Dominus: *Propheta cum seductus fuerit et locutus fuerit verbum: Ego seduxi eum*, id explicatur Jerem. 14, v. 14: *Falso vaticinantur in nomine meo, non misi eos nec praecepi eis nec locutus sum ad eos, seductionem cordis sui prophetant.* Quomodo autem Deus tanquam justus seduci permittat, exponitur 1. Reg. 22, v. 20: *Dixit Jehova, quis decipiet Achab?* v. 21: *Tunc egressus est Spiritus, qui stetit coram Jehova et ait: ego decipiam eum;* v. 22: *Ero Spiritus mendacii in ore omnium prophetarum. Dixit ergo Deus. Decipies et praevalebis, et fac ita,* v. 23. Hac ratione dedit Jehova Spiritum mendacii in ore illorum prophetarum. Sic quod 2. Sam. 24, v. 1. dicitur: *Furor Domini incitavit Davidem, ut numeraret populum*, id explicatur 1. Paral. 21, v. 1: *Consurrexit Satan contra Israël et incitavit David.* 5. Satanae tradendo.

97. Sexto concurrit divina providentia in malis actionibus *metas praefiniendo.* Saepe enim in medio impietatis ac scelerum cursu metas objicit impiis. Esa. 8, v. 10: *Consultate consilium, et dissipabitur, loquimini verbum, et non stabit, quia hic Emanuel.* Pulcerrimum hujus rei exemplum in historia Jobi. Nec Satanas nec ejus organa quippiam damni nobis inferre possunt, Deo id non permittente. Augustin. lib. 11. de Gen. at liter. c. 27: *Tentandi voluntatem habet diabolus* [sicut impii nocendi] *sed nec ut faciat, nec quomodo faciat, in ipsius potestate est.* Gerson de consol. Theol. lib. 3. pros. 4: *Tenet Deus ligatum leonem infernalem, ne furiat* (furorem suum in nos effundat), *quemadmodum vellet.* Auctor continuitatis discursus Gallici p. 7. pulcerrime: *Solet Deus hominum adeoque magnatum consiliis illudendo ea in contrarium plane finem praeter omnem exspectationem convertere. Festinat gnomon debilibus fretus libramentis ad horam et momenta sua, quae si digito movere horologii magistro visum est, in alteram circuli extremitatem inclinatur.* 6. Metas praefiniendo.

98. Septimo concurrit Deus in malis actionibus *bonum ex illis eliciendo.* Pulcerrimum hujus rei exemplum Esa. 10, v. 5: *Assur est virga furoris mei, dicit* 7. Bonum ex eis eliciendo.

Dominus; sed v. 7: *ipse non sic existimabit, sed ad perdendum* (scilicet se missum putabit.) Mox vero v. 12: *Cum compleverit Dominus opus suum in Sion, visitabit super Assur* etc. Augustinus in Enchirid. c. 11: *Neque omnipotens Deus, cui summa potestas est, cum summe bonus sit, ullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret etiam de malo.* Idem Epist. 59. ad Paulin. fol. 301: *Nimis consilium Dei in abdito est, quo etiam malis bene utitur ad profectum bonorum, etiam in hoc mirificans omnipotentiam bonitatis suae, quia sicut illorum nequitiae est, male uti bonis operibus ejus; sic*
IV. 99. *illius sapientiae est, bene uti malis operibus eorum.* Idem repetit Epist. 141. ad Maxim. libr. 6. contra Faust. c. 21. tractat. 27. in Johan. in Ench. c. 96. 100. 101. etc. Clemens Alexand. libr. 11. Strom.: *Est maximum divinae providentiae argumentum non sinere, ut vitium, quod ex voluntaria defectione ortum est, maneat inconducibile et inutile, sed nec sit omnino noxium. Divinae enim sapientiae et virtutis et potentiae est officium, non solum bona facere, sed etiam illud maxime, ut id, quod per malos excogitatum est, ad bonum aliquem finem et utilem deducat, et utiliter iis, quae videntur mala, utatur.*

99. Sic venditionem Josephi convertit DEUS in bonum Gen. 50, v. 20. Sic crucifixione Christi ad generis humani salutem usus est, qua de re pulcre Leo serm. 16. de passione Domini: *Multum diversum multumque contrarium est id, quod in malignitate Judaeorum est praecognitum, et quod de passione Christi est dipositum, non inde processit voluntas interficiendi, unde voluntas moriendi, nec de uno exstitit spiritu atrocitas sceleris et tolerantia redemtoris. Non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit, nec praesciendo, quod futurum est, coëgit, ut facerent, cum tamen ad hoc ipsum carnem suscepisset, ut fieret.*

Quare Deus sinat homines peccare.

100. Pertinent huc octo illae rationes, quas collegit Damasc. 2. orth. fidei c. 31, quare Deus sinat homines peccare: 1. ut divina perfectio et excellentia ostendatur, quia solus Deus immutabilis; 2. ut ostendatur Dei sapientia et potentia, quae de malo scit et potest bonum elicere; 3. ut ostendatur DEI clementia et misericordia, qua venit peccatores salvos facere; *tolle morbos, tolle vulnera, nulla erit medicinae causa;* 4. ut ostendatur DEI justitia, quae non solum reddit bonis praemia, sed malis poenam; 5. ne homo videatur pejoris conditionis, quam aliae creaturae, quas DEUS ita administrat, ut eas propriis motibus agere sinat; 6. ut laudem aliqui consequantur, *laus viri justi est, quod potuit transgredi et non est transgressus.* Ecclesiast. 31, v. 10; 7. ut excitentur et purgentur homines per malos. Sap. 3, v. 6; 8. ut ostendatur decor universi ex contrariis juxta se positis. Haec Damascenus, qui recte ibidem addit de voluntate DEI ἑπομένῃ sive consequente haec intelligenda esse: vidit DEUS, hominem peccare velle, ergo permisit eum peccare; permisit ideo, quia haec bona ex peccato hominis elicere novit.

101. Referendus huc locus Gersonis de consol. theol. lib. 1. pros. 4: *Collaudandus est benignissimus et omnipotens Deus, qui malis nostris non solum non vincitur, sed ex eis operatur bonum nostrum. Sic enim dicitur omnia sub peccato conclusisse, supple permissive, ut omnium miseratur. Peccavit Petrus, humilior, cautior et misericordior effectus, non actione mali, sed miseratione Dei. Peccavit Magdalena, plus postea dilexit, quod multum sibi dimissum sit, et in exemplar poenitentiae caeteris cessit. Blasphemus fuit Paulus, confitetur humiliatus, quod non sit dignus vocari apostolus et sit inter peccatores primus* etc. Ex Gregor. libr. 26. Moral. c. 13. dicit Isidorus lib. 2. sent. c. 39: *Deus nonnunquam dejicit occultam mentis superbiam per carnis manifestam ruinam.*

102. In eandem sententiam pulcerrime scribit Anselmus lib. de mensuratione crucis lit. B: *Bonitas tua* [o Deus] *malis nostris novit bene uti, saepe faciens defectus nostros et augmentum humilitatis prodesse, ut verum sit, quod septies in die cadit justus et resurgit.* Savonarola super Psal. 31: *Nonne scribit apostolus diligentibus omnia cooperari in bonum? et adeo omnia, ut etiam ipsum peccatum eis cooperetur in bonum. Nonne eis ille casus cooperatur in bonum, unde et humiliores efficiuntur et cautiores?* D. Luth. super 20. Genes.: *Non solum mala passiva, quae nobis irrogantur, in bonum cadunt, sed etiam activa, quae nos ipsi facimus.* Ubi tamen accurate tenendum, non ex natura malorum per se, sed ex potentia et bonitate DEI illud fieri, id quod Spinaeus in libris de providentia hoc simili declarat: Quemadmodum videmus stercore, licet in se turpi et foetido, respersos agros pingues fieri et foecundari, et ex variis herbis et pharmacis medicos et pharmacopoeos optima ad- IV.
versus plerosque morbos remedia conficere, quae ex se alioquin essent mortifera: sic etiam Deus noster sua sapientia facit, ut peccata nostra, quae sua natura mortifera sunt, salutaria fiant illis, qui ex illorum agnita magnitudine sub manu Dei potentis humiliari et in illis sibi coram ipso displicere discunt, ejus se gratia et misericordia indigere, quibus illa tegantur et abscondantur agnoscentes. Thom. p. 1. p. 19. art. 9: *Malum non ordinatur ad bonum per se, sed per accidens, fit enim praeter intentionem peccantis.*

103. Exposuimus hactenus septem modos, quibus divina providentia circa malas hominum actiones occupata est; ex illis facile cognosci potest, quid respondendum sit ad argutiam illam, cui multum tribuit Beza part. 2. resp. ad colloq. p. 183: *Si dicitur Deus tantum permittere peccata, sequetur abnegatio specialis providentiae divinae, quasi vel multa fiant imprudente et non curante Deo, vel quasi Satanas moliri possit contra ecclesiam, quae ei libuerit, licet perficere non possit.* Respondemus: Permissio illa divina neutiquam sic intelligenda est,

ut per eam providentia Dei vel minima ex parte labefactetur, siquidem haec permissio non est imprudentis (cum peccata hominum norit Deus eaque non impediat, rationibus adductus sapientissimis, cum tamen impedire posset) neque est simpliciter inviti, si termino inviti intelligas τὸ βίαιον, (ut enim Deus neminem ad peccandum cogit, ita quoque nemo cogit Deum suis pecatis; improbat tamen ac detestatur DEUS peccata, ac proinde ea non velle rectissime dicitur et piissime creditur) neque est non curantis (cum DEUS malis actionibus metas praefiniat et bonum ex illis eliciat) neque est Satanicis molitionibus liberum campum aperientis (cum ne tantillum quidem vel moliri vel movere contra ecclesiam Satanas possit absque praevia Dei concessione); Thom. p. 1. q. 14. art. 16: *mala licet a DEO non sint operabilia, tamen cadunt sub cognitione ejus practica, in quantum permittit vel impedit vel ordinat.*

104. Declarat id doctissimus Dn. Chemnicius theologus incomparabilis hisce verbis part. 1. Exam. Conc. Trid. p. 209: *Permissio Dei non intelligenda est, quales tyrannorum permissiones, quae conjunctam habent voluntatem vel adjuvantem vel approbantem scelera; nec ita intelligenda est, quasi Deus plane non curet, quando homines perpetrant scelera; nec permissio illa ita est libera et soluta, ut plane non sit subjecta providentiae divinae: Deus enim licet non velit nec adjuvet nec efficiat peccatum, determinat tamen metas, quousque et quamdiu sit permissurus, quando et ubi sit repressurus impios, multas impiorum cogitationes et consilia impedit, conatus invertit ac reprimit, vel proper ecclesiam, vel ut ipsi sibi exitium accersant. Saepe etiam malitia illa, quae ab ipsa hominum mala voluntate oritur et a diabolo inflammatur, Deus utitur ad irrogandas meritas poenas illis, quos justo suo judicio vult visitare; pessima etiam impiorum consilia et perniciosissimos conatus Deus ecclesiae et piis saepe vertit in bonum, saepe etiam peccata sunt poenae peccatorum*, etc. Inde Augustinus passim asserens peccata fieri DEO sinente, permittente, deserente, lib. 5. contra Julian. c. 3. addit, *sive alio quocunque modo explicabili, sive inexplicabili modo maneat, Deum esse justum et bonum*, hoc est *non esse causam peccati.*

An Deus peccatorum sit ordinator.

105. Explicanda hic est quaestio, *an Deus sit peccatorum ordinator dicendus.* Disputat hac de re Augustinus lib. 1. de ordine c. 7, ubi introducit Trigetium sic argumentantem: *Si mala ordine continentur, et ipse ordo manat a summo Deo atque ab eo diligitur, sequetur, quod et mala sint a Deo et quod mala Deus diligat;* cui respondet Licentius: *Non diligit Deus mala, nec ob aliud, nisi quia ordinis non est, ut Deus mala diligat; ordinem ideo multum diligit, quia per eum non diligit mala: at vero ipsa mala, quae possunt non esse in ordine, cum DEUS illa non diligat, nam iste ipse est malorum ordo, ut non diligantur a Deo. An parvus rerum ordo tibi videtur, ut et bona Deus diligat et non diligat mala? ita nec praeter ordinem sunt mala, quae non diligit Deus, et ipsum tamen ordinem diligit, hoc ipsum enim diligit diligere bona* IV. 101.
et non diligere mala, quod est magni ordinis et divinae dispositionis etc. libr. 11. de civit. Dei c. 18: *Neque DEUS ullum, non dico angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse praescisset, nisi pariter* (al. *prior*) *nosset, quibus eos bonorum usibus commodaret, atque ita ordinem seculorum tanquam pulcerrimum carmen etiam ex quibusdam quasi antithetis honestaret.* lib. 14. de civit. Dei c. 26: *Omnipotenti Deo summo ac summe bono creatori omnium naturarum, voluntatum autem bonarum adjutori ac remuneratori, malorum autem relictori ac damnatori, utrarumque ordinatori non defuit utique consilium* etc.; ejus contrarium videtur dicere 1. confess. c. 10: *Domine Deus, qui es creator et ordinator omnium rerum naturalium, peccatorum tantum non ordinator;* et ad art. sibi falso impos. art. 10. *peccatum Deus punit, non disponit.* Quomodo hoc ἐναντιοφανὲς in Augustino, adeoque res tota explicanda?

106. Utamur hac distinctione. Ordinatio ratione objectorum statuenda duplex: vel enim ordinamus ea, quae nos ipsi fecimus, vel quae alii fecerunt. Prioris ordinationis exemplum in genesi, posterioris in analysi logica. Deus non est ordinator malarum voluntatum, scilicet modo priori, quasi ipse earum sit auctor; interim tamen inordinatas illas malas voluntates ad ordinem universi atque ad finem bonum reducit. Pulcre Aeneas Gazaeus: *Ipse avarus non quidem recto fertur ordine, at perversum avaritiae ordinem Deus in ordinem atque in vitam reducit, idque ceu artifex optimus. Ergo injuria ei, qui fecerit, imputatur ceu peccatum, ei vero, qui passus fuerit injuriam, saluti potius est quam damno.*

CAPUT X.

DEUM NON ESSE CAUSAM PECCATI.

107. Quamvis vero enumeratis septem modis divina providentia in malis actionibus hominum concurrat, tamen peccatum ipsum, quatenus tale, Deus nec vult nec praecipit nec probat nec juvat, multo minus homines ad id cogit aut impellit aut immutabili aliquo decreto necessitatem peccandi eis affert. *Non est Deus volens iniquitatem* Psalm. 5, v. 5. *Quae in mundo sunt, vel ut concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et fastus vitae, non sunt ex Patre* 1. Joh. 2, v. 16. *Abominatio Jehovae est omnis faciens iniquitatem* Deut. 25, v. 16. *Omnia ista sunt, quae odi, dicit Dominus* Zachar. 8, v. 17. *Jam vero Deus nihil eorum, quorum est causa, abominatur* Sap. 11, v. 25.

Deus non est causa peccati.

Lux est Deus, et tenebrae non sunt in eo 1. Joh. 1, v. 6. *Peccata autem sunt opera tenebrarum* Rom. 13, v. 12. Deus est essentialiter et invariabiliter bonus; quo sensu dicitur *solus bonus* Marc. 10, v. 18. Sed tale bonum nullo modo potest esse mali causa. Non ergo dicit peccans: ego impulsu Domini feci, *non enim ei necessarii sunt homines impii*, Eccles. 15, v. 12; *nemini mandavit impie agere et nemini dedit licentiam peccandi* v. 21. Sophon. 3, v. 5: *ὁ κύριος δίκαιος οὐ μὴ ποιήσει ἄδικον.*

108. Scriptura de causa peccati disserens constituit eam in diaboli seductione et hominis a Deo aversione, nuspiam vero ad absconditam aliquam Dei ad peccata impellentis voluntatem nos deducit. Joh. 8, v. 44: *Diabolus cum mendacium loquitur, ἐκ τῶν ἰδίων, ex propriis, loquitur.* Rom. 5, v. 19: *Per unius παρακοήν, inobedientiam, peccatores constituti sunt multi.* 2. Cor. 11, v. 3: *Serpens seduxit Evam.* 1. Joh. 3, v. 10: *Omnis, qui peccatum facit, ex diabolo est.* Sap. 2, v. 24: *Invidia diaboli* (peccatum et) *mors intravit in mundum.* Contra vero DEUS, summum illud et perfectissimum bonum, peccata odit, prohibet, *μακροθύμως* peccatorum conversionem exspectat, vult hominum conversionem, pretiosissimum *ἀλεξιφάρμακον* in morte Filii contra peccata paravit, denique impoenitentes peccatores aeternis poenis adjudicat, quo igitur ore, qua fronte dici potest, Deum peccata velle aut ad ea impellere? Certe illius rei Deus non est auctor, cujus est ultor.

109. Quin imo, quod probe observandum est, ipsum malum poenae, quod tamen proprie et accu-
IV. 102. rate loquendo non est malum, etsi sit a Deo, tamen ejus causa prima et originaria non est in Deo, sed in nobis ipsis; bonitatem suam communicare, misereri et parcere proprium est Dei opus, sed malum poenae infligere est *opus* ejus *alienum*, Esa. 28, v. 21. Pulchre Bernhardus serm. 5. in die natal. col. 60: *Bene dicitur Pater misericordiarum, cui proprium est misereri semper et parcere. Quod miseretur, proprium est illi, ex se enim sumit materiam et velut quoddam seminarium miserendi; quod judicat et condemnat nos, eum quodammodo cogimus, ut longe aliter de corde ipsius miseratio, quam animadversio procedere videatur, miserendi causam et originem sumit ex proprio, judicandi et ulciscendi magis ex nostro.* Gerson. in lib. de remed. pusillanim: *Juxta verissimam Chrysostomi sententiam Deus quasi dolet, cum hominem propter suam justitiam damnare debet propter hominis injustitiam.* Proinde recte statuitur, in ipsis poenis etiam Dei misericordiam elucere: 1. quia donat praemia ultra condignum, sed infligit poenas infra condignum, gladium irae miserationis oleo semper exacuit; 2. *quia non in sempiternum repellit, etiamsi affligit, tamen etiam miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum, non enim excruciat homines ex corde suo et affligit filios hominum*, Thren. 3, v. 31. 32. 33; 3. quia ideo punit, ut homines conversi bonitatis suae participes fieri possint. Prosper in Epigr. super sentent. August.: *Nulla DEI opera misericordia vacant, quando homini et indulgentia consulit et flagello.* Inde Augustinus 3. de liber. arbitr. c. 25. Dei castigationes dicit esse *magis emendatorias, quam interfectorias*, siquidem ideo *corripit DEUS, ut emendet, emendat ut servet*, ut loquitur Cyprianus libr. 4. epist. 4. Quod si ergo malum poenae primam et originariam causam in nobis ipsis habet, (siquidem Deus non est ultor, nisi homo prius sit peccator Thren. 3, v. 39: *Quid murmuravit homo vivens? cur non potius murmurat pro suis peccatis?)* quanto minus malum culpae Deo summo isti et perfectissimo bono, a quo non potest procedere nisi bonum, asscribi poterit?

110. Hinc Patres non solum egregiis sententiis, sed etiam integris tractatibus docent, Deum nullo modo esse peccati causam. Basilius integram orationem scripsit, *quod Deus non sit auctor peccati.* Chrysost. in Acta apost. homil. 23. dicit, *satius esse sexcenties defodi, quam Deum per nos talia audire, quod nobis sit malorum auctor.* Augustin. ad art. sibi falso impositos art. 10. dicit, *esse detestandam et abominandam opinionem, quae credit Deum cujusquam malae actionis aut voluntatis auctorem esse.* art. 13: *Si a justitia et pietate quis deficit, suo in praeceps fertur arbitrio, sua concupiscentia trahitur, sua persuasione decipitur; nihil ibi Pater, nihil Filius, nec Spiritus sanctus; nec in tali negotio quicquam divinae voluntatis intervenit, cujus ope scimus multos ne laberentur retentos, nullos autem ut laberentur impulsos.* art. 14: *Non fieri potest, ut per quem a talibus* (peccatis) *surgitur, per eum in talia decidatur* etc. Talia hujus generis dicta occurrunt in Scriptis patrum longe plurima.

Veterum sententiae de causa peccati.

111. Absint igitur a piis mentibus *φορτικὰ* illa *ἀκούσματα*: *Deus movet latronem ad occidendum innocentem etiam et imparatum ad mortem*, Zwing. tom. 1. fol. 366. de Provid. c. 6. *Providentia divina Esavum in hoc creavit, ut viveret atque impie viveret*, Idem in Elench. contra Catabapt. part. 2. fol. 36. *Deus praescivit, quem exitum habiturus esset homo, antequam ipsum conderet, et ideo praescivit, quia decreto suo sic ordinavit*, Calvinus 3. instit. c. 23. sect. 7. *Cum tam bona quam mala fiant, tam in his, quam in illis necessario haec tria conjungi oportet, Dei videlicet aeternam praescientiam, cum ipsius immutabili voluntate et decreto*, Beza p. 2. respons. ad colloq. p. 152. *Dei ordinatione Adamus in peccatum fuit lapsus. Quid enim opus tergiversationibus? Si simpliciter Deus noluisset eum peccare, non peccasset, quasi vero invito Deo aliquid fiat? Occasionem illi dedit peccandi, dum legem tulit, quam sciebat ipsum non servaturum. Creavit serpentem et diabolum, qui eum tentarent: dedit ei uxorem, quae illum alliceret, denique permisit eum suo arbitrio male uti:* IV. 103.
quomodo igitur dici potest, Adamum esse lapsum citra DEI ordinationem ac praedestinationem? Fatemur ergo factum fuisse DEI consilio ac volun-

Sententiae Calvinianorum.

tate, ut Adamus lapsus sit etc. Zanch. lib. 5. de nat. Dei c. 2. p. 690. *Deus inclinat et impellit voluntatem impiorum ad gravia peccata*, Martyr. in epist. ad Rom. fol. 38. *Si quis videt caecum impingentem nec posse non cadere, si ei suam manum porrigat eumque regat, nolit autem ille manum suam caeco praebere et patiatur eum cadere, obsecro, quis non dicat, eum casum hujus caeci voluisse ejusque causam fuisse? jam Deus hoc amplius peccati mei causa est, quam ille, qui negat caeco ducatum, causa est, ut cadat caecus, quod DEUS in utero matris meae cum hac perversitate ingenii mei atque peccandi necessitate me condidit atque formavit*, Martin. Bucerus super 1. Rom. Plura in hanc sententiam ex scriptis eorum, qui Calvinum sequuntur, huc afferri possent, sed remittimus lectorem ad ipsos auctores.

112. Quid ad argumenta, quibus ἀτόποις καὶ φορτικοῖς hisce pronuntiatis fucum facere conantur, respondendum sit, postea ostendemus, hac vice examinandae prius sunt exceptiones, quas opponunt Scripturae dictis et argumentis pro nostrae sententiae confirmatione adductis.

Exceptiones contra nostra argumenta: 1. Distinctio inter voluntatem occultam et revelatam.

113. Dicunt ergo quidam, *Scripturae dicta, quae asserunt Deum non velle peccatum, intelligenda esse de voluntate revelata seu signi, non autem de voluntate occulta seu beneplaciti.* Ita Zanch. 3. de nat. Dei c. 4. Zegedin. in locis p. 232. et novissime Bucanus loco 14. p. 135. Respondemus: hac ratione statuuntur contradictoriae in Deo voluntates, quod simplicissimae ejus naturae repugnat. Deinde distinctio haec non est theologica, quippe theologiae principium est verbum Dei, probent ergo ex verbo Dei illam arcanam voluntatem. Denique sic procedimus: si est alia voluntas signi, alia beneplaciti, quaero, quidnam signat illa voluntas signi? ideo certe dicitur voluntas signi, quia signat aliquid, et est signum voluntatis in Deo. Illud ergo, quod signat, aut consentiet cum voluntate signi, aut non consentiet; si prius, sequetur, quod Deus vult voluntate beneplaciti; si posterius, falso significabit, et sic falsum erit signum. Scimus quidem, Scholasticos hac distinctione usos esse, sed longe alio sensu, addunt enim esse *distinctionem non rerum, sed vocabuli.* Thom. p. 1. v. 19. art. 11. Biel 1. sent. dist. 45. qu. 1.

2. Deum non teneri lege.

114. Alii dicunt, *Deum non teneri lege, ideoque ejus respectu malas actiones non esse peccata.* Ita Zwingl. de provid. c. 6. Rennecherus in cat. p. 132. Respondemus: Etsi Deus non accipiat legem a superiore, tamen sua natura bonus ac justus est, atque hanc suam justitiam in lege tanquam in speculo quodam revelavit; hinc Dn. Philipp. dicit, quod *lex sit regula aeternae justitiae in Deo;* quod nobis lex, Deo est natura; ergo non agit Deus contra hanc suam naturam, alias *negaret se ipsum,* 2. Tim. 2, v. 3, et *mutaretur*, Malach. 3, v. 6. Cum ergo actiones quaedam malae sint per se malae, illae nulla circumstantia addita fieri possunt bonae, (ut etiam Aristoteles in Ethicis probat) tales DEO, qui est αὐταγαθόν, ipsissima bonitas et justitia, tribui non possunt. Dicit Zwinglius, *Deo non esse legem positam, quia justo non est lex posita;* hoc invertimus: justus, quatenus talis, non agit contra legem. Ergo nec Deus aget contra normam justitiae in lege revelatam. Praeterea, si malae actiones sunt peccata saltem ratione praecepti prohibitorii, sequetur, per se et sua natura nihil esse peccatum. Intelligi hoc potest ex collatione: Si magistratus quidam provincialis ratione circumstantiarum habita legem mere civilem promulgat, contra eam si ipse summus magistratus agat, proprie non peccat, quia saltem ratione mandati id erat malum, nemo autem sibi legem immutabilem scribit. Denique hac ratione peccata omnia erunt paria, quia eadem ratio prohibitionis tam in minimis quam in maximis.

3. Causam peccati in instrumento quaerendam. IV. 104—112 [sic.].

115. Excipiunt alii, *malas actiones esse peccata, quatenus a mala impiorum voluntate procedunt, et sic causam vitii esse in instrumento.* Beza p. 2. resp. ad colloq. p. 184. 185. Respondemus: Hoc non procedit in primo Adae peccato, cum voluntas ejus nondum esset corrupta. Deinde quaero, an illa mala hominis voluntas prima peccati causa? id non concedent, quia dicunt, Deum ad has vel illas actiones, etiam malas, homines impellere *efficacis decreti necessitate.* Dicunt quidem, homines sponte peccare, quia voluntarie peccant; sed tamen (quod probe notandum) addunt, voluntatem non nisi ad eam partem se flectere posse, ad quam Deus efficaciter eam flectit, etiamsi aptitudinem ad utrumlibet habeat, et sic determinationem motus spontanei a Dei decreto, non ab hominis voluntate suspendunt. Sic enim Beza p. 2. resp. ad colloq. p. 207: *Cum in alterutram partem habeant quoque flexibilem illam servilem et peccato mancipatam utrinque libertatem, itidem in eam semper partem sponte inclinant, quam Deus ab aeterno determinavit, prout etiam DEO visum est efficere, ut ipsi sponte ferantur efficaciam spiritui erroris et ipsorum concupiscentiis tribuenti.* Zanch. 5. de natur. Dei c. 2. p. 744: *Impii cum peccant, scientes ac volentes et cum delectatione peccant, ita ut si eos velis impedire, ne scelus admittant, mox tibi irascantur, quare, etsi non recte dixeris, eos cogi peccare, interim tamen non possunt aliud facere et ad id necessitate quadam ex Dei ordinatione constringuntur.*

4. Deum in peccatis agere bono fine.

116. Excipiunt alii, *malas actiones respectu Dei non esse peccata, cum fiant bono fine, ut suam exercere possit justitiam; homines autem incitari avaritia, ambitione, crudelitate ad illas.* Calvin. in instit. adv. Libert. c. 14. p. 89. Respondemus: Nec haec expositio locum habet in primo peccato, de quo potissimum hic quaerimus. Deinde quaero de ipsa illa inordinata hominis intentione, an a Deo sit, an a mala hominis voluntate? Prius coguntur dicere, si velint thesin φυλάττειν. Sic enim Beza in resp. ad Castell. aphor. 2: *Sic agit Deus per illa instrumenta, ut non tantum sinat per illa agere, nec tantum moderetur eventum, sed etiam excitet, impellat, moveat, regat atque adeo, quod omnium*

est maximum, *etiam creet*, *ut per illa agat*, *quod constituit.* Praeterea non omne, quod fit bona intentione, est opus bonum, ut patet exemplo Saulis 1. Sam. 15. Denique non omnia hominis peccata sunt ex mala intentione. Specie et apparentia alicujus boni pleraque peccata perpetrantur. *Nemo operatur ad malum respiciens*, dicebat Dionysius.

Scripturae dicta, quae ad causae suae defensionem proferunt. 117. Examinemus Scripturae dicta, quibus hunc suum furorem potius quam errorem palliare nituntur, ut ad veram dictorum istorum sententiam perveniamus. Quod enim attinet rationes, quibus conantur demonstrare, primos parentes efficacis decreti divini necessitate ad peccandum impulsos esse, illae diluentur in loco de lapsu primorum parentum, hac vice Scripturae testimonia, quae magno numero afferunt, ab ipsorum corruptelis vindicabimus.

1. Praeceptum de immolando Isaaco Gen. 22. *1. Praecipit DEUS Abrahae, ut immolaret filium Isaacum*, Genes. 22, v. 2. *Mactatio hominis innocentis erat utique peccatum.* Respondemus: 1. Moyses diserte addit, fuisse hanc *tentationem*, qua fidem et obedientiam Abrahae DEUS probare voluit; ideoque non permisit Abrahae, ut actu immolaret filium, sed idem qui jusserat ut feriret, vociferatus est, ut parceret. Scholastici dicunt, esse quoddam *praeceptum obedientiae*, cujus actum Deus velit, ut Exod. 20, v. 3. et seqq., quoddam *praeceptum probationis*, ubi Deus actum ipsum non velit, sed tantum ostensionem obedientiae, ut hoc loco; denique quoddam *praeceptum cautelae*, ubi Deus actum ipsum non prohibeat, sed tantum inanem gloriam, quae se actibus illis immisceat; 2. sed quia voluntatem Abrahae loco ipsius facti acceptavit Deus, ideo addendum, si vel maxime immolatus fuisset ex mandato Dei Isaacus, tamen nec Deum homicidam, nec Abrahamum parricidam fuisse, siquidem definitio homicidii facto isti non competeret, quod exemplo manifestum fieri potest. Si quis ex justo magistratus decreto occidit alterum, haudquaquam propterea homicida est censendus; eodem modo Abraham non fuisset homicida aestimandus, quia non ex propria auctoritate aut impulsu vitiosorum affectuum, sed mandato
IV. 113. summi regis, *coram quo nemo innocens est* (Exod. 34, v. 7) filium suum morti tradidisset.

2. Dei voluntate Josephus venditus Gen. 45. 118. 2. Gen. 45, v. 8. dicit Josephus ad fratres: *Non vestro consilio*, *sed Dei voluntate huc missus sum.* Et Gen. 50, v. 19: *Nolite timere; num Dei resistere possumus voluntati?* Ergo fuit Dei consilium et voluntas, ut Josephum fratres venderent. *Deus animos illorum*, *ut sic facerent*, *instinctu suo direxit; et ne aliter facerent cavit*, ut scribit Musculus super hunc locum. Respondemus: 1. Josephus ipsemet suam mentem recte declarat Genes. 50, v. 20: *Vos cogitastis de me malum*, *Deus autem convertit in bonum*, *sicut coram videtis*, *ut opera mea tempore famis vos conservaret vivos.* Gen. 45, v. 5: *Pro salute vestra misit me Deus ante vos in Aegyptum.* V. 7: *Praemisit me Deus*, *ut reservemini super terram*, *et vivificarem vos ereptione magna.* Ergo non excusat Josephus fratrum scelus, quasi divina voluntate et consilio illud perpetrarint, sed loquitur de mirabiliter gubernato missionis exitu, per quem sapientissimus et omnipotens Deus id, quod per se malum et detestandum erat, quodque ipsemet extreme oderat, in salutem multorum populorum convertit. Proinde Dei opus bonum cum opere hominum pessimo neutiquam commiscendum. Ambros. lib. de Joseph. c. 12: *Quam pia fraternitas*, *quam dulcis germanitas*, *ut etiam parricidale excusetur admissum*, *dicens divinae illud providentiae fuisse*, *non impietatis humanae*, *quandoquidem non ab hominibus oblatus ad mortem*, *sed a Domino missus sit ad vitam;* 2. posterior locus non est recte conversus; sic enim est in Hebraeo: כִּי הֲתַחַת אֱלֹהִים אָנִי *quia sub Deo ego*, Chald. *ego timeo a facie Dei*, LXX. *τοῦ θεοῦ εἰμὶ ἐγώ*, atque ita recte locum verti fatetur Calvinus. Sensus ergo est, timeo Deum et illi subjectus sum, ergo non abutar potentia mea ad nocendum vel malum pro malo vobis reddendum. Pagninus et Tremellius verterunt, *an loco Dei ego?* Aquil. *ὅτι μὴ θεός ἐγώ;* Symm. *μὴ γὰρ ἀντὶ θεοῦ εἰμὶ ἐγώ;* Schol, *καὶ γὰρ φοβούμενος θεὸν εἰμὶ ἐγώ.* Sensus erit, cum Deus remiserit vobis peccata vestra, utique nec ego vindicabo illatam injuriam.

3. Induratio Pharaonis Deo adscribitur. Exod. 4. 119. *3. Deus indurasse dicitur Pharaonem*, Exod. 4, v. 21. *Ergo interiorem cordis duritiem in eo operatus est.* Respondemus: de induratione prolixe et nervose tractat theologus praestantissimus D. Rungius in comment. super Exod. Ex quo quaedam huc referemus. Est quaedam durities naturalis, (Ezech. 36, v. 26), quae ex parte etiam in renatis adhuc reliqua est (Luc. 24, v. 25. Marc. 16, v. 14); alia acquisita, qua homines ea, quae alioqui vel naturaliter intelligere vel per Spiritus s. gratiam percipere poterant, quia id facere nolunt, Deo impietatem juste vindicante tandem non possunt; haec durities tribuitur *πρώτως* illis, quibus voluntas Dei in verbo patefacta, quorum quidam, initio per Spiritus s. operationem renati, postea resiliunt (Hebr. 6, v. 5. 6), quidam in coetu vocatorum nunquam fuerunt, sed verbo Dei sibi ipsis annuntiato furenter restiterunt; *δευτέρως καὶ κατ' ἀναλογίαν* tribuitur ethnicis, qui contra generalem Dei patefactionem in creatione et notitiis furenter ac sponte agunt, quae sciunt esse mala. Porro haec induratio tribuitur primo hominibus ipsis, qui agnitae veritati spontanea malitia sese contumaciter opponunt. Exod. 9, v. 34: *Pharao indurabat cor suum.* Deut. 10, v. 16: *Cervices vestras ne induretis amplius.* Jerem. 5, v. 3: *Induraverunt facies suas* etc. Deinde Satanae, qui quod impii sponte erant acturi, efficit ut impensius agant et fortius urgeant, 2. Cor. 4, v. 4: *Deus hujus mundi excaecavit cor incredulorum.* Tertio Deo, Exod. 4, v. 21: *ego indurabo cor Pharaonis etc.* Quarto prophetis et apostolis Esa. 6, v. 10. etc. Quomodo autem induret Deus, accurate explicandum est. Manichaei intelligebant hoc de malo Deo efficaciter operante habitum malitiae in cordibus hominum, hodie quidam disputant, Deum bonum efficaciter duritiem illam in cordibus operari, at hoc naturae Dei adversum penitus. Sic ergo habendum. Induratio potest tripli-

IV. 114. citer considerari, primo ut est peccatum maximum, secundo quatenus est causa aliorum peccatorum, his respectibus non tribuitur Deo, tertio quatenus est poena praecedentium peccatorum, et hoc respectu Deo tribuitur. Sed quomodo punit Deus induratione? non solum sustentat durum cor hominis, praescit ejus duritiem, homini contumaciter et furenter se opponenti subtrahit suam gratiam, permittit eum ferri suis cupiditatibus; sed etiam Satanae talem hominem tradit, a quo efficaciter induretur, ac homini in potestatem diaboli tradito offert verbum idque subinde inculcat, nec tamen aliud quicquam efficit, quam ut peccator fiat deterior, differt insuper poenas, qua Dei μακροθυμίᾳ ad majorem indurationem homo pessime abutitur; tandem etiam justitiam suam in poena induratorum ostendit. Sic ergo indurat Deus, non ut peccati auctor, nec ut otiosus spectator, sed ut justissimus judex, quo pertinent dicta veterum. Augustinus Epistol. 105: *Non indurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.* Idem in lib. 83. quaestionum q. 68: *Pharao prioribus meritis, quibus afflixit in regno suo peregrinos, dignus affectus, cui obduraretur cor, ut nec manifestissimis signis jubentis Dei crederet.* Et postea: *Nunquid latebat Pharaonem, quantum boni consecutae fuerint terrae illae per adventum Joseph? Illius ergo rei gestae cognitio vocatio ejus fuit, ut populum Israël misericorditer tractans non esset ingratus; quia autem huic vocationi obtemperare noluit, sed exercuit crudelitatem in eis, quibus misericordia et humanitas debebatur, ideo meruit poenam, ut induraretur illius cor et tantam caecitatem mentis pateretur* etc. Chrysost. homil. 68. in 12. c. Johan.: *Cum deseritur homo, a Deo traditur diabolo, in cujus potestatem redactus innumeris malis afficitur.* Breviter: indurat Deus quosdam non absoluto quodam odio, sed justissimo contumaciam ipsorum vindicante judicio; indurat non per semet ipsum duritiem in cordibus hominum operando, sed eos deserendo et Satanae tradendo; hanc Dei desertionem non excludunt verba in piel et hiphil usurpata, quae pro subjecta materia saepius *permissive* explicanda sunt, ut ex Deut. 20, v. 16. Exod. 1, v. 17. Job. 39, v. 19. et aliis locis quam plurimis ostendit Weigenmeyerus in tab. gramm.

4. Praeceptum de furto Aegyptiaco. Exod. 11.

120. 4. *Praecipit Deus Israëlitis commodato accipere vasa ab Aegyptiis eademque secum in fuga auferre*, Exod. 11, v. 3. *Ergo id, quod Israëlitarum respectu peccatum erat, praecipit.* Respondemus: Furtum definitur, *quod sit contrectatio rei fraudulosa lucri faciendi gratia vel ipsius rei, vel etiam usus ejus possessionisve, quod lege naturali prohibitum est.* l. furtum ff. de furtis; vel ut alias dicunt, *est contrectatio rei alienae invito domino.* At haec definitio non competit facto Israëlitarum, 1. quia non privata cupiditate abstulerunt aurum et argumentum Aegyptiorum, sed accessit auctoritas summi magistratus ipsius Dei; jam vero qui alterius rem accipit auctoritate judicis, is fur non est; 2. repetierunt debitam mercedem operarum et servitutis suae, qua inique erant oppressi; jam vero non est furtum, quando magistratus debitori solutionem debitam deneganti tot bona adimit, ut creditori satisfieri possit; 3. quin nec vi illa vasa aurea et argentea invitis Aegyptiis abstulerunt, *sed Deus dedit Israëlitis gratiam in oculis Aegyptiorum*, unde etiam non usurpatur in Hebr. vox גָּנַב, quae proprie furtum significat, sed שָׁאַל postulavit. Deus omnium possessionum verus Dominus jure belli tanquam victor Aegyptiorum servis suis distribuit spolia hostibus detracta. Augustinus libr. 2. quaest. super Exod. q. 39: *Israëlitae non fecerunt furtum, sed Deo jubenti ministerium praebuerunt.* in enarr. Psal. 104: *Israëlitae magis per illa Dei verba ab illo, qui cor eorum videbat et cupiditates examinabat, permissi sunt facere ista quam jussi, non tamen sine aliquo profectu animae carnalis, quod et his fecerunt, qui talia jure passi sunt, et quamvis per dolum ab iniquis hominibus, tamen quod sibi reddi debuit, abstulerunt: sicut enim Aegyptiorum iniquitate, sic istorum infirmitate ad id quod opus erat illis factis, figurandum et praenuntiandum divine usus est Deus.* Vinc. in Spec. hist. lib. 3, c. 6: *Spoliaverunt Aegyptios divina permissione quasi pro mercedis suae* IV. 115. *recompensatione, quia diu gratis laboraverunt. Item ut inde fierent vestes et tabernaculum.*

5 Filii Eli non audierunt patrem, quia Deus voluit eos occidere, 1. Sam. 2.

121. 5. 1. Sam. 2, v. 35: *Ophni et Pinehas noluerunt audire vocem patri sui, quia Dominus voluit eos occidere. Ergo occulto quodam odio Deus ad istam inobedientiam eos instigavit.* Respondemus: 1. describuntur in hoc capite filii Eli, quod fuerunt *filii Belial, nec agnoverint Jehovam*, v. 12. *quod peccatum eorum magnum valde coram Jehova*, v. 17. *quod peccare fecerint universum populum*, v. 25. *quod fuerint scortatores*, v. 22. *et optimum ex carne sacrificiorum praeripuerint*, v. 16. Joseph. lib. 5. antiq. Jud. c. 15: *Eli pontifici duo filii fuerunt, Ophnes et Pinehas, hi contra omne jus et fas omnia sibi licere volebant, nec contenti honorariis muneribus etiam a rapinis non abstinebant, mulierum insuper religionis ergo confluentium ad sacrum locum pudicitiam vel vi vel donis expugnabant, ita ut nihil a tyrannorum moribus differrent* etc. Propter haec gravissima peccata justissimus Deus corda ipsorum jam antea satis dura et lapidea induravit, ut non audierint vocem patris sui, ac proinde describitur in his verbis judiciaria Dei ad meritas poenas contumaces destinantis voluntas, per quam completa peccatorum mensura immorigeros et contumaces hosce liberos ad meritas poenas revocare constituit. *Iratus ad poenam si quos trahit Deus, auferre mentem illis prius sanam solet.* 2. Ex eo autem minime inferendum, quod Deus occulto quodam et omnem ipsorum contumaciam antegrediente odio inobedientiam cordibus ipsorum instillaverit, quae enim sit Dei voluntas, illam manifestavit in lege: *Honora patrem et matrem*, cujus contradictoriam occultam voluntatem quandam in Deo statuere plane est ἀθεόλογον.

6. Deo tribuitur Absolonis incestus, 2. Sam. 12.

122. 6. 2. Sam. 12, v. 11. *denuntiat Dominus Davidi per Nathanum: Ego suscitaturus sum adversum te malum de domo tua tollamque uxores tuas in oculis tuis et dabo proximo tuo, dormietque cum uxoribus tuis in oculis solis hujus*, v. 12: *tu fecisti abscondite, ego autem faciam hoc coram toto Israële. Id postea completum per Absolonem* c. 16, v. 22. *Ergo ad hoc facinus Deus Absolonem instigavit.* Respondemus: 1. Deus in lege sua incestum et omnes vagas libidines severe prohibuit, incestuosum Absolonem graviter puniit (2. Sam. 18, v. 14.), quin et Achitophelem, quo impulsore tam enorme flagitium Absolon perpetraverat, ad meritas poenas revocavit (2. Sam. 17, v. 23); ejus ergo Deus non est auctor, cujus est ultor, neque cogitandum, occulta inspiratione ad id impellere, quod constat manifesto edicto ipsum prohibuisse; 2. proponitur autem in his verbis justissimum Dei adulterium Davidis vindicaturi judicium, ideoque voces illae: *suscitabo, dabo, faciam* etc. sunt verba judicii divini, ex quibus id solummodo colligi potest ac debet, Absolonis incestum fuisse justo Dei judicio poenam adulterii Davidici; ex eo vero neutiquam colligi potest vel debet, Absolonem ad hoc facinus a Deo impulsum vel instigatum; 3. considerari enim incestus ille potest dupliciter: primo ut culpa et enorme flagitium; hoc respectu impulsori Satanae et libidinoso Absoloni transcribendus est unice, Deo minime omnium in consortium vel culpae partem vocato; deinde ut poena Davidici adulterii; hoc respectu Deo tribuendus est, qui Satanae impulsui et affectibus Absolonis frena laxando, justissimi judicis Davidis peccata vindicantis partes in hoc opere sustinuit; 4. agnoscit hoc P. Martyr, ideo in comm. hujus loci scribit: *Licet eadem actio Deo et Absoloni tribuatur, tamen ejus Deum, non nisi quatenus poena et conflictatio Davidis est, auctorem esse.* Quomodo una eademque actio et culpa et poena sit, infra explicabimus.

7. Deus praecepit Simei, ut malediceret, 2. Sam. 16.

123. 7. 2. Sam. 16, v. 10: *Cum Simei malediceret Davidi, atque hoc nomine Abisai eum occidere vellet, respondet David ac bis repetit, Dominum praecepisse Simei, ut malediceret, ac proinde neminem debere dicere, cur fecisti sic? Ergo Deus eum ad maledicendum instigavit.* Respondemus: 1. Deus voluntatem suam in lege manifestavit diserte

IV. 116. Exod. 22, v. 28: *Principi in populo tuo non maledices*, ejus contrarium nec vult nec approbat nec ad aliud impellit; 2. David moriturus praecipit filio suo Salomoni, ne hunc maledicum dimittat innocentem, sed cum *sanguine ejus canitiem deducat ad sepulcrum* 1. Reg. 2, v. 9, quod et factum est a Salomone v. 46; utique ergo gravissime in hoc opere Simei peccavit et propterea a Deo punitus est. 3. Verba igitur Davidis: *Dominus praecepit*, vel ut in Hebraeo est, *dixit Simei, ut malediceret*, non eo sensu accipienda sunt, quod Deus occulte impulerit vel instigaverit Simei ad maledicendum, siquidem hac ratione Simei non peccasset, nemo enim Dei voluntatem implendo peccat; sed loquitur David ex vera cordis humiliatione, justissimum Dei judicium agnoscens, quod propter peccata sua et filii persecutionem et hujus Simei maledictionem sit promeritus. 4. August. de gratia et lib. arb. c. 20: *Scriptura divina ostendit, non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, a se factas bonas in actus bonos et in aeternam dirigi vitam, verum etiam illas, quae conservant seculi creaturam, ita esse in Dei potestate, ut illas, quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari vel ad beneficia quibusdam praestanda vel ad poenas quibusdam ingerendas, sicut ipse judicat occultissimo quidem judicio, sed sine dubitatione justissimo* etc. Et postea: *Nunquid non sua voluntate filius Jemini maledicebat regi David? et tamen quid ait David, plenus vera et alta et pia sapientia? Quid ait illi, qui maledicentem percutere voluit? Dimitte eum, ut maledicat, quia Dominus dixit illi maledicere David, et quis dicet ei, quare fecisti sic? quomodo dixerit Dominus huic homini maledicere David, quis sapiens et intelligit? non enim jubendo dixit, ut obedientia laudaretur, sed quod ejus voluntatem proprio suo vitio malam in hoc peccatum justo et occulto suo judicio inclinavit, ideo dictum est: dixit ei Dominus, nam si jubenti obtemperasset Deo, laudandus potius quam puniendus est.* Hactenus Augustinus, qui verbo *inclinandi* minime eo sensu utitur, quasi Deus malam hanc voluntatem Simei inseverit, sed quod Satanae permiserit, ut ad hoc peccatum voluntatem Simei malam inclinaret, ut totus contextus ostendit, et nos th. 138. docebimus. Inclinat Deus non malitiam cordibus inserendo aut ad hanc vel illam actionem malam impellendo, sed Satanae et cupiditatibus hominum frena laxando, nec eorum proposita intervertendo; 5. declarari hoc potest exemplo simili. Denuntiat Deus Baasae, quod ipse et posteri ejus sint exscindendi. 1. Reg. 16, v. 3. hanc divinam poenam exsequitur Zimri (v. 9.), non quod Deus instigaverit Zimri ad hoc factum, sed quia malitia ejus ad justam poenam Baasae usus est; quod enim factum hoc Zimri Deo non placuerit, patet ex justissima ipsius poena (v. 18 et 19.).

8. David a Deo concitatus est ad populum numerandum. 1. Sam. 24.

124. 8. 2. Sam. 24, v. 1: *Deus concitavit Davidem, ut juberet Israëlem numerari. Ergo incitat Deus ad ea, quae respectu hominum vere sunt peccata.* Respondemus: 1. additur diserte, quod *furor Domini addiderit irasci contra Israëlem;* jam vero Deus non irascitur nisi propter peccata, ergo non ex occulto quodam odio Deus concitavit Davidem ad hoc factum, sed justo suo judicio peccata peccatis punit; 2. quia vero Deus ita punit peccata peccatis, ut peccati auctor non sit, (id quod suo loco plenius declarabimus) ideo explicatio horum verborum, quod Deus Davidem incitaverit, proponitur 1. Paral. 21, v. 1: *Consurrexit Satan contra Israël et incitavit Davidem, ut numeraret populum.* Ergo quod Deus dicitur concitasse Davidem ad hoc factum, neutiquam sic accipiendum, quasi ipsemet Davidis cordi superbiam istam ac pravas hasce cogitationes ingesserit, sed quod propter praegressa Davidis et Israëlitarum peccata Satanae permiserit,

ut ad hoc peccatum Davidem sollicitaret, et quod sua gratia a Davide recesserit, ut huic tentationi succumberet. 3. David agnoscit se graviter peccasse et vera poenitentia peccati hujus remissionem petit. v. 10, quin et triduana peste sese hoc peccatum vindicaturum Deus minatur, v. 13; quam vero absurdum foret, Deum ea punire, quorum ipse est auctor? Hac ratione mutabilis constitueretur et justitia ejus labefactaretur. Fulgentius lib. 1. ad Monim. c. 22: *Justitia ea non erit, si puniendum reum non invenisse, sed fecisse Deus dicatur.*

IV. 117. 9. Deus dat Spiritum mendacem in ore pseudoprophetarum. 2. Paral. 18.

125. 9. 2. Paral. 18, v. 22: *Dedit Deus spiritum mendacem in ore falsorum prophetarum.* Ezech. 14, v. 9: *Propheta cum seductus et locutus fuerit verbum, ego seduxi eum. Ergo Deus inspirat falsis prophetis erroneas doctrinas.* Respondemus: 1. Deut. 13, v. 5. jubet Deus falsos prophetas interfici, ergo nec vult nec probat seductiones ipsorum, utique ergo non impellit ad eas; 2. quando igitur Scriptura Deo vel Deus sibi ipsi tribuit, quod det spiritum mendacem in ore pseudoprophetarum et prophetas falsos seducat, intelligendum id de justo Dei judicio, quo per seductiones pseudoprophetarum contemtum sui verbi punit. 2. Thess. 2, v. 10: *Quia caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent,* v. 11. *ideo misit illis Deus efficaciam erroris;* 3. non autem eo modo Deus seducit falsos prophetas, quasi ipse instillet cordibus eorum erroneas sententias aut quasi corda ipsorum instiget ad falsa dogmata fingenda, minime vero, quia diserte dicit Dominus Jer. 14, v. 14: *Falso vaticinantur in nomine meo, non misi eos neque praecepi eis neque locutus sum ad eos, visionem mendacem et seductionem cordis sui vaticinantur.* Jer. 23, v. 21: *Non misi prophetas illos, et ipsi currebant, non sum locutus ad eos, et ipsi prophetabant*, quod repetitur c. 29, v. 9; 4. sed hoc respectu seductio pseudoprophetarum Deo tribuitur, quia diabolo, qui est *pater mendacii* (Joh. 8, v. 44.), justo suo judicio propter contemtum verbi tantum juris concedit, ut varias haereses per ipsos excitet, et quia homines natura sunt tenebrae (Ephes. 5, v. 8.), ideo destituti luce divinae agnitionis et regimine Spiritus s. nihil aliud quam errare possunt; 5. hanc explicationem confirmat ipsa Scriptura, dum errores pseudoprophetarum vocat *seductiones cordis ipsorum ac diabolo* seductionem istam transscribit 1. Reg. 22, v. 20. 21. 22. 23. 2. Paral. 18, v. 19. 20. 21. 22: *dixit Jehovah, quis decipiet Achab, ut adscendat? Tunc egressus est spiritus, qui stetit coram Jehova, et ait, ego decipiam eum; Jehova vero ait: in quo? respondit, egrediar eroque spiritus mendacii in ore prophetarum ejus; dixit ergo, decipies et etiam praevalebis, egredere et fac ita. Nunc ergo eis dedit Jehova spiritum mendacii in ore omnium prophetarum*, etc. Vides pulcerrime exponi, quomodo Deus seduxerit illos pseudoprophetas. August. de gratia et lib. arb. c. 23: *Quando auditis dicentem Dominum: Ego Dominus seduxi prophetam illum, in eo, quem seduci permittit, mala ejus merita credite.*

126. 10. Prov. 16, v. 4: *Omnia operatus est Jehova propter se ipsum, etiam impium ad diem malum. Ergo in impiorum cordibus etiam malum operatur.* Respondemus: *1. dies malus* juxta phrasin Spiritus s. non significat peccata impii, sed meritas peccatorum poenas. Ps. 41, v. 2: *In die mala liberabit eum Dominus.* Ps. 49, v. 6: *Cur timebo in die mala?* Prov. 15, v. 15: *Omnes dies pauperis mali* etc. 2. Ergo non hoc vult Sapiens, quod Deus creet quosdam eo fine, ut sint impii, vel quod malitiam in cordibus impiorum operetur, sed loquitur de providentia Dei mirabili, qua impios ad meritas poenas tandem tradit propter suam justitiam. Wolff. Mus. in locis commun. art de creat.: *Locus Prov. 16, in quo Salomon dicit: Omnia operatur Dominus propter se ipsum, etiam impium ad diem malum, non est ad creationis operationem adducendus; loquitur enim illic Salomon non de creatione, sed de providentia et gubernatione.* Ludov. Lavat. hoc loco: *Non est ex his verbis colligendum, Deum condidisse impium ut impium, nam impius non est ex Deo, sed de gubernatione illius, qua etiam impiorum animas sic gubernat, ut ad gloriam suam faciant* (impietatem eorum ad meritas poenas revocando). 3. Invertimus ergo argumentum: Si Deus fecit impium ad diem malum, id est, si ob impietatem constituit et trahit Deus impium ad poenam, utique impietatem ipsam non vult nec in corde impii eam operatur. Eadem responsio applicanda ad loca similia, Esa. 45, v. 7: *Ego Dominus faciens pacem et creans malum.* Am. 3, v. 6: *Non est malum in civitate, quod non fecerit Dominus.* Eccl. 11, v. 14: *Bona et mala a Domino Deo* etc. Haec enim omnia lo- IV. 118.
quuntur non de malo culpae, sed de malo poenae, ideoque inscite ab uno fit collectio ad aliud, imo vero quia Deus est auctor mali poenae, hoc est, quia hominum impietatem punit, ideo non est auctor mali culpae.

10. Deus omnia operatur propter se ipsum, etiam impium ad diem malum, Prov. 16.

127. 11. Esa. 63, v. 17: *Quasi errare nos fecisti de viis tuis, indurasti cor nostrum, ne timeremus te. Ergo Deus facit homines errare interius in cordibus eorum errores operando.* Respondemus: 1. Israëlitae causam et culpam erroris sui minime transcribunt Deo, sed agnoscunt, justo Dei judicio Spiritum s., cui contumaciter restiterint, a se ablatum esse, atque inde se in errores incidisse. *Rebelles fuimus et irasci fecimus Spiritum s. tuum;* v. 10: *ideo miserationes tuae continuerunt se super nos;* v. 15: *errare nos fecisti;* v. 17: *sed converte iterum ad nos misericordiam tuam* etc. Ergo continendo suas miserationes et Spiritum suum auferendo Deus errare facit et indurat, adde etiam diabolo potestatem indurandi ac in errores abducendi concedendo. 2. Si in Deum culpam sui erroris suaeque duritiei referrent, quomodo ejus remissionem a Deo vel peterent vel impetrarent? Munst. sic reddidit: *quare permittis avelli cor nostrum a timore tuo?* Tertull: *Quare sineres aberrare nos, Jehova, a viis tuis?* ostendunt igitur, verba transitiva apud Hebraeos saepe pro subjecta materia permissive exponenda esse.

11. Deus facit homines errare, Esa. 63.

12. Deus seduxit Jeremiam. Jer. 20.

128. 12. Jerem. 20, v. 7: *Seduxisti me, Domine, et seductus sum. Ergo Deus seduxit prophetam interius seductionem in ejus corde operando.* Respondemus: Loquitur propheta non de mendacio in doctrina, sed de vocatione sua prophetica, ad quam a Deo deductus et quasi seductus sit. In Hebraeo est פִּתָּה, quod proprie significat persuadere, *persuasisti mihi, Domine*, quasi dicat, obtemperavi vocationi tuae, sed quantum in ea mihi occurit odii, periculorum et calamitatum, adeo ut merito conqueri possem, me blandis verbis a te persuasum et quasi seductum, ut munus propheticum susciperem. Munsterus sic exponit: *si seductus sum, Domine, ut illi falso loquuntur, tu me seduxisti, cum ego non mea sponte hoc subierim officium, sed te vocantem secutus sim;* sed prior explicatio concinnior est, quam approbant D. Lutherus et Chemnicius.

13. Praecipit Deus Hoseae, ut meretricem ducat, Hos. 1.

129. 13. Hoseae 1, v. 2: *Praecipit Deus prophetae, ut accipiat uxorem fornicationum. Ergo id, quod nostri respectu peccatum est, Deus aliquando praecipit.* Respondemus: Variae sunt hujus loci prophetici expositiones: 1. quidam sentiunt, prophetam vere fornicatum esse cum meretrice, et hujus fornicationis auctorem constituunt Deum; sed illos D. Luther. comm. super Hoseam tom. 4. Jenens. Latin. fol. 588. recte vocat *omnium maxime ineptos interpretes*, cum nunquam accidere possit, ut Deus praecipiat aut approbet vagas libidines, cum haec sit perpetua et immutabilis Dei voluntas: *ne moecheris*, cum propheta per crimen scortationis in summum venisset contemtum apud populum etc. 2. Hieronymus in prologo Hoseae statuit, per fornicariam non elocati corporis meretricem, sed *gentilem, quae Deum ignorabat*, intelligendam esse, cum Scripturae solenne sit, idololatriam gentilem *spiritualem fornicationem* appellare. 3. Rabbini statuunt, haec *per visionem* facta, quod vere non duxerit scortum, sed quod in visione hoc ipsi evenerit, unde interpres Chaldaeus locum sic vertit: *Dixit Dominus ad Hoseam: Vade et annuntia prophetiam habitatoribus civitatum post idola errantium, qui addunt ut peccent, quoniam errando errant incolae terrae a cultu Domini recedentes; abiens igitur prophetavi contra eos, quod si poenitentiam facerent, dimitteretur eis peccatum; si non, marcescerent quasi folia ficulnearum, adjiciendo et faciendo mala.* 4. Quidam statuunt, Hoseam legitimo matrimonio sibi junxisse mulierem, quae scortatione fuerit prius infamis, in quam sententiam videtur Lyranus inclinare, sic enim in comment. scribit: *Accipe cum matre filios, quos ante habuit, ita quod accepit matrem in uxorem et filios ejus adoptavit;* id sentit Augustinus 22. contra Faustum
IV. 119. c. 80. 5. Sed in omnibus hisce expositionibus, quod merito desideretur, ostendi potest. Statuimus igitur cum D. Luthero et probatissimis quibusque interpretibus, prophetam legitimo conjugio Dei jusso inito sibi copulasse non infame scortum, sed honeste educatam virginem, quod additum patris nomen indicat, sed huic legitimae uxori nomen scorti et legitimis suis liberis nomen spuriorum imposuisse, et quidem Dei mandato, ut hoc velut gestu ac signo doceret, totum populum esse coram Deo spiritualis fornicationis reum ejusdemque poenas brevi daturum; hanc esse genuinam istius loci sententiam, docent verba immediate sequentia, quia additur, *terram relicto Domino fornicatam*, hoc est, alienos cultus et deos secutam esse.

14. Judaei non poterant credere propter vaticinia prophetarum de ipsorum incredulitate, Joh. 12.

130. 14. Joh. 12, v. 39: *Non poterant credere, quia dixit Esaias: Excaeca cor populi hujus. Ergo praedictio et decretum Dei sunt efficaces causae incredulitatis quorundam hominum.* Respondemus: 1. Ostendimus superius praescientiam divinam non afferre rebus necessitatem a priori, idem etiam statuendum de praedictione divina in Scripturis sacris proposita, non enim ea solum per prophetas praedicit Deus, quae ipsemet facturus, sed etiam ea, quae alios videt esse facturos; sed nec absoluto quodam odio et decreto Deum quosdam ad interitum et causas interitus praedestinare suo loco satis luculente ostendemus. 2. Describitur ergo justissima poena perseverantis in contemtu verbi contumaciae, quam Deus judicio suo justissimo induratione et excaecatione punit, qua efficitur, ut qui per operationem Spiritus sancti credere poterant, propter contumaciam suam excaecati postea credere non possint. 3. Proinde sic procedimus: Non poterant credere contumaces Judaei, quia Deus per prophetam praedixerat, cor populi hujus excaecandum. Sed quare praedixerat excaecationem? quia praevidit ab aeterno, populum istum contumacem et rebellem oculos suos ad verbi lucem sponte conclusurum, et propter stupendam istam caecitatem et contumacem verbi contemtum ab aeterno constituit eorum corda excaecare et indurare. 4. Repetendum autem denuo ex superioribus, Deum non indurare vel excaecare absoluto quodam odio, sed judicio suo justo praegressum verbi contemtum vindicante; itemque indurare et excaecare Deum non per se ipsum duritiem et caecitatem in cordibus humanis interius operando, sed gratiam et Spiritus sancti corda emollientis et illuminantis vim subtrahendo ac Satanae tantum juris in homines concedendo. 5. Proinde quia propter malitiam propriam et spontaneam renitentiam excaecati Judaei credere non potuerunt, ideo veteres negant, causam incredulitatis referendam esse ad praedictionem propheticam. Cyrill. lib. 9. in Johan. c. 10: *Quis adeo rationis ac mentis inops erit, ut Scripturam sancti Spiritus peccandi causam homini attulisse unquam credere possit?* Et postea: *Quoniam ita nonnulli sponte facturi erant, idcirco praesciens Spiritus sanctus futura praedixit, ideoque non potuerunt credere idem esse dicit, quod noluerunt credere*, sicut Christus ipse exponit Matth. 23, v. 37: *Quoties volui vos congregare, et noluistis.* Alibi exstant similes locutiones 2. Sam. 17, v. 17: *non poterant se ostendere ingrediendo urbem*, id est nolebant. Hoseae 8, v. 5: *Quousque non potuerunt innocentiam sibi parare?* id est, quousque noluerunt. Athanas. in pass. et cruc. Domini pag. 788 et 789: *Judaei sua voluntate in-*

ducti sunt, ut ea facerent, neque sancti per sua verba necessitatem addunt negotiis, ut cogantur ita fieri, sed cum praevideant studia eorum voluntatesque, qui talia acturi sunt, rem, ut est futura, denuntiant, neque ut isti ajunt, qui refragantur, tolle prophetae verba, et futurum est, ut omnes Judaei credant, ita quoque et ego dixero: sed in contrarium, aufer facta Judaeorum, et prorsus nihil de iis praedixit Esaias. Augustinus tract. 53. in Joh. *Deus futurorum praescius per prophetam praedixit infidelitatem Judaeorum, praedixit tamen, non fecit; non enim propterea quenquam Deus ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata jam novit, ipsorum enim praescivit peccata, non sua* etc. Et postea:
120—[sic.] *Non poterant credere, quia hoc Esaias propheta praedixit: hoc autem propheta praedixit, quia Deus hoc facturum esse praescivit; quare autem non poterant, si a me quaeratur, cito respondeo, quia nolebant; malam quippe eorum voluntatem praevidit Deus, et per prophetam praenuntiavit ille, cui abscondi futura non possunt. Sed aliam causam, inquis, dicit propheta, non voluntatis eorum: quam causam dicit propheta? quia dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, aures ut non audiant, et excaecavit oculos eorum et induravit cor eorum, etiam hoc eorum voluntatem meruisse respondeo: sic enim excaecat, sic obdurat Deus deserendo et non adjuvando, quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest. Hoc omnino pietas religiosorum inconcussum debet inviolatumque servare* etc. Et postea: *Non mirum est, quia non poterant credere, quorum voluntas sic superba erat, ut ignorantes Dei justitiam suam vellent constituere, quia enim non ex fide, sed tanquam ex operibus tumuerunt, ipso suo tumore excaecati, offenderunt in lapidem offensionis* etc. Vides Augustinum diserte nostram expositionem confirmare. Deus ab aeterno constituit (voluntate consequente et judicaria) ac per prophetam praedixit, superbos et contumaces Judaeos justo judicio indurare, ideo etiam non potuerunt credere, quod si Spiritui sancto pertinaciter non restitissent, utique nec Deus illos excaecasset, nec eorum excaecationem ab aeterno decrevisset, nec per prophetam praedixisset; Judaei contra credere potuissent et credidissent, quia Deus eo fine verbum suum illis offerebat et Christus ad credendum eos invitabat. 35: *Ambulate donec lucem habetis, ne vos tenebrae comprehendant.* v. 36: *dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis* etc. Theophylactus monet particulas *ut* et *quia* non esse *causales sed demonstrativas eventus.* Lyranus: *particula* ut *intelligenda non causaliter, sed consecutive; impossibilitas illa non est absoluta, sed tantum ex suppositione, scilicet supposito, quod haberent voluntatem obstinatam in malo.* Bucerus: *non ideo fuerunt tales, quia praedixit propheta, sed ideo propheta praedixit, quia tales futuri erant.*

Christi de- / creto / consilio — 131. 15. Actor. 2, v. 23: *Christus definito consilio et praescientia Dei traditus.* Actor. 4, v. 27: *Convenerunt adversus Jesum filium tuum Herodes et Pontius Pilatus cum gentibus et populis Israël.* v. 28: *ut facerent quaecunque manus tua et consilium tuum prius definierant fieri. Ergo decreto divino impulsi sunt Judas et Judaei, ut Christum traderent ac crucifigerent.* Respondemus: Distinguendum accurate inter ipsum factum proditionis, condemnationis et crucifixionis Christi, et inter ejusdem crucifixionis saluberrimum finem; factum ipsum fuit impium et iniquum, unde Petrus diserte dicit, quod διὰ χειρῶν ἀνόμων Christus sit crucifixus Actor. 2, v. 23. et Johannes, *quod Satanas in cor Judae miserit, ut Christum proderet* Joh. 13, v. 2, ideoque ad illud Deus nec impulit Judaeos nec illud approbavit, sed se verissime totius urbis excidio vindicavit: quia vero Deo futurorum praescio mala voluntas Judaeorum ab aeterno fuit cognita, ideo quod illi erant facturi pessime, illud ad redemtionem generis humani ipse convertit optime et sapientissime: quo pertinet egregius locus ex Leonis serm. 16. de passione supra thesi 99. allegatus. Salutaris passionis fructus merito refertur ad divinae sapientiae consilium atque decretum, sed injusta Christi excarnificatio serpentis antiqui insidiis et Judaeorum crudelitati tribuenda: inde est quod D. Petrus consilium et praescientiam DEI conjungit, quia illud Dei de redemtione generis humani per passionem Christi consilium comitem vel potius praeviam (non temporis, sed ordinis et nostri conceptus respectu) habuit divinam praescientiam, qua malas Satanae et Judaeorum voluntates in conspectu praesentissimo DEUS ab aeterno est intuitus. Profero hoc argumentum: Si DEUS aeterno suo decreto coëgisset vel occulta vi instigasset Judam ac Judaeos ad Christi crucifixionem, utique non fuisset alius propositus finis Judae ac Judaeis in Christi traditione et crucifixione, quam DEO ipsi. Jam vero longe alius finis Deo propositus, quam Judae ac Judaeis in hoc opere, quod nulla veritatis specie negari potest. Ergo Deus nec decreto suo coëgit nec impulsu suo instigavit Judam ac Judaeos ad Christi crucifixionem. IV. 129. Connexio in majore est evidens, quia actiones aestimandae sunt ex fine et intentione, cujus diversitas actiones variat.

[et praescientia Dei traditus, Actor. 2.]

132. 16. Rom. 1, v. 24 *dicitur Deus gentes tradidisse in impuritatem. Ergo ipsius efficaci operationi illa gentilium impuritas transscribenda.* Respondemus: 1. tradidit non absoluto quodam et respectum omnium causarum antegrediente odio, sed justissimo praegressam impietatem vindicante judicio, ut diserte ibi docet apostolus v. 21: *cum Deum cognoverint, non ut Deum glorificarunt,* v. 23: *commutarunt enim gloriam incorruptibilis Dei in formam mortalis hominis* etc. v. 24: *quamobrem etiam tradidit eos Deus* etc. v. 25: *ut qui Dei veritatem commutarint mendacio.* v. 26: *propterea tradidit eos DEUS cupiditatibus ignominiosis;* 2. tradidit non impuritatem mentibus gentilium instillando, vel mentes eorum ad impuritatem movendo, sed Satanae et propriis ipsorum cupiditatibus eos relinquendo; unde diserte addit apostolus, *quod tra-*

[16. Deus gentes tradidit in impietatem, Rom. 1.]

diti sint cupiditatibus cordium suorum in impuritatem. Theodulus: *non ipse* (per se ipsum) *tradidit, absit: verum istos neglexit, a cura sua illos excidere sinens, quod cum contingit, consequitur eos a Satana comprehendi, hinc tradidit eos, in quae tradidit.* Ambrosius: *Quia ad injuriam creatoris figmenta et similitudines rerum deificarunt, traditi sunt illudendi, et traditi, non ut illa agerent, quae nolebant, sed ut illa perficerent, quae desiderabant: tradere est permittere, non incitare aut immittere, ut ea quae, in desideriis conceperant, adjuti a diabolo explerent in opere.* Thom. 1, q. 2. art. 1: *si Deus tradit aliquos in reprobum sensum, jam ergo habent reprobum sensum.*

17. Deus conclusit omnes sub incredulitate, Rom. 11. — 133. 17. Rom. 11, v. 32: *Conclusit Deus omnes sub incredulitate, ut omnium misereatur. Ergo hominum incredulitas est ex Dei actione.* Respondemus: quomodo Deus omnes sub incredulitate concludat, exponit ipse apostolus Galat. 3, v. 22: *Conclusit Scriptura omnia sub peccatum.* Ergo concludere sub peccatum est omnes homines sive totum genus humanum propter Adae transgressionem peccatis infectum et corruptum per vocem legis peccati accusare et reum aeternae damnationis declarare. Rom. 3, v. 9. et 19. itidem exponit apostolus, quomodo Deus sub peccatum concludat: *Demonstravimus ante Judaeos et Graecos esse peccatores; scimus quaecunque lex loquitur, iis, qui lege sunt, loquitur, ut omne os obstruatur, et reus fiat totus mundus Deo.* Invertimus igitur argumentum: Quia Deus omnes sub incredulitate conclusit, hoc est, quia voce legis peccatum per Adae transgressionem introductum in omnibus accusat et damnat, utique ergo ejus auctor vel impulsor minime statuendus. Calvinus in comment. hujus loci scribit, sensum apostolici dicti hunc esse, *quod Deus ita sua providentia dispensaverit, ut omnes incredulitatis rei essent., quo eos haberet suo judicio obnoxios, atque in hunc quidem finem, ut salus a sola sua bonitate esset sepultis omnibus meritis.* Sed ostendemus suo loco, Deum protoplastorum lapsum, per quem omnes homines incredulitatis et peccati reatum contraxerunt, nec voluisse, nec suo decreto ad eum coëgisse. Pie August. 3. Confess. c. 2: *malevola haec erit benevolentia, si quis miserum hominem esse velit, ut ejus misereatur.* Quid quod negari nequit, si vel maxime in concreata bonitate homo cum omnibus posteris perstitisset, nihilo tamen minus sepultis omnibus meritis per solam Dei bonitatem salutem ipsum fuisse consecutum, tum quia obedientia illa jam ante Deo creatori fuisset debita, tum quia aeternum praemium longe majus fuisset et excellentius, quam ut illud suae obedientiae temporariae merito acquirere potuisset.

18. Qui non credunt Verbo, ad illud sunt positi. 1. Petr. 2. — 134. 18. 1. Petr. 2, v. 8: *Christus est lapis offensionis iis, qui non credunt verbo, ad quod et positi. Ergo Deus quosdam decreto suo immutabili ad incredulitatem praedestinavit.* Respondemus: 1. sensus genuinus loci is est, quod Christus, qui per se est petra salutis, Judaeis incredulis propter

VI. 130. ipsorum incredulitatem factus sit lapis offendiculi, eo quod non crediderint verbo evangelii, cum tamen εἰς τοῦτο, ad illud, a DEO vocati et benefica Dei voluntate verbum primo loco illis fuerit oblatum; 2. conferimus ergo hoc loco verba Pauli et Barnabae Act. 13, v. 46: *Vobis* (Judaeis) *oportebat primum praedicari verbum Dei, sed quia illud repellitis et indignos vos ipsos judicatis vita aeterna, ecce convertimur ad gentes;* 3. hanc interpretationem Calvinus ipse non improbat; sic enim commentatur super hunc locum: *Non male quadrat huic loco iste sensus, quod Judaei positi fuerint ad credendum, quia illis destinata erat salutis promissio; videtur enim Petrus incredulitatem populi a Deo electi exaggerare, quod salutem sibi peculiariter ordinatam respuerit atque ita se aeterna vita indignam reddiderit;* 4. graviter igitur improbamus, quod Beza in glossis marginalibus textum ita pervertit, quasi sensus ejus sit, quosdam *ad hoc conditos esse, ut offenderent;* quae perversio quibusdam ita placuit, ut in bibliis Latinis anno 91. Francof. editis ipsi textui eam inserere non fuerint veriti, sic enim convertunt locum: *iis qui offendunt ad sermonem immorigeri, ad quod etiam conditi fuerunt;* 5. si vel maxime vocula illa ἐτέθησαν referenda esset ad Judaeorum offensionem, nondum tamen evictum foret absoluto Dei odio illos ad hanc offensionem destinatos fuisse, sed esset descriptio justi judicii divini, quo propter contumacem verbi contemtum et propriam incredulitatem in petram salutis offendisse dicantur.

135. Atque haec sunt potiora Scripturae testimonia, quae in hunc sensum ab adversariis detorquentur, quasi Deus decreto suo et occulta voluntate homines ad peccata impellat, quae tamen Dei liberrime agentis respectu non sint peccata, ideoque necessarium fuit Deum ab intentato isto crimine et Scripturae dicta ab ista perversione vindicare. Si quae alia proferuntur vel Scripturae testimonia vel argumenta ad hanc sententiam stabiliendam, eorum explicatio peti potest ex Dn. Chemnicio, qui parte prima locorum loc. 5. c. 4. accurate hac de re tractat, uti etiam ex Schaffmanno, qui in libris de causa peccati itidem copiose et nervose hanc materiam exposuit.

136. Fatemur non inviti quosdam ex iis, qui in aliis Calvinum sequuntur, satis commode interdum loqui. — Commodae locutiones quorundam ex Calvinianis. Sic Franc. Junius in libr. de peccato Adae quaest. 1, c. 4. disputat, *non esse a Deo necessitatem lapsus primis parentibus impositam;* qu. 2, c. 2. dicit: *Si noluisset Adam, non peccasset, voluit autem voluntate libera a DEO quidem permissa, a diabolo autem immissa per modum consilii ruere in peccatum.* Sic Musculus in Locis comm. p. 975: *Nostrum est hanc omnipotenti ac justissimo Deo simpliciter dare voluntatis libertatem et justitiam, ut nihil velit aut faciat, imo ne facere quidem possit, quod sit malum, quomodo namque inaestimabilis illa divinae naturae bonitas mali aliquid vellet, amaret aut faceret?* Talia pronuntiata occurrunt plura in Sebastiano Castalione, Antonio Corrano, Guil. Perkinso et aliis, interim tamen in reliquis scriptoribus occurrunt

numero satis magno φορτικὰ pronuntiata, ex quibus evidenter sequitur, peccati causam ab ipsis Deo tribui, quaecunque adhibeantur malagmata superius thes. 112. 113. 114. 115. profligata.

Sedes ineundae concordiae in hac quaestione.

137. Proinde Deo et veritati dent hanc gloriam et publica voce improbent has et similes locutiones, quae in scriptis suae partis hominum occurrunt; *quod Deus ad peccata et peccatorum poenas absoluto decreto quosdam, imo maximam hominum partem praeordinaverit, quod DEI ordinatione Adamus in peccatum prolapsus, quod divina providentia in hoc quosdam creet, ut impie vivant, quod occulta Dei virtute impii ad fines Deo propositos pertrahantur, quod omnia, quae Deus praescit, etiam ejus decreto et ordinatione fiant; quod Deus impellat impios ad gravia scelera, quod Deus quoquo modo sit peccati causa* etc. Has et similes locutiones, quae totidem verbis in publicis ipsorum scriptis exstant, diserte damnent, si cum ecclesia in gratiam redire velint.

IV. 131. De termino inclinandi.

138. Mutent vero non solum linguam, sed et mentem; quod enim libellus εἰρηνικὸς Heidelb. nuper editus p. 310. vocabulo *inclinandi* hanc sententiam incrustare voluit, id nondum sufficit. Potest enim inclinandi terminus sic intelligi, quod Deus voluntatem Adae, per se quidem in agendo liberam, occulta sua vi inclinarit ad lapsum et quod adhuc hodie Deus impiorum voluntates ad varia peccata inclinet, quo sensu illi hanc vocem accipiunt, ut patet ex Beza parte 2. Resp. ad coll. p. 207. Martyre super epist. ad Roman. fol. 38, imo ex ipso illo libello, siquidem additur, *omnia sive bona sive mala fieri juxta decretum Dei aeternum, ac Deum funem liberi arbitrii manu sua ita regere, ut vel procedere eum sinat, si procedit, prout Deus vult, vel retrahat ac in hanc vel illam partem inclinet, perinde ut homo bestiam fune aliquo regit, quam vel libere abire permittit vel retrahit vel alio inclinat*, p. 312. Ergo si de tali interno Dei impulsu, quo voluntatem hominis ad peccatum ipsum vel dirigat vel moveat vel inclinet, *inclinationis* vocabulum accipiunt (ut accipiunt), serio eam vocem repudiamus.

139. Vicissim autem *inclinandi* vocabulum de metarum praefinitione et de peccati, quod libera voluntate homo perpetrat, directione ad bonum finem accipi potest, quo sensu illud usurpat Augustinus de grat. et lib. arbit. c. 20. et in ea significatione vox illa *inclinandi* tolerari potest, sed propter detectas adversariorum fraudes caveri debet; Augustino, quia diserte suam sententiam in locis quamplurimis exposuit, facile eam voculam concedimus lib. de grat. et lib. arbit. c. 21: *Deus potens est sive per angelos, sive bonos sive malos, sive quocunque alio modo operari in cordibus malorum pro meritis eorum, quorum malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab ipso Adamo aut crevit per propriam voluntatem.* Idem 5. contra Julian. c. 3: *Deus non facit voluntates malas, sed utitur eis ut voluerit.* Diligenter autem observandum, cum Pelagiani propter has et similes locutiones Augustino affingerent impias illas sententias, quod Dei voluntate homines peccent, quod ideo peccata fiant, quia Deus ea praedestinavit, quod Deus majorem generis humani partem ad hoc creet, ut illam perdat in aeternum etc., ibi Augustinus calumniis istis opposuit brevem sed valde utilem declarationem, cujus capita exstant tom. 7. sub titulo responsionis ad articulos sibi falso impositos; monet autem Fulgentius lib. ad Monimum, Augustinum morte praeventum non potuisse istas calumnias plene refutare, sed postea Prosperum ejus loco respondisse. In illa Augustini ad articulos sibi falso impositos responsione habentur quam plurima, quibus diserte comprobatur, *inclinandi* voce neutiquam ipsum eo sensu usum esse, quo hodie ab adversariis accipitur. Peculiariter notanda sunt verba in respons. ad artic. 10: *Detestanda et abominanda est opinio, quae Deum cujusquam malae voluntatis aut malae actionis credit auctorem, cujus praedestinatio nunquam extra justitiam est* etc. *Non ergo casus mentium nec malignitatem iniquorum neque cupiditates peccantium praedestinatio Dei aut excitavit aut suasit aut impulit; sed plane praedestinavit judicium suum, quo unicuique retributurus est, prout gessit sive bonum sive malum, quod judicium futurum non esset, si homines Dei voluntate peccarent.* Resp. ad art. 11: *Qua insipientia quave dementia definitur, ad Dei referendum esse consilium, quod nec diabolo in toto adscribi potest, qui in peccantium flagitiis illecebrarum adjutor, nec voluntatem credendus est esse generator* etc.

Quomodo Deus peccata peccatis puniat.

140. Finiamus tandem hanc de concursu divinae providentiae in malis actionibus dissertationem, si prius exposuerimus, quomodo peccata peccatis Deus puniat, et tamen peccati causa non sit. Id facile intelliges, si observaveris quinque modis contingere, ut peccatum sit alterius peccati causa: 1. cum uno peccato admisso amittitur gratia Spiritus s., qua amissa nihil aliud potest homo, quam in scelera prolabi: 2. cum Deus eum, qui peccavit, tradit in manum Satanae, qui impellit eum ad varia peccata; IV 132.
3. quatenus ex uno peccato facilis fit in similia lapsus; ex actibus enim causantur dispositiones et habitus inclinantes ad similes actiones; 4. quatenus unum peccatum sine aliis perpetrari non potest: sic avaritia *radix malorum* dicitur ab apostolo; 5. quatenus saepe propter unum peccatum alterum etiam admittitur, sicut Judas prodidit Christum ex avaritia. Juxta primum et secundum modum Deus peccata peccatis punit, nec tamen peccati causa vel auctor exsistit.

An omne peccatum sit quaedam poena.

141. Disputant Scholastici, *omne peccatum esse suo quodam modo poenam, cum voluntas privans se ipsam justitia privet se maximo bono sibi conveniente, cujus carentia major est quocunque commodo illato propter talem culpam, addunt tamen, non omne peccatum esse alterius peccati poenam, exempli gratia primum Adae peccatum, cum Deus non sit prius ultor quam aliquis peccator.* Vide

Lombard 2. sent. dist. 36. et comment. Quomodo autem idem peccatum possit esse formaliter culpa et poena; ac quomodo peccatum, quod nec justum nec a Deo, possit esse poena, cum tamen omnis poena justa sit a Deo, in eo explicando varie desudant. Scotus 2. sent. dist. 37. sic procedit: *Ipsa culpa est a voluntate, ut a causa activa deficiente, et sic est culpa, quia voluntaria, et ipsa culpa est in voluntate, ut in subjecto non inhaesionis, sed denominationis, quae* (voluntas) *per culpam privatur bono conveniente, quod bonum erat debitum, in quantum ipsa voluntas potuit agere cum rectitudine debita et non egit, atque sic est poena.* Thom. 1. 2. q. 87. art. 2: *Peccatum per se non potest esse poena peccati. Peccatum enim per se consideratur, secundum quod egreditur a voluntate, de ratione autem poenae est, quod sit contra voluntatem. Per accidens autem peccatum et poena peccati, idque tripliciter: 1. ex parte causae, quae est remotio prohibentis, scilicet gratiae divinae; 2. ex parte substantiae actus, quae afflictionem inducit, sive sit actus interior, ut ira, invidia, sive exterior, ut labor; 3. ex parte effectus consequentis.* Biel 2. sent. dist. 36. q. un.: *Ratio correspondens ad nomen peccatum connotat privationem boni justitiae debitae voluntarie omissae non curando, an bonum illud prosit vel obsit voluntati peccandi; poena connotat privationem boni convenientis, non curando, an bonum illud sit justum vel commodum.*

CAPUT XI.

CONTINET SOLUTIONEM ARGUMENTORUM, QUIBUS PROVIDENTIA OPPUGNATUR.

142. Haec ergo dicta sint de quaestione illa ardua, quomodo scilicet divinae providentiae gubernatio tum in rebus omnibus, tum in vita et actionibus hominum comparata sit; quae si quis ob oculos sibi proposita habet, syrtim fatalis Stoicorum necessitatis et charybdin caecae Epicureorum fortunae facile effugiet.

Quid de prosperitate impiorum statuendum.

143. Recte autem monet D. Chemnicius, quando in seriis tentationibus cogitamus de providentia, *natura nos omnes esse vel Stoicos vel Epicureos;* praecipue vero nos turbare solent prosperitas impiorum et piorum calamitates, ita enim colligimus: *Si omnia divinae providentiae subjecta, utique bonis esse bene et malis male;* sciamus vero causas hujus inaequalitatis esse justissimas, quas suo loco exponemus, potissimum respiciamus finem, Job. 21, v. 7: *Quare impii vivunt, senescunt confortati divitiis* etc., sed statim sequitur v. 8: *erunt sicut paleae ante faciem venti, et sicut favilla, quam turbo dispergit.* Ps. 73, v. 2: *Mei paene moti sunt pedes.* v. 3: *quia zelavi super stultos pacem peccatorum videns,* sed statim sequitur v. 18: *Profecto in lubrico posuisti eos, dejicis in devastationem* etc. Jerem. 12, v. 1: *Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui praevaricantur et inique agunt?* sed statim sequitur v. 3: *Congregas eos quasi ovem ad mactandum et praeparas eos ad diem occisionis.* Vide disputationem superiorem de natura Dei in cap. de justitia Dei, ubi argumentum hoc copiose pertractavimus. IV. 133.

Argumenta contra divinam providentiam. Num de bobus cura est Deo? 1. Cor. 9.

144. Explicandum hoc loco dictum apostoli 1. Cor. 9, v. 9: *num de bobus cura est Deo?* quod haudquaquam intelligendum absolute, quasi nulla plane de jumentis et aliis dignitate inferioribus creaturis cura sit Deo, siquidem ipse est *Deus spirituum universae carnis* Num. 16, v. 22. c. 27, v. 16. *Ipse dat escam omni carni* Psal. 136, v. 25. *Dat jumentis escam ipsorum* Psal. 147, v. 9: *Ipse homines et jumenta servat* Psal. 36, v. 6; sed comparate, quod non talis de bobus cura Deo, ut propter illos legem tulerit, ut contextus ostendit, quia versu proxime sequente additur, *an propter nos Scriptura hoc dicit? num propter nos haec sunt scripta?* Ambrosius sic exponit: *Non curat Deus de pecoribus propter haec ipsa, sed propter nos, quorum causa creavit, et ideo de nobis praecipue curat.* Hieron. in c. 1. Habac. sic exponit, *quod non parem habeat Deus erga jumenta hominesque curam.*

1. Posita providentia tollitur hominis arbitrium.

145. Turbatur etiam aliis cogitationibus nostra de providentia fiducia: *1. Si esset providentia, nullum foret reliquum hominis arbitrium.* Respondet August. 5. de civ. Dei c. 9: *Non est consequens, ut, si DEO certus est omnium causarum ordo, ideo nihil sit in nostrae voluntatis arbitrio, et ipsae quippe nostrae voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est DEO ejusque praescientia continetur, quoniam et humanae voluntates humanorum operum causa sunt* etc. lib. 7. de civit. Dei c. 30: *Deus sic administrat omnia, quae creavit, ut etiam ipsa proprios exercere et agere motus sinat,* quod Augustini pronuntiatum allegat Gerson lib. 2. de consol. theolog. pros. 4. et ex eo colligit, Deum non solum rerum naturas et agendi vires in eis conservare, sed etiam suo dominio omnia ita subjecta habere, ut eorum cursum ordinarium intervertere queat. *Profecto* (ait) *si Deus res sinit proprios motus agere, consequens est, ut eos possit vel mutare, alioquin non jam res sineret agere, sed agerent illae, vellent nollent.* Sic ergo habendum. Ut causa prima non excludit secundam, nec universale suum particulare, ita divina providentia non tollit humanae voluntatis libertatem in rebus eidem subjectis.

2. Multa fiunt confuse et inordinate.

146. *2. Si esset providentia, unde tam multa confuse et inordinate fiunt.* Respond. August. in lib. de ordine docet *Deum esse auctorem et conservatorem ordinis;* jam vero ordinis istius ratio caliginosis nostris mentibus non ubivis nec semper est obvia, siquidem divinae sapientiae consilium ab oculis nostris absconditum. Pendet mundi gubernatio a divina sapientia, bonitate, justitia et potentia;

quod [si vel maxime quaedam nobis non videntur satis convenire cum Dei bonitate, ea conveniunt cum Dei justitia et sic vice versa, Sap. 8, v. 1: *διοικεῖ τὰ πάντα χρηστῶς*. Sap. 12, v. 15: *δίκαιος ὢν δικαίως τὰ πάντα διέπεις*. Sap. 15, v. 1: *σὺ ὁ θεὸς ἡμῶν χρηστὸς καὶ ἀληθής, μακρόθυμος καὶ ἐν ἐλέει διοικῶν τὰ πάντα*. Pulchre Damasc. orthod. fid. c. 29: *χρὴ πάντα θαυμάζειν, πάντα ἐπαινεῖν, πάντα ἀνεξετάστως ἀποδέχεσθαι τὰ τῆς προνοίας ἔργα· κἂν φαίνηται τοῖς πολλοῖς ἄδικα διὰ τὸ ἄγνωστον εἶναι καὶ ἀκατάληπτον τοῦ θεοῦ τὴν πρόνοιαν*. Proinde de operibus Dei ante quintum actum judicare non debemus; si enim ex initiis vel mediis conjecturam fecerimus, non agemus aliud, quam si de Phidiae statua ex uno digito voluerimus constituere, omnes partes corporis considerandae antea sunt, si convenientiam et symmetriam totius operis voluerimus deprehendere. Recitatur dictum Fulberti episcopi: *Mens humana cum divinae dispositionis causas per se discutere non valeat, ad hoc, quod comprehendere non valet, reverenter erroneae disputationis oculos claudat.*

3. Magna tempestatum inconstantia. 147. *3. Si est providentia divina, unde tanta tempestatum inconstantia?* Respond. August. 5. de Gen. ad lit. c. 21: *Qui putant partem mundi terrenam et humanam, aërisque hujus vicinioris,* IV. 134. *qui terrarum et aquarum exhalationibus humescit, in quo venti nubesque consurgunt, casibus potius et fortuitis motibus agitari, contra hos loquitur psalmus, qui cum explicasset laudem coelestium, se etiam ad ista inferiora convertit dicens: Laudate Dominum de terra dracones et omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, qui faciunt verbum ejus. Nihil enim tam videtur casibus volvi, quam omnes istae procellosae ac turbulentae qualitates, quibus coeli hujus inferioris, quod non immerito etiam terrae nomine deputatum est, facies variatur et vertitur, sed cum addidit, quae faciunt verbum ejus, satis ostendit, earum quoque rerum ordinem divino subditum imperio latere non potius quam universitatis deesse naturae.*

4. Varia illa monstra et defectus naturales advertantur providentiae. 148. *4. Si est providentia, unde sunt monstra et defectus naturales?* Respond. Aristoteles 4. de generat. animal. c. 4. monstra vocat *παρεκβάσεις* naturae; interim tamen sciendum, quod monstra non eveniant praeter intentionem primae causae sive naturae naturantis, hoc est ipsius Dei, ipse enim rerum omnium eventus et providentia sua praevenit et sapientia disponit. August. 16. de civ. Dei c. 8: *Deus creator est omnium, qui ubi et quando creari quid oporteat vel oportuerit, ipse novit; sciens universitatis pulchritudinem, quarum partium vel similitudine vel diversitate contexat, sed qui totum inspicere non potest, tanquam deformitate partis offenditur, quoniam cui congruat et quo referatur, ignorat.* Thom. p. 1. q. 22. artic. 2: *Nihil subtrahit se ab ordine causae universalis, sed interdum ab ordine causae particularis.* Boëtius lib. 4. de consol. pres. 6. id declarat exemplo linearum, quae a centro ad circumferentiam ductae ejus ambitu continentur Ergo si in hoc peripheriae punctum linea non incidit, in aliud necessario incurrit, *ita in natura si quid a praecepto sibi ordine discesserit, in alium relabitur.*

CAPUT XII.

DE CASUALI ET FORTUITO.

149. Ex his facile intelligi potest, *an propter divinam providentiam nullus sit fortuito aut casuali locus?* respondendum est, providentiam non ab omni, sed duntaxat uno, videlicet universalis causae ordine casuale ac fortuitum excludere. Potest igitur ratione respectu particularis causae aliquid dici fortuitum ac casuale, quod tamen universalis causae ordinem non defugit. Exempli gratia: *Abeat quis cum proximo suo in sylvam ad caedendum ligna, si impulsa fuerit manus ejus in securim ad caedendum lignum, elapsum autem fuerit ferrum e ligno et percusserit proximum, ut moriatur* Deut. 19, v. 5. Haec caedes dicitur fortuita Num. 35, v. 22, ratione scilicet causae particularis; interim ratione divinae providentiae dicitur, *quod Deus illum, qui hoc modo occiditur, in manus interfectoris tradiderit*, Exod. 21, v. 13. Sic *ἐνδεχόμενον* erat, hominem quendam cum hydria discipulis occurrere, et tamen praevisioni divinae hoc erat certum Luc. 22, v. 18. Si vis, potes rem declarare uberius exemplo patris familias, qui duos servos per diversas vias in forum mittit, quorum occursus ipsis est fortuitus, non autem patri familias; quo exemplo utitur Thom. p. 1. q. 22. An divina providentia excludat casum et fortunam.

150. Addendum tamen ex August. 1. retract. 1. *per fortunam non velim intelligi deam aliquam* (quo sensu Anastasius episcopus tom. 1. Biblioth. p. 59. dicit: *Fortuna apud Graecos dicta est mundi administratio absque providentia. Ergo si Christianus confessus fuerit fortunam, excidit a Christianorum dogmate*), sed fortuitum rerum eventum, vel in corporis nostri vel in externis bonis aut malis, *unde illa verba sunt, quae nulla religio dicere prohibet, forte, forsitan, fortasse, fortuito; quod tamen totum ad divinam revocandum erit providentiam.* Breviter: *nihil aliud in rebus casum vocamus, nisi cujus ratio et causa secreta est.* Idem 1. cont. Acad. c. 1: *Nos eas causas, quae dicuntur fortuitae, non esse dicimus nullas, sed latentes.* Idem 5. de civit. Dei c. 9: *Casus et fortuna sunt humanae ignorantiae voces.* Pulcerrimos versiculos refert Dn. Phil. Camerar. part. 1. succis. hist. c. 80. p. 385: Quid nomine fortunae intelligendum. IV. 135.

Si vitam spectes hominum, si denique mores,
Artem, vim, fraudem cuncta putes agere;
Si proprius spectes, fortuna est arbitra rerum,
Nescis quam dicas et tamen esse vides;
At penitus si introspicias atque ultima primis
Connectas, tantum est rector in orbe Deus.

151. Haec omnia complectitur Bonav. sentent. dist. 37. q. 2: *Casuale et fortuitum aliquid ponunt, utpote effectum, qui ex concursu causarum ob aliud inceptarum aliquid etiam privant, dicit enim casus et fortuna defectum intentionis et praecognitionis. Porro privatio intentionis potest intelligi dupliciter, primo modo universaliter respectu cujuscunque agentis sive particularis sive universalis sive operantis sive cooperantis sive exsequentis sive gubernantis, et hoc modo nihil est casuale et fortuitum, et casus et fortuna hoc modo nihil sunt. Alio modo potest intelligi privatio intentionis respectu agentis particularis utpote particularis naturae et intellectus creati, et hoc modo aliquid est casuale et casus aliquid est, quo sensu Boëtius definit casum, quod sit inopinatus rei eventus.*

CAPUT XIII.

DE FATO.

De fato. 152. Caeterum quod de casuali et fortuito diximus, ὁμωνυμίαν quandam in istis terminis occurrere, idem *de fati* vocabulo dicimus, ὁμώνυμον scilicet istud esse ac proinde diligenter explicandum, id quod ante nos fecit Augustinus 5. de civit. Dei c. 8: *Qui non astrorum constitutionem, sicuti est, cum quidque concipitur vel nascitur vel inchoatur, sed omnium connexionem seriemque causarum, qua fit omne quod fit, fati nomine appellant, non multum cum eis de verbi controversia laborandum atque certandum est; quandoquidem ipsum causarum ordinem et quandam connexionem Dei summi tribuunt voluntati et potestati, qui optime et veracissime creditur et cuncta scire, antequam fiant, et nihil inordinatum relinquere, a quo sunt omnes potestates, quamvis ab illo non sint omnium voluntates.* c. 9: *Omnia fato fieri non dicimus, imo nulla fieri fato dicimus, quoniam fati nomen ubi solet a loquentibus poni, h. e. in constitutione siderum, qua quisque conceptus et natus est, quoniam res ipsa inaniter asseritur, nihil valere monstramus* (tract. 37. in Joh.: *Si cor tuum non esset fatuum, non crederes fatum.) Ordinem autem causarum ubi voluntas Dei plurimum potest, neque negamus neque fati vocabulo nuncupamus, nisi forte ut fatum a fando dictum intelligamus, id est a loquendo; non enim abnuere possumus, esse scriptum in literis sanctis, semel locutus est Deus, duo haec audivi, quoniam potestas est Dei et tibi, Domine, misericordia* etc. *Quod enim dictum est, semel locutus est, intelligitur immobiliter, h. e. incommutabiliter est locutus, sicut novit incommutabiliter omnia, quae futura sunt et quae ipse facturus est. Hac itaque ratione possemus a fando fatum appellare, nisi hoc nomen jam in alia re soleret intelligi, quo corda hominum nolumus inclinari. Non est autem consequens, ut, si Deo certus est omnium ordo causarum, ideo nihil sit in nostrae voluntatis arbitrio* etc. Hactenus Augustinus.

153. Johan. Picus Mirandulanus lib. 4. cont. Astrol. recenset quatuor sententias veterum de Fato. (Unde Scalig. exerc. c. 7: *nobis videntur esse quatuor, quorum vis a veteribus vario assensu excepta est: natura, fatum, fortuna, casus.)* Alii fatum esse naturam dicunt, ut quae electionis sint vel casus extra fatum sint, sic Virgilius Didonem, quae se sponte occiderat, negat fato mori. Alii fati nomine intelligunt aeternam seriem causarum necessario nexarum. Cic. 1. de divin. ex sententia Stoicorum; *fatum id appello, quod Graeci εἱμαρμένην, hoc est ordinem seriemque causarum, cum causa ex se causam gignat, ea est ex omni aeternitate fluens veritas sempiterna.* Alii ex siderum positu fatum deducunt, ut astrologi. Alii denique divini consilii exsecutionem fatum vocant, Seneca lib. 3. de benef. *hunc eundem* (Deum) *si fatum dixeris, non errabis, namque fatum nihil est aliud, quam series implexa causarum, illa est prima omnium causa, ex qua caetera pendent.* Quadruplex fatu apud veteres. IV. 136—144 [sic.].

154. Ergo si fati nomine intelligitur ipsa divina providentia, quae inferiores causas tum naturales tum voluntarias non excludit, sed subordinatas habet, et modis illis, quos supra exposuimus, cum eis concurrit, utique concedendum est, fato, hoc est divina providentia, omnia omnino gubernari. Si vero fati nomine intelligitur necessaria omnium causarum connexio, qua vel Deus ipse necessitati isti subjiciatur vel a stellarum cursu rerum sublunarium regimen nexu necessario dependere dicatur, vel humanae voluntatis libertas excludatur, utique tale fatum improbamus et rejicimus.

CAPUT XIV.

USUS HUJUS LOCI PROPONITUR.

155. Atque haec de providentia divina dicta sint, quorum verum usum tum demum nos assecutos esse statuamus, si universale Dei imperium, quo res singulas et universas optime et sapientissime gubernat, debita subjectione agnoscimus, grato corde celebramus, et vera animi pietate veneramur; si omnia ad vitae sustentationem necessaria ab omni sufficiente et benignissimo illo universitatis moderatore petimus eidemque omnia nostra accepta referimus bona; si munerum, quae divina providentia in nos jam ante contulit uberrima, memores et providam Dei curam circa res nobis longe inferiores animadvertentes firma cordis fiducia ei adhaeremus ac sollicitudinem illam nostram de futuris diffidentiae plenam excutimus; si in omnibus, quaecunque obtingunt, adversis ad Deum respicimus, ne capillum quidem capitis nostri absque voluntate ipsius decidisse vel decidere Usus doctrinae de providentia.

statuentes, et proinde vel liberationem vel mitigationem adversorum ab illo speramus, si vel maximae causae secundae appareant nobis nullae; si felicitatem impiorum et aerumnas piorum oculo irretorto intuiti, in patientia animas nostras possidemus, nec in prosperis elati, nec in adversis desperabundi; denique si nullis malis ac periculis nos ab hoc omnium optimo, sapientissimo et potentissimo moderatore avelli patimur, sed omnia mirabili ejus consilio in bonum nobis tandem cooperari indubitata fide credimus.

CAPUT XV.

DEFINITIONEM PROVIDENTIAE PROPONIT.

Definitio providentiae.

156. Ex superioribus talem constituimus providentiae divinae definitionem: Providentia divina est actio, qua Deus omnia non solum intuetur, sed etiam juxta consilium voluntatis suae res a se creatas omnes et singulas conservat ac libere, potenter, sapienter ac bene eas gubernat, ordinarie quidem institutum naturae cursum conservando, extraordinarie vero sine mediis naturalibus vel etiam contra media agendo; praecipue vero vitam et actiones hominum regit bonas praecipiendo, juvando, approbando, malas permittendo, metas praefiniendo et bonum ex illis eliciendo. Damascenus breviter et nervose sic definit 2. orth. fid. c. 29: *ἡ πρόνοιά ἐστιν ἡ ἐκ τοῦ θεοῦ εἰς τὰ ὄντα γενομένη ἐπιμέλεια.* Item: *πρόνοιά ἐστι βούλησις θεοῦ, δι᾽ ἣν πάντα τὰ ὄντα τὴν πρόσφορον διεξαγωγὴν λαμβάνει.*

Ἀνακεφαλαίωσις omnium praecedentium.

157. Si quis delectatur brevi synopsi omnium eorum, quae hactenus dicta, sic poterit procedere: Providentiae divinae actio vel est aeterna, scilicet *πρόγνωσις καὶ πρόθεσις*, vel temporis, scilicet rerum creatarum conservatio et gubernatio, eaque vel ordinaria per media, vel extraordinaria, idque vel sine mediis vel contra media. Utraque versatur circa res omnes, praecipue circa naturam humanam, in cujus conservatione et gubernatione eminent vita et actiones hominum. Vitae spectatur vel ingressus, vel progressus, vel egressus. Actiones quaedam bonae, idque vel civiliter vel spiritualiter, vel malae, quomodo in his omnibus divinae providentiae actio concurrat, certis aphorismis exposuimus. Concludimus exclamatione Augustini libr. 3. Confess. c. 11: *Tibi, o bone omnipotens, qui ita curas unumquemque nostrum tanquam solum curares, et ita universos, ut singulos, sit laus et honor et gratiarum actio in aeternum. Amen.*

IV. 145.

LOCUS SEPTIMUS

DE ELECTIONE ET REPROBATIONE.

I.

Connexio cum loco praecedente.

Diximus, duo praecipua ac maxima opera (ad quae reliqua omnia certo modo ac ordine referri possunt) in tempore a Deo facta esse, videlicet creationem totius universi et instaurationem generis humani, ac de utroque Deum ab aeterno fecisse decretum. Quale decretum de ratione fecerit Deus ab aeterno, id ab exsecutione istius in tempore facta didicimus; sequitur decretum Dei alterum de instauratione generis humani per Filium. Hoc itidem aeternum est, ante jacta mundi fundamenda factum, ideoque non tempore, sed ordine prius illud sequitur.

Decretum instaurationis.

2. Quale fuerit hoc instaurationis decretum, itidem ab exsecutione discemus, memores regulae superius a nobis propositae, quod decretum Dei et exsecutio istius decreti exquisitissime conveniant. Cujus ratio pendet ab immutabilitate divinae voluntatis.

3. Hanc si insistamus viam, Scripturae praescriptum sequemur, quae tradit *mysterium salutis nostrae aeternis temporibus tacitum revelari in praedicatione evangelii* Rom. 16, v. 25. Ephes. 3, v. 8. et 9. *Propositum illud Dei et gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia, manifestatam esse per illuminationem Christi salvatoris nostri* 2. Tim. 1, v. 9. et 10. *Deum quidem nemo vidit unquam, sed Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis* Joh. 1, v. 18.

Investigatio ordinis inter decretum creationis et instaurationis.

4. Cumque decretum creationis et instaurationis se mutuo consequantur, ideo quod in creatione est ultimum, id hic esto nobis primum. Homo est ultima Dei creatura, unde totius mundi epitome et reliquarum creaturarum complementum dicitur; ad illius creationem accessurus Deus quasi deliberationem suscipit: *Faciamus* (inquit) *hominem ad imaginem et similitudinem nostram* Genes. 1, v. 26.

5. Hoc Dei consultum manifestat nobis primum et antiquissimum illius de homine decretum, quod videlicet Deus ab aeterno decrevit, hominem ad imaginem et similitudinem suam creare.

Pars imaginis divinae immortalitas.

6. De illa Dei imagine in homine suo loco plura; hac vice illud nobis sufficit, quod pars illius imaginis fuerit immortalitas. Sap. 2, v. 23: *Deus creavit hominem inexterminabilem, ad imaginem propriae similitudinis fecit eum.* Cum enim tres sint interitus ac dissolutionis causae, contra illas omnes hominem Deus muniverat. Prima causa interitus est, quod corpora rebus contrariis atque inter se pugnantibus constant; contra hanc data erat homini aequabilis et exacta medietas temperamenti; fuit enim in Adamo totius naturae integritas et rectitudo Eccles. 7, v. 30. Altera causa est, quod calor nativus continue depascit humidum radicale, atque ipse calor in agendo repatitur; contra hanc data erat homini arbor vitae, cujus fructus in humore naturali primigeniam puritatem conservabat et calorem corroborabat. Tertia causa interitus pendet IV. 146.
ex iis, quae extrinsecus homini accidunt, ut sunt aër pestilens, aqua suffocans, ignis adurens, animalia venenata; sed haec partim aberant ab illo felicissimo statu, partim ab illis tutus erat homo connata prudentia, angelorum custodia et speciali Dei cura.

7. Insuper quia imago illa Dei, ad quam homo conditus, etiam ad posteros fuisset propagata; inde apparet, Deum in Adamo omnes homines ad vitam aeternam creasse.

Lex primaeva homini data.

8. Huic a se creato homini proposuit Deus legem de non comedendo arboris vetitae fructu; voluit enim, ut hoc obsequio atque hac obedientia homo sese gratum creatori suo praestaret. Addidit huic legi comminationem, fore ut quacunque die de illa arbore comedat, morte moriatur, quibus verbis *non tantum primae mortis pars prior intelligitur, ubi anima privatur Deo, nec tantum posterior, ubi corpus privatur anima, nec solum ipsa tota prima, ubi anima et a Deo et a corpore separata punitur; sed quicquid mortis est, usque ad novissimam, quae secunda mors dicitur, et qua nulla est posterior.* August. 13. de civit. Dei c. 12.

Duplex gradus immortalitatis.

9. Haec comminatio probe consistit cum immortalitatis dono homini collato, *quia aliud est posse non mori, aliud non posse mori.* Secundum priorem modum primus homo creatus erat immortalis. August. 6. de Gen. ad lit. c. 25.

Origo miseriae humanae.

10. Quia vero homo a diabolo seductus in tanta non peccandi facilitate libere se a Deo avertit, divini istius praecepti transgressione, ideo sua culpa concreatis illis donis se ac posteros spoliatos aeternae morti mancipavit.

11. Ad hunc lapsum primus homo non est efficaci quodam et invariabili Dei decreto impulsus, quia, antequam laberetur homo, ut posset non labi, perfectam facultatem, et ut posset nolle labi, integram voluntatem Deus illi dederat; ac insuper uti ne laberetur, severissimam mortis comminationem adhibuerat, atque hac ratione intus et foris hominem muniverat, sed homo libera voluntate portam negligentiae diabolo pulsanti aperuit ac per eam ad se mortem intromisit.

12. Praevidit nihilominus Deus hunc lapsum ab aeterno. Quid enim scientiam ejus fugeret? praevidit et ex immensa sua φιλανθρωπίᾳ ac misericordia decretum fecit de medela huic hominis lapsui afferenda. Ut enim praevidit, quid illi mali essent facturi, ita etiam praevidit et decrevit de malis factis eorum quid boni esset ipse facturus. *Sic enim eos fecit, ut eis relinqueret, unde et ipsi aliquid facerent, quo quicquid etiam culpabiliter eligerent, illum de se laudabiliter operantem invenirent.* Augustin. 11. de Gen. ad lit c. 9.

Decretum instaurationis.

13. Hoc demum est decretum instaurationis, quod quale fuerit, exsecutio in tempore ostendit. Postquam enim Adamus cum omnibus suis posteris aeternae mortis nexibus per lapsum irretitus esset neque huic malo vel hominum vel angelorum sapientia remedium aliquod invenire posset, Deus ex arcana majestatis suae sede prodiens illud adorandum mysterium de reparatione generis humani per Filium manifestavit his verbis: *Semen mulieris conteret caput serpentis* Gen. 3, v. 15.

Incarnatio τοῦ Λόγου.

14. Quia ergo Deus hanc primam promissionem implens *in plenitudine temporis misit Filium suum natum ex muliere* Gal. 4, v. 4, *qui in hoc apparuit, ut dissolveret opera diaboli* 1. Joh. 3, v. 8; inde colligimus, Deum ab aeterno fecisse decretum de mittendo Filio in carnem, per cujus obedientiam et satisfactionem sanarentur vulnera, quae infernalis serpens homini inflixerat, et restituerentur amissa illa per lapsum bona.

Verbi praedicatio.

15. Haec beneficia per Filium parta offert Deus toti humano generi per verbi sui praedicationem sacramentorum sigillo confirmatam, ac per Spiritum s.
IV. 147. vult in cordibus hominum accendere fidem, per quam bonorum istorum reddantur participes. Si quis ergo hoc Dei verbum recipit ac vera fide a Spiritu s. accensa oblata bona amplectitur, is ab aeternae mortis per lapsum protoplastorum introductae nexibus liberatur: *qui enim crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* Marc. 16, v. 16. *Qui vero verbum illud repellit et se ipsum indignum judicat vita aeterna* Actorum 13, v. 16. *qui non credit Filio, super ipsum manet ira Dei* Joh. 4, v. 36, quam Dei iram comitatur aeterna damnatio.

16. Quia ergo ea, quae in tempore Deus agit, sunt manifestatio eorum, quae in tempore agere decrevit, inde colligimus, quo modo in tempore Deus homines justificat et salvat, eo modo factum esse aeternum de ipsorum salute decretum, quod dicitur electio: ac vicissim, propter quas causas in tempore excluduntur homines a coelestis regni possessione, propter easdem causas eos excludendos esse, ab aeterno a Deo factum esse decretum, quod dicitur reprobatio. *Haec est voluntas ejus, qui misit me, Patris,* inquit Christus Johan. 6, v. 40, *ut omnis, qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam.* Haec etiam fuit Dei ab aeterno voluntas. Vicissim: *qui non credit in Filium, jam judicatus est* Johan. 3, v. 18. Haec itidem fuit DEI ab aeterno voluntas. Summatim, decretum et exsecutio decreti exactissime sibi respondent. Decretum electionis.

17. Ex his manifestum est, nec electionis nec reprobationis decretum statuendum esse absolutum aut ab absoluta Dei voluntate pendere, sed electionis decretum factum esse intuitu Christi per fidem apprehendendi, ideoque illos omnes et solos a Deo esse electos, quos efficacia Spiritus s. per ministerium verbi in Christum generis humani instauratorem perseveranter credituros Deus praevidit; vicissim reprobationis decretum factum esse intuitu finalis impoenitentiae et incredulitatis; illos ergo omnes et solos a Deo esse reprobatos, quos in impoenitentia et incredulitate usque ad vitae finem propria culpa permansuros Deus ab aeterno itidem praevidit.

18. Atque haec est brevis ἰχνογραφία totius doctrinae de electione et reprobatione, quam enucleatius et uberius in sequentibus exponemus. Antequam vero ad pleniorem istam hujus argumenti ἐργασίαν progrediamur et cum absoluti decreti architectis in arenam descendamus, προλεγομένων loco tractabimus quaestionem illam: An et quomodo de hac doctrina sit disserendum? cui etiam terminorum, qui in hac materia occurrunt, explicationem subjungemus.

CAPUT I.

AN DE PRAEDESTINATIONE IN ECCLESIA TRACTANDUM.

19. Exstant epistolae Prosperi et Hilarii ad Augustinum, quae praefixae sunt libris de praedestinatione sanctorum, et de bono perseverantiae (tomo 7.), quae testantur, quosdam in Gallia tum temporis auctoritate conspicuos viros judicasse, praedestinationis definitionem utilitati praedictionis adversam esse, sed respondet illis Augustinus IV. 148. An de praedestinatione disputandum sit?

de bono persev. c. 14: *Nonne apostolus, doctor ille gentium, in fide et veritate praedestinationem toties commendavit et verbum DEI praedicare non destitit? nunquid quia dixit: Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere, ideo non ipse et ut velimus, quae Deo placent, et ut operemur, hortatus est? aut quia dixit: qui in vobis bonum opus coepit, perficiet usque in diem JESU CHRISTI, ideo ut inciperent homines et ut perseverarent in finem, ipse non suasit? nempe ipse Dominus hominibus praecepit, ut crederent, atque ait: Credite in Deum, et in me credite, nec tamen ideo ejus falsa est sententia, nec vana definitio, ubi ait: Nemo venit ad me, id est, nemo credit in me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. Nec rursus, quia vera est haec definitio, ideo vana est illa praeceptio. Cur ergo praedicationi, praeceptioni, exhortationi correptionique, quae omnia frequentat Scriptura divina, existimamus inutilem definitionem praedestinationis, quam commendat eadem Scriptura divina?* Et postea: *Nec praedestinationis praedicatione impedienda est praedicatio fidei perseverantis et proficientis, ut, quod oportet, audiant et quibus datum est, ut obediant; nec rursus praedicatione fidei proficientis et usque ad ultimum permanentis impedienda est praedicatio praedestinationis, ut, qui fideliter et obedienter vivit, non de ipsa obedientia tanquam de suo non accepto extollatur, sed qui gloriatur, in Domino glorietur.* Videantur etiam capita sequentia, in quibus late id ipsum probat.

20. Quod ergo Spiritus s. in Scriptura θεοπνεύστῳ revelavit, de quo Christus et apostoli in suis concionibus egerunt, quo omnem spiritualis superbiae tumorem in nobis deprimit, quod ad Dei amorem et gratias ipsi agendas excitat, quod ad studium pietatis inflammat, illud utique silentio minime est involvendum. Sed tale est praedestinationis mysterium, ut κατὰ μέρη ostendere in proclivi est.

Quomodo de praedestinatione disputandum sit.

21. Disserendum igitur in Christianorum scholis de hoc mysterio, sed modo debito, quem verbis piorum veterum exprimemus. Hilarius 5. de trinit.: *Non est de divina praedestinatione humanis judiciis sentiendum, neque enim nobis ea natura est, ut se in coelestem cognitionem suis viribus efferat; a Deo discendum est, quid de Dei Deique voluntate sit intelligendum, quia Deus non nisi Deo auctore cognoscitur. Quoniam igitur impossibile erat sine Deo discere Deum, per verbum suum docet homines scire Deum.* Ambr. 1. de vocat. gent. c. 7: *Quae Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda, quae autem manifesta fecit, non sunt neganda, ne in illis illicite curiosi, in his damnabiliter inveniamur ingrati.* August. de verbis apostoli serm. 7. tom. 10: *Quidam euntes post cogitationes suas, loquentes de Dei profundo mersi sunt in profundum.* Ex quibus concludimus, si de praedestinationis mysterio cogitare vel disserere cupimus, solam divini verbi lucem, non nostrae rationis tenebras sequendas esse: dicamus, non quod humani cordis caecitas dictitat vel quod humana curiositas desiderat, sed quod Spiritus sancti dictamen in Scripturis nobis suppeditat.

Formulae loquendi de hoc mysteri

22. Nec solum εὐσεβῶς δεῖ νοεῖν in hoc mysterio ex Scripturae tabulis, sed etiam εὐσεβῶς λέγειν cum ejusdem pronuntiatis. Augustinus de bono perseverantiae c. 16: *Dicatur verum, maxime ubi aliqua quaestio ut dicatur, impellit, et capiant qui possunt, ne forte cum tacetur propter eos, qui capere non possunt, non solum veritate nudentur* (al. fraudentur) *verum etiam falsitate capiantur, qui verum capere, quo caveatur falsitas, possunt* etc., *quamvis modo quodam dicendi fieri possit, ut id quod dicitur et parvulis lac et grandibus esca sit.* c. 21: *Praedestinatio non ita populis praedicanda est, ut apud imperitam vel tardioris intelligentiae multitudinem redargui quodammodo ipsa sua praedestinatione* (al. praedicatione) *videatur, sicut redargui videtur et praescientia, quam certe negare non possunt. Si dicatur hominibus, sive curratis, sive dormiatis, quod vos esse praescivit, qui falli non potest, hoc eritis. Dolosi autem vel imperiti medici est, etiam utile medicamentum sic alligare, ut aut non prosit aut obsit. Sed dicendum est, sic currite, ut comprehendatis, atque ipso cursu vestro ita vos esse praecognitos noveritis, ut legitime curratis, et si quo alio modo Dei praescientia praedicari potest, ut hominis segnitia repellatur.* c. 22: *Quamvis haec vera sint* (quod in ecclesiae coetu quidam sint electi, quidam reprobi), *non tamen isto modo dicenda sunt audientibus multis, ut sermo ad ipsos etiam convertatur, eisque dicantur illa verba, quibus* teste Prospero et Hilario *quidam in Gallia utebantur (ita se habet de praedestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut alii ex vobis de infidelitate, accepta obediendi voluntate, veneritis ad fidem.) Quid opus est dici, alii ex vobis? Si enim ecclesiae Dei loquimur, si credentibus loquimur, cur alios eorum ad fidem venisse dicentes, ceteris facere judicamur injuriam? cum possimus congruentius dicere, ita se habet de praedestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut ex infidelitate veneritis ad fidem, accepta voluntate obediendi, et accepta perseverantia maneatis in fide, nec illud est omnino dicendum (ceteri, qui in peccatorum delectione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia necdum vos adjutorium gratiae miserantis erexit), cum bene et convenienter dici possit et debeat, si qui autem adhuc in peccatorum damnabilium delectatione remoramini, apprehendite saluberrimam disciplinam, quod tamen cum feceritis, nolite extolli quasi de operibus vestris aut gloriari, quasi hoc non accepe-ritis, Deus est enim, qui operatur velle et perficere, de ipso autem cursu vestro bono rectoque condiscite vos ad praedestinationem divinae gratiae pertinere: Item quod dicitur (si qui estis nondum vocati, quos gratia sua praedestinaverit eligendos, accipietis eandem gratiam, qua velitis et sitis electi) durius dicitur, quam dici potest, si nos non quibuslibet hominibus loqui, sed Christi ecclesiae cogitemus. Cur enim non potius ita dicitur: Et si qui*

IV. 149.

sunt nondum vocati, pro eis, ut vocentur, oremus? fortassis enim sic praedestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur et accipiant eandem gratiam, qua velint esse atque efficiantur electi; Deus enim, qui omnia, quae praedestinavit, implevit, ideo et pro inimicis fidei orare nos voluit, ut hinc intelligeremus, quod etiam ipse infidelibus donet, ut credant et volentes ex nolentibus faciat. Hactenus Augustinus, quem omnino vide.

CAPUT II.

EXPLICATIONEM TERMINORUM PROPONIT.

Explicatio terminorum.

23. Transeamus ad explicationem terminorum, qui in hac materia solent usurpari. Hebraei duo vocabula habent, quibus eligendi actionem exprimunt בָּחַר et בָּדַל; בָּחַר, *delegit*, *elegit* quidam putant esse compositum ex ב et חוֹר candidum, quia, quae sunt candida et ingenua, eliguntur et approbantur; quidam dicunt participare cum verbo חָבַר, a quo
IV. 150. ut transpositione tantum literarum, ita modo significandi differat; usurpatur de rebus et personis: de rebus 2. Samuel 24, v. 12: *Elige tibi unum ex illis.* Esa. 7, v. 15: *ut sciat reprobare malum et eligere bonum.* De personis Deuter. 7, v. 7: *elegit te Jehova vel in te delegit*, id est delectum habuit. Ezech. 20, v. 5: *in die eligendi me in Israël*, id est, cum eligerem mihi Israëlem. In omnibus hisce locis usurpatur verbum בָּחַר. Vox בָּדַל legitur tantum in voce passiva et habet significationem separandi, sive res ab alia re, sive persona ab alia persona separetur et discernatur. Num. 16, v. 9: *Num parum est vobis, quod separavit vos Deus a coetu Israël*, id est ad officium sacerdotale elegit?

Ἐκλέγεσθαι.

24. Ἐκλέγεσθαι, eligere, itidem transfertur tum ad res, tum ad personas. Quando ad res transfertur, significat rem aliquam caeteris praeferre vel etiam ad usum nobiliorem deputare. Genes. 13, v. 11: *elegit sibi Loth regionem circa Jordanem*, ἐξελέξατο. Deut. 12, v. 11: *locus, quem elegerit Jehovah*, ὃν ἐκλέξεται; significat etiam approbare et acceptum habere: Esa. 58, v. 6: *num tale jejunium elegi*, ἐξελεξάμην. Si ad personas transfertur, usurpatur vel de Christo vel de angelis vel de hominibus. De Christo usurpatur Esa. 43, v. 10. Matth. 12, v. 18: ἰδοὺ ὁ παῖς μου, ὃν ἐξελεξάμην apud Esaiam; ὃν ἡρέτισα apud Matth. Dicitur autem Christus *electus DEI servus*, quia peculiariter ipsi est dilectus; maxime vero propterea, quia est in aeterno Dei consilio constitutus mediator et redemptor noster; unde in plenitudine temporis assumsit humanam naturam atque in ea servivit Deo propter hominum salutem Matth. 20, v. 28. De angelis usurpatur 1. Tim. 5, v. 21: *testor coram Deo et Christo et electis angelis.* Dicuntur autem angeli electi, quia sunt in bono confirmati, reliquis malis angelis *in judicium magnae diei vinculis aeternis sub caligine reservatis* 2. Petr. 2, v. 4. Epist. Jud. v. 6. Quando ad homines transfertur, significat in genere seligere aliquem ad munia publica obeunda, sive ecclesiastica ea sint sive politica. Exod. 18, v. 25: *elegit Moyse vires fortes ex omni Israële et constituit eos super Israël* etc. Deuter. 18, v. 5. *ipsum* (Aaronem) *elegit*, ἐξελέξατο, *Deus e cunctis tribubus.* 1. Samuel. 10, v. 24. de Saule: *videtis, quem elegerit Deus.* Luc. 6, v. 13: *Christus elegit duodecim ex discipulis et eos constituit apostolos* ἐκλεξάμενος. Actor. 1, v. 24: *Domine, ostende quem elegeris* etc. In specie et in strictiori significatione usurpatur vel de toto ecclesiae coetu, quem ex omnibus coetibus et gentibus sibi Deus per verbum colligit et in populum περιούσιον elegit, Deut. 4, v. 37: *elegit Deus semen patrum suorum.* c. 7, v. 6: *elegit te Jehova in populum peculiarem* etc.; vel de veris ecclesiae membris, quae vera fide Christo, ecclesiae capiti, adhaerent et in ea perseverant usque ad finem vitae, Eph. 1, v. 4: *elegit nos Deus in Christo ante jacta fundamenta mundi*, haec vocatur ἐκλογὴ χάριτος, unde etiam metonymice vox ἐκλογῆς pro ipsis personis ad vitam aeternam electis accipitur, Rom. 11, v. 7.

25. Sunt et alia apud Graecos vocabula, quibus Hebraeum בָּחַר, eligere, exprimunt, διέστειλεν ἡμᾶς ὁ θεός Num. 16, v. 9. *viam veritatis* ἡρετισάμην Ps. 119, v. 30. ἀφ᾽ ἧς ἡμέρας ἡρέτισα τὸν οἶκον Ἰσραήλ Ezech. 20, v. 3. ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον Rom. 1, v. 1. (quod respondet Hebraeo נִבְדַּל). ὅτι εἵλετο ὑμᾶς ὁ θεὸς ἀπ᾽ ἀρχῆς εἰς σωτηρίαν 2. Thess. 2, v. 13. etc. IV. 151. Synonyma vocabuli eligere.

26. Ex omnibus hisce conspicuum: *1. vocem eligendi includere* in sui significatione quandam separationem, qua res vel persona ab alia separatur et sic ad certum quid eligitur, unde quod Moyses dicit Deut. 7, v. 6: *Te elegit Dominus, ut sis illi populus peculiaris ex omnibus populis, qui sunt in superficie terrae*, id Salomon sic reddit 1. Reg. 8, v. 53: *Tu separasti Israëlitas tibi in haereditatem de universis populis terrae.* Quod Moyses dicit Num. 16, v. 9. *Deum separasse filios Levi ab Israëlitis, ut ministrarent in tabernaculo*, id David 1. Paral. 15, v. 2. ita exprimit, *Deum elegisse Levitas, ut portent arcam et ministrent ei*, quo pertinet illa phrasis, quod *de mundo Deus eligere dicitur* (Joh. 15, v. 19); cujus observationis usus contra universalis electionis propugnatores 2. vocem eligendi complecti in se gratuitam dilectionem, a qua originem ducat. Deut. 4, v. 37: *Quoniam dilexit Jehovah patres tuos, elegit semen eorum post eos.* Deuter. 7, v. 6: *te elegit Jehova Deus tuus, ut sis illi populus peculiaris.* v. 7: *non quia plures essetis prae omnibus populis, amavit vos Jehova et elegit vos.* v. 8: *sed quia diligebat vos Jehova, et custodire volebat juramentum, quod juraverat patribus* Deut. 10, v. 15: *Tantummodo in patribus tuis beneplacitum est Jehovah, ut diligeret eos, et elegit semen eorum;* hujus observationis usus est contra

Vis vocabuli eligendi.

liberi arbitrii et meritorum propugnatores, qui disputant, Deum propter praevisa bona opera homines elegisse; 3. vocem eligendi semper in bono usurpari, nuspiam autem in malo, ut ex omnium exemplorum consideratione patebit, cujus observationis usus est contra absoluti decreti reprobatorii propugnatores, qui disputant, absoluto quodam odio Deum ad mortem aeternam quosdam praedestinasse; 4. voces *ἐκλεκτῶν* et *ἐκλελεγμένων* ejusdem esse latitudinis, ac proinde non posse dici, omnes esse ad vitam aeternam *ἐκλελεγμένους* Marc. 13, v. 20: *διὰ τοὺς ἐκλεκτούς, οὓς ἐξελέξατο.* 1. Cor. 1, v. 27: *τὰ μωρὰ τοῦ κόσμου ἐξελέξατο ὁ θεός*, cujus observationis usus itidem est contra universalis electionis proprie sic dictae defensores.

Προορισμός. 27. Electio ad vitam aeternam in scriptis apostolicis vocatur etiam *προορισμός* Rom. 8, v. 30. Eph. 1, v. 5. quod verbum valde emphaticum est, notans et finem ipsum et media ad finem. *Ὅρος* terminus est ac finis, ergo *προορίζειν* est ad certum finem destinare atque ordinare, ut simul media ad finem illum deducentia constituantur. Accommodatur haec vox itidem rebus et personis: Rebus, ut 1. Cor. 2, v. 7: *loquimur sapientiam in mysterio, quae abscondita est, ἣν προώρισεν ὁ θεός.* Quando personis accommodatur, semper in Scriptura significat earum electionem ad vitam aeternam. Augustin. libro de praedestinat. Dei c. 2. ita distinguit: *Praedestinationum aliae sunt alligationis, aliae conditionis; istae sunt justitiae, illae potentiae. Creavit Deus coelum et terram, solem et lunam, diem et noctem; praedestinavit insuper, ut coelum semper volveretur, terra immobilis circumvolventi coelo loco centri haberetur, sol et luna diei noctique praeessent, dies et nox certis temporibus vicissim succederent; hae praedestinationes potentiae sunt et alligationis. Creavit Deus hominem et praedestinavit, ut, si obediens esset ac a gustu vetiti pomi abstineret, in vita*
IV. 152. *permaneret, sin autem inobediens esset, sententiam mortis subiret; haec praedestinatio conditionis est et justitiae.* Hactenus Augustinus; sed uti diximus, Scriptura vocem *προορισμοῦ*, praedestinationis, nuspiam aliter accipit, quam de electione ad vitam aeternam. In vulgata translatione Christus dicitur *praedestinatus Dei Filius* Rom. 1, v. 4, sed in Graeco est *ὁρισθείς*, certo pronuntiatus, demonstratus ac declaratus, juxta Graecorum scholiorum interpretationem. Vide Erasmum in annotationibus.

Praedestinatio nuspiam in Scripturis sumitur pro reprobatione. 28. Praedestinationem aliam esse ad vitam, aliam ad mortem et causas mortis aeternae *ἄτερ γραφῆς* quidam asserunt; quippe in qua perpetuo de ordinatione ad vitam aeternam accipitur. Augustinus de praedestinat. Dei c. 2: *Imprimis nefas est dicere, Deum aliquid nisi bonum praedestinare.* ad art. sibi falso impositos art. 11: *nihil talium negotiorum* (quod patres incestant filias, servi occidunt dominos etc.) *Deus praedestinavit, ut fieret, nec illam animam turpiter nequiterque facturam ad hoc, ut taliter viveret, praeparavit; sed talem futuram non ignoravit, et de tali se juste judicaturum esse praescivit, atque ita ad praedestinationem ejus nihil amplius referri potest, nisi quod aut ad debitam justitiae retributionem aut ad indebitam pertinet gratiae largitatem.* artic. 12: *Nullo modo praedestinatio facit, ut aliqui ex filiis Dei sint filii diaboli, aut ex templo Spiritus s. templa fiant daemonum, aut ex membris Christi membra meretricis, sed potius praedestinatio facit, ut ex filiis diaboli fiant filii Dei, et ex templo daemonum templum Spiritus s., et ex membris meretricis membra fiant Christi* etc. *Praedestinatio multis est causa standi, nemini causa labendi.* art. 14: *ad praevaricationem legis, ad neglectum religionis, ad corruptelam disciplinae, ad desertionem fidei, ad perpetrationem qualiscunque peccati nulla est omnino praedestinatio Dei.* lib. 6. hypognost.: *Mala Deus tantum praescit et non praedestinat, bona vero et praescit et praedestinat* etc. *Quosdam* (reprobos scilicet) *Deus ideo punit, quia quid essent futuri, praescivit, non tamen ipse fecit puniendos vel praedestinavit.* Prosper in respons. ad Gall.: *Praedestinatio Dei semper in bono est* etc. *Nullo modo praedestinatio Dei iniquos facit.* Fulgent. lib. 1.
ad Monim.: *Non sicut praedestinavit DEUS sanctos* IV. 153.
ad justitiam accipiendam, sic praedestinavit iniquos ad eandem justitiam amittendam. etc. *Si dixerimus hominem a Deo praedestinatum ad opus aliquod malum, nos Deo misericordi tale quid, quod absit, opus adscriberemus, ubi nec misericors nec justus inveniri possit*, etc. *Nunquam Deus ad hoc hominem potuit praedestinare, quod ipse disposuit et praecepto prohibere et misericordia diluere et justitia punire.*

29. Serio ergo improbamus, quod Beza vol. 1. operum p. 417. scribit, *Deum non tantum ad damnationem, sed etiam ad causas damnationis quosdam praedestinasse*; quod Zanchius scribit 5. de natura Dei c. 2. p. 620, *quosdam esse reprobatos non ex praevisis eorum peccatis, sed tantum ex beneplacito voluntatis divinae, reprobationem consequi denegationem gratiae, hanc peccata, peccata poenas peccatorum; atque ad haec omnia praeordinasse Deum reprobos ab omni aeternitate;* quod Piscator super 2. Rom. p. 43. scribit, *Deum praedestinasse quosdam ad exitium non propter ipsorum offensas, sed ex odio libero.* Unicum ex Scripturis proferunt locum, quo conantur probare, Deum etiam ad peccata (quatenus gloriam Dei illustrant) homines praedestinasse, videlicet Act. 4, v. 27. et 28: *convenerunt Herodes et Pilatus, ut facerent, quae manus et consilium Dei προώρισε γενέσθαι.* Ergo (inquit Zanchius p. 624. col. 2.) *Herodes et Pilatus fuerunt ad mortem Christi praedestinati.* Respondemus: non dicunt apostoli, Deum praedestinasse Herodem et Pilatum, ut ista facerent, *sed eos fecisse, quae manus et consilium Dei praedestinaverant fieri;* loquuntur ergo non de praeparatione vel impulsu impiorum ad Christum occidendum, sed de directione pessimi criminis ad bonum et toti hu-

mano generi salutarem finem, qua de re vide plura superius in loco de Provid.

An Deus ad peccata homines praedestinet?

30. Ergo absurdum est et a blasphemia vix excusari potest, dicere, quod Deus ad mortem, et caussas mortis aeternae, id est ad peccata quosdam absoluto odio praedestinaverit; quin imo nec de reprobatione impiorum (qua justo judicio propter finalem impoenitentiam et incredulitatem quosdam e regno coelorum Deus excludere constituit, voluntate scilicet ἑπομένῃ et judiciaria) de illa, inquam, reprobatione Scriptura nuspiam usurpat praedestinationis vocabulum; quod ipse Zanchius agnoscit. Sic enim scribit lib. 5. de nat. Dei c. 2. p. 624. col. 2: *Scripturae nomine praedestinationis proprie significare solent sanctorum electionem et ad vitam aeternam deputationem ante mundi constitutionem factam.* Zanchio adstipulatur Bellarminus, sic enim scribit libro 2. de grat. et libr. arbitr. c. 16: *vere in Scripturis non invenitur hoc nomen nisi in bonam partem.* Quodsi quidam ex patribus praedestinationis vocem alicubi ad reprobos accommodant, minime omnium id faciunt eo sensu, ac si ad damnationem et caussas damnationis, hoc est ad ipsa peccata, Deus eos praedestinaverit (quam sententiam disertis verbis rejiciunt et damnant), sed loquuntur de justo Dei judicio, quo constituit eos, qui propria culpa in impoenitentia et incredulitate sua perseverant, in aeternum abs se rejicere ac damnare. Interim, uti diximus, Scriptura de reprobationis decreto nunquam et nuspiam praedestinationis vocem usurpat. Hujus loci est etiam observatio illa, quod Augustinus reprobos vocat *praescitos*, solos autem electos vocat *praedestinatos.* Temerarium ergo est, quod Polanus in Sylloge disp. part. 2. de praedest. p. 664. putat, *graviter eos peccare, qui voce praedestinationis in bona tantum parte utuntur;* quem refellit ex philosophicis etiam principiis Keckermannus libr. 3. System. theol. c. 1. p. 296.

An discrimen aliquod sit inter electionem et praedestinationem. IV. 154.

31. Num vero inter electionem et praedestinationem discrimen quoddam statuendum est? Disputant quidam, praedestinationem factam ab aeterno, electionem autem fieri in tempore. Sic Bucanus loco de praedest. p. 387: *Electio proprie significat separationem, quae re ipsa fit per efficacem vocationem certorum hominum e perdito genere humano, metonymice usurpatur pro ipso eligendi proposito;* sed falsum hoc est, quia in sede ordinaria hujus articuli Ephes. 1. diserte dicitur v. 4. *elegisse nos Deus ante mundi constitutionem.* Agnoscit quidem Scriptnra electionem quandam, quae fit in tempore, videlicet cooptationem in populum Dei, vel vocationem ad certum quoddam officium, ut exempla superius adducta ostendunt; sed quando de electione ad vitam aeternam usurpat, semper de aeterno Dei eligentis decreto accipitur. Unicus locus est, qui pro significatione illa, quam Bucanus propriam esse contendit, specie aliqua urgeri potest, videlicet Joh. 15, v. 16: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis et fructum afferatis*, sed Calvinus ipse in comm. dicit, *non agi hic de communi piorum electione, qua in filios Dei adoptantur, sed de particulari, qua discipulos ad munus praedicandi evangelii Christus destinaverat* Joh. 6, v. 70. Luc. 6, v. 13. ac docet id ipse contextus.

32. Quidam disputant, praedestinationem esse omnium promiscue hominum, electionem vero paucorum tantum, videlicet τῶν μελλόντων πιστεύειν. Respondemus: Scriptura indifferenter haec vocabula usurpat atque eandem utriusque latitudinem esse docet Rom. 8, v. 3: *quos praedestinavit, hos et vocavit, justificavit ac glorificavit.* Ephes. 1, v. 4: *elegit nos Deus in Christo ante jacta mundi fundamenta.* v. 5: *qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum DEI.* 2. Thess. 2, v. 13: *nos debemus agere Deo gratias, quod elegerit vos ab initio ad salutem.*

33. Non temere quidem illis dicam scribimus, qui dicunt, electionem et praedestinationem τῷ Λόγῳ forte sic discerni posse, quod electio respiciat segregationem illam fidelium ab infidelibus, praedestinatio vero respiciat ὅρον ipsum sive terminum, qui est vita aeterna; idem quod προορισμὸς significet, Deum certis mediis ceu limitibus circumscripsisse ea, quae ad nostram salutem pertinent, ἐκλογὴ autem notet eam, quae juxta haec a Deo instituitur, separationem; modo nobis vicissim concedant, praedestinationem cum electione juxta Scripturae phrasin esse re ipsa ταυτό τι; modo etiam diserte testentur, praedestinationem respicere non solum media salutis, prout a Deo offeruntur, sed etiam prout ab hominibus per Spiritus s. efficaciam in cordibus ipsorum operantis acceptantur.

Formula loquendi veteribus usitata.

34. Augustinus sic loquitur: *De damnabili humani generis massa Deus praescivit misericordia non meritis, quos et electione gratiae praedestinavit ad vitam.* lib. 6. hypogn.: *Deus antequam faceret nos, praescivit nos, et in ipsa nos praescientia, cum nondum fecisset, elegit; intra mundum facti sumus et ante mundum electi sumus, atque ita uno eodem-* IV. 155.
que nec transeunte nec futuro, sed continuo tempore, vel si quo alio modo dici potest, si tamen apud Deum est et praescire et facere et eligere; et praescientia sua incommutabiliter permanente eligere faciendos, quos facturus fuerat eligendo. De praedest. et grat. c. 5: *Praedestinatio est gratiae praeparatio;* de praedestinatione sanct. c. 10: *elegit Deus in Christo ante mundi constitutionem membra ejus, et quomodo eligeret eos, qui nondum erant, nisi praedestinando? elegit ergo praedestinans nos;* ibidem cap. 18. His et consimilibus loquendi modis Augustinus utitur. Ambrosius 1. de vocat. gent. c. 3: *in immutabili DEI scientia apud illum jam universitas humana discreta est.* c. 6: *praecogniti et praeordinati in regnum Dei.* c. 7. *discretio, qua Deus alios eligit, alios non eligit.* lib. 2. c. 4: *non est cujusquam ruina ex divina constitutione disposita.* c. 10: *summa praecognita atque in Christo ante secula aeterna praeelecta.* Bonavent. ita disputat: *Praedestinatio addit ordinem et directionem in finem, sed electio adjicit discretionem sive separationem a suo opposito.*

Synonyma electionis.

35. Synonyma electionis specifice sic dictae sive praedestinationis ad vitam aeternam in Scripturis sacris haec sunt: Exod. 32, v. 32: *mentio fit libris, quem Deus scripsit.* Luc. 10, v. 20: *gaudete, quod nomina vestra in coelis scripta.* Joh. 17, v. 16: *manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo.* Act. 13, v. 48: *crediderunt quotquot erant τεταγμένοι, ordinati, ad vitam aeternam.* 1. Thess. 5, v. 9: *ἔθετο ἡμᾶς ὁ θεὸς εἰς περιποίησιν σωτηρίας.* 2. Thess. 2, v. 13: *εἵλετο ὑμᾶς ὁ θεὸς ἀπ' ἀρχῆς εἰς σωτηρίαν.*

Synonyma electorum.

36. Synonyma electorum haec sunt: 1. Sam. 25, v. 29: *quorum anima ligata in fasciculo vitae.* Esa. 4, v. 3: *Scripti in vita in Jerusalem.* Dan. 12, v. 1. Apoc. 17, v. 8. c. 20, v. 15: *Scripti in libro vitae.* Matth. 25, v. 34: *quibus paratum regnum a constitutione mundi.* Actor. 13, v. 48: *τεταγμένοι εἰς ζωήν.* Rom. 8, v. 17: *heredes Dei et coheredes Christi.* v. 28: *secundum propositum vocati.* v. 29: *οὓς ὁ θεὸς προέγνω.* Rom. 11, v. 5: *reliquiae secundum electionem gratiae.* 1. Tim. 1, v. 16: *credituri in Christum ad vitam aeternam.* Hebr. 1, v. 14: *qui consequentur hereditatem salutis.* c. 12, v. 23: *Ecclesia primogenitorum, qui in coelis scripti.* Apoc. 14, v. 3: *emti de terra.* v. 4: *emti ex hominibus primitiae Deo et Agno* etc.

Liber vitae.

37. Porro quia electi dicuntur scripti in libro vitae, dicendum hoc loco de libro vitae. Distinguendus primum liber vitae a libro Dei absolute et simpliciter sic dicto. Liber Dei metaphorice et *κατ' ἀνθρωποπάθειαν* sic dictus praescientiam ejus notat, qua omnium hominum ortum, vitam, actiones vitaeque exitum ante ipsam mundi constitutionem exactissime novit. Psalm. 56, v. 9: *migrationes meas numerasti, pone lacrymas meas in utre, nonne in libro tuo sunt?* Psalm. 139, v. 16: *In libro tuo scripti universi dies mei, antequam essent.* Dan. 7, v. 10: *judicium sedit et libri aperti sunt?* Malach. 3, v. 16: *attendit Jehovah et audivit, scriptus est liber memoriae coram eo.* Apoc. 20, v. 12: *vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt, et judicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris secundum opera ipsorum.*

Liber vitae duplex.

38. Liber vitae statuitur a quibusdam duplex: unus materialis, qui dicitur Biblia, codex scilicet ille verba vitae continens et vitam vitae aeternae docens: Eccles. 24, v. 32 (in vers. vulg.): *haec omnia liber vitae;* alter metaphoricus, cujus mentio fit Phil. 4, v. 3: *quorum nomina sunt in libro vitae.* Apoc. 3, v. 5: *non delebo nomen ejus de libro vitae.* c. 17, v. 8: *quorum nomina scripta in libro vitae a con-*
IV. 156. *stitutione mundi.* c. 20, v. 12: *alius liber apertus est, qui est vitae.* v. 15: *qui non inventus est in libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis.* c. 22, v. 19: *auferet Deus partem ejus de libro vitae.* Hic liber vitae dicitur absolute liber Dei *κατ' ἐξοχήν.* Exod. 32, v. 32: *remitte illis peccatum; sin minus, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* v. 33: *qui peccaverit mihi, delebo illum de libro meo.* Dan. 12, v. 1: *evadet populus tuus, quicunque inventus fuerit scriptus in libro.* Item liber viventium Psalm. 69, v. 29: *deleantur de libro viventium et Scriptura domus Israël.* Ezech. 13, v. 9: *in Scriptura domus Israël non scribentur.*

Liber vitae Christus.

39. Hic liber vitae est ipse Christus, unde dicitur liber vitae Agni Apocal. 13, v. 8: *quorum nomina non sunt scripta in libro vitae Agni, qui occisus est ab origine mundi.* c. 21, v. 27: *nisi qui scripti sunt in libro vitae Agni.* Scriptio in hunc librum vitae nihil aliud est, quam electio in Christo ad vitam aeternam, metaphora ducta ex more hominum, apud quos in libro conscribuntur, qui ad aliquid eliguntur: Thom. p. 1. quaest. 24. art. 1. Quemadmodum enim apostolus dicit Ephes. 1, v. 5: *Elegit nos Deus in Christo ante jacta mundi fundamenta,* ita dicit Johann. in Apocal. c. 17, v. 8: *quod nomina quorundam a constitutione mundi in libro vitae scripta.* August. de civit. Dei l. 20, c. 15: *Non Deum liber iste vitae commemorat, ne oblivione fallatur, sed praedestinationem significat eorum, quibus aeterna dabitur vita, neque enim nescit eos Deus, et in hoc libro legit, ut sciat, sed potius ipsa ejus praescientia de illis, quae falli non potest, liber est vitae, in quo sunt scripti, id* IV. 157.
est praecogniti.

An qui in librum vitae scripti, ex eo possint deleri.

40. Hinc facile judicari potest, quid respondendum sit ad illam quaestionem, an qui in librum vitae scripti, ex eo possint deleri, quod utique negandum. Quemadmodum enim expresse Christus dicit, *impossibile esse, ut electi in errorem damnabilem inducantur* (Matth. 24, v. 24.), ita quoque im- IV. 158.
possibile esse dicimus, ut, qui in librum vitae scripti, ex eo deleantur; quomodo autem et quatenus hoc sit impossibile, suo loco plenius declarabitur. Apoc. 13, v. 8. de illis, qui bestiam colunt, dicitur, *quod* IV. 159.
nomina eorum non scripta sint in libro vitae. Apoc. 20, v. 15: *qui projiciuntur in lacum ignis et aeternae damnationis, eorum nomina non inveniuntur scripta in libro vitae.* Disputant quidam, esse duplicem quasi scriptionem in librum vitae, unam eorum, qui per baptismum in foedus gratiae recepti Christum induunt, sed postea vicissim ex foedere excidunt et damnantur; alteram eorum, qui perseveranter usque ad finem vitae in Christum credunt et salvantur; sed respondeo, distinguendum esse inter rem ipsam et loquendi modum. Rem ipsam quod attinet, facile concedimus, etiam eos, qui ad tempus solum credunt et postea iterum excidunt ac pereunt, Christum induere, beneficiorum ejus ad tempus participes esse etc. Sed quod loquendi modum attinet, negamus uspiam in Scripturis de credentibus *προσκαίροις* dici, quod scripti sint in libro vitae. Quemadmodum enim non omnes vere credentes sunt electi, sed tantum illi, qui in vera fide usque ad finem vitae perseverant; ita quoque non omnes vere credentes juxta Scripturae phrasin sunt in libro vitae scripti, sed tantum illi, qui Christo vitae duci perseveranti fide adhaerent.

Exod. 32. Dele me de libro vitae.

41. Explicanda sunt hoc loco illa Scripturae dicta, quae videntur innuere, posse quosdam ex libro vitae

iterum deleri. Exod. 32, v. 32. petit Moyses: *Remitte illis* (Israëlitis) *peccatum, sin minus, dele me de libro tuo, quem scripsisti; cui respondet Deus* v. 33: *qui peccaverit mihi, eum delebo de libro meo;* utique ergo quosdam ex libro vitae deleri non est ἀδύνατον. Respondemus: Moysis precatio est hypothetica, petit enim populo peccatum dimitti, aut si opus sit poena aeterna, se unum loco totius populi ex libro vitae deleri, nimirum si fieri possit atque ita fieri fas sit, quae conditio utique subintelligenda est, quam CHRISTUS in sua precatione diserte exprimit: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste.* Sic apostolus Rom. 9, v. 3. *optat anathema fieri pro fratribus Israëlitis,* indicans te tanta eos complecti caritate, ut, si fieri possit, paratus sit abdicationem Israëliticae gentis redimere sui sempiterno exitio, *nimirum caritas exuberans optat etiam impossibilia,* ut loquitur D. Lutherus, *securus hoc dicit Moyses* (ait glossa ordinaria) ex Augustin. q. 147. super. Exod. *ut in consequentibus ratiocinatio concludatur, id est, ut, quia Deus Moysen non deleret de libro suo, populo peccatum illud remitteret.* At, inquis, Deus subjicit, se deleturum esse eum de libro, qui peccaverit ipsi. Respondemus: Eum qui peccat, id est qui ex destinata malitia peccatum committit et sine resipiscentia illud continuat, delet Deus de libro vitae, id est declarat tam ipsi quam aliis, quod non sit scriptus in libro vitae. Lyra super h. l.
IV. 160. tali utitur distinctione: *In libro vitae dicuntur aliqui scripti dupliciter, uno modo simpliciter, in quantum praedestinati sunt in notitia divina, ut ordinati ad vitam aeternam ex Dei pradestinatione, et sic scripti nunquam delentur; alio modo dicuntur scripti secundum quid, scilicet non secundum divinam praedestinationem seu ordinationem, sed secundum dispositionem in eis actu exsistentem, scilicet secundum praesentem justitiam.* Eandem distinctionem proponit Thom. p. 1. q. 24. art. 3. et in c. peccatum dist. 4. de poen.: *Dominus ait Moysi: Si quis peccaverit ante me, delebo eum de libro vitae, ut secundum justitiam judicis ille peccando deleri dicatur, qui secundum praescientiam nunquam fuerat adscriptus.*

h. 69: Delea- r de bro iven- ium.

42. Ps. 69, v. 29: *Deleantur de libro viventium,* utique ergo deleri potuerunt. Respondemus: Statim additur ἐξήγησις, *et cum justis non scribantur.* Aug. tom. 8. in enarr. hujus Ps. conc. 2: *Non sic accipere debemus, quod quemquam Deus scribat in libro vitae et deleat illum. Si homo dixit: quod scripsi, scripsi, de titulo, ubi scriptum erat: rex Judaeorum; Deus quenquam scribit et delet? praescius est, praedestinavit omnes ante constitutionem mundi, regnaturos cum Filio suo in vita aeterna. Hos, quos conscripsit, ipsos continet liber vitae* etc. *Isti ergo quomodo inde delentur, ubi nunquam scripti sunt? hoc dictum est secundum spem ipsorum, quia ibi se scriptos putabant; quid est, deleantur de libro vitae? et ipsis constet non illos ibi esse* etc. *illi, qui se sperabant tamquam merito suae justitiae in libro scriptos Dei, quibus dicitur: Scrutamini Scripturas, in quibus putastis, vos vitam aeternam habere; cum perducta fuerit damnatio eorum etiam ad cognitionem eorum, delebuntur de libro viventium, id est non ibi se esse cognoscent, nam versus, qui sequitur, exponit quod dictum est.* Declarat hoc ipsum plenius theologus doctissimus D. Gesner. in comm. super Daniel. 12: *Deleri dicuntur impii de eo libro, in quo nunquam scripti sunt, ob tres causas: primo, quia respectu Dei secundum quid, non autem simpliciter in libro vitae adscripti dici possunt, non enim scripti sunt in vita aeterna, quae est liber ille vitae, proprie loquendo et per se primo, scripti autem sunt in causa vitae aeternae, quae est misericordia Dei, meritum Christi et gratuita vocatio, quae sunt universalia. Deinde impii et inprimis hypocritae respectu suae propriae persuasionis, qua existimant, se esse dilectos Dei filios et haeredes ac cives aeternae beatitudinis, scripti in libro vitae nuncupari possunt. Denique etiam ratione externae conversationis in ecclesia possunt aliquo modo pro adscriptis in libro viventium haberi, sed revera tamen non sunt, et quod non sint, tunc apparebit, cum Dominus purgabit aream suam et triticum a palea separabit.* Haec dicta sint de scriptione in librum vitae, quae est ipsa praedestinatio.

43. Reprobationis vox in διαθέσει activa in N. T. Vox reprobationis.
de Deo non usurpatur; vox ἀδόκιμος usurpatur 1. Cor. 9, v. 27: *castigo corpus meum, ne, cum aliis praedicavero, ipse fiam reprobus* (ἀδόκιμος). 2. Cor. 13, v. 5: *an non cognoscitis, quod Christus in nobis? nisi forte reprobi estis.* Significat autem reprobare aliquid rejicere et damnare tanquam indignum et improbum. Jer. 6, v. 30. vocantur *argentum reprobatum* כֶּסֶף נִמְאָס keseph nimas, quos reprobavit atque a se rejecit Jehovah; מָאַס significat cum fastidio quodam rem aliquam aut personam tanquam vilem et contemtam rejicere; LXX. reddiderunt plerunque per verbum ἀποδοκιμάζειν. Quemadmodum igitur Hebr. 6, v. 8. *terra reproba,* ἀδόκιμος *et maledictioni proxima dicitur, quae profert spinas ac tribulos, et opponitur illi, quae saepe venientem super se bibens imbrem et generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, benedictionem accipit a Deo:* ita reprobi homines sunt et dicuntur, qui semen verbi salutare respuunt, spinis voluptatum illud suffocant et in incredulitate perseverant, quorum τὸ τέλος itidem, ut terrae reprobae, est εἰς καῦσιν.

44. De reprobationis decreto Scriptura sic lo- IV. 161. Synonyma reprobationis in Scriptura.
quitur Joh. 3, v. 18: *Qui non credit, judicatus est,* ἤδη κέκριται, *quia non credit in nomen unigeniti Filii Dei.* v. 36: *qui incredulus est Filio, non videbet vitam, sed ira Dei* μένει ἐπ' αὐτόν. 1. Thess. 5, v. 9. *non posuit nos Deus ad iram.* Matth. 7, v. 23. Christus dicet ad damnatos in die judicii: *Non novi vos.* c. 25, v. 41: *Discedite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Rom. 11, v. 2: *non repulit Deus populum suum, quem praescivit,* (οὐκ ἀπώσατο). Reprobi dicuntur *vasa irae,* Rom. 9, v. 22. *vasis ligneis et testaceis conferuntur,* 2. Tim. 2. v. 20.

In patribus. 45. Augustinus reprobos passim vocat *praescitos*, eo scilicet fine, ut distinguat inter actiones bonas electorum, quas Deus non solum praescit, sed etiam suo spiritu operatur, eas promovet atque approbat; et inter peccata reproborum, ad quae Deus eos nec impellit nec cogit, nec eis delectatur, interim tamen ab aeterno ea praescivit. Monendum tamen est, praescitorum appellationem non posse solis reprobis tribui, tum quia non solum quod alii facturi erant, videlicet peccata et incredulitatem reproborum; sed etiam quod ipse facturus, scilicet electorum fidem Deus praescivit, unde Scriptura dicit electionem factam esse *κατὰ πρόγνωσιν*, (1. Petr. 1, v. 2.) et electos hac periphrasi denotat, *οὓς ὁ θεὸς προέγνω*, Rom. 8, v. 29. c. 11, v. 2; tum quia damnationem reproborum non solum Deus praescivit, sed etiam justo suo judicio decrevit, sicut glorificationem electorum non solum praescivit, sed etiam ex immensa gratia decrevit.

Ambr. 2. de vocatione gent. c. 8. vocat *abdicationem*, quam nos reprobationem. Fulgentius lib. 1. ad Mon. vocat *destinationem ad supplicium.*

Scholastici dicunt, reprobationem complecti in se *odium aeternum, obdurationem temporalem et damnationem finalem.*

Cognatae voces. 46. Atque haec *προλεγομένων* loco dicta sint de vera significatione terminorum, qui in hoc articulo usurpantur; quod attinet cognatas voces *προγνώσεως*, *προνοίας* etc., de illis in praecedente tractatu copiose egimus; restat igitur, ut, quale sit illud electionis et reprobationis decretum, ostendamus ac postea in apertum campum cum absoluti decreti architectis descendamus, siquidem totius rei quasi cardo in hoc vertitur, et recte evoluta ista quaestione reliquarum explicatio difficilis amplius esse nequit.

CAPUT III.

ΣΚΙΑΓΡΑΦΙΑΝ TOTIUS NEGOTII EXHIBET.

Quis elegerit. 47. Is qui nos elegit, Deus est, Ephes. 1, v. 3: *Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi*, *qui benedicit nobis* (in tempore) *omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo*, v. 4: *idem elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Est autem electio opus totius sacrosanctae trinitatis, ideoque omnibus tribus personis commune, servato tamen ordine et discrimine personarum. Pater est fons trinitatis, ideoque ei ratione ordinis primo loco electio tribuitur, sed quia Filius et Spiritus s. ejusdem sunt cum Patre voluntatis et essentiae, ideo etiam Filio et Spiritui s. electio tribuenda est.

Filius Dei quomodo considerandus in electione. 48. Filius Dei duplici ratione in electione considerandus: primo, ut verus cum Patre et Spiritu s. Deus una indivisa actione nos eligit ad vitam aeternam, deinde, ut constitutus humani generis redemtor et mediator est illud propter quod electi sumus ad vitam aeternam; unde non solum a Christo, sed etiam *in Christo* sumus electi ante jacta mundi IV. 162.
fundamenta Eph. 1, v. 4.

Electio est actio. 49. Porro electio sive praedestinatio species est divinae providentiae, ideoque per actionem recte definitur, ut quod sit emanans quaedam actio (qualis est creatio et exsecutio electionis in tempore), sed immanens, atque ea quidem ordinata, Actor. 13, v. 48: *Crediderunt quotquot ordinati erant ad salutem*, cujus ordinis rationem quodam modo exposuimus in principio hujus articuli et postea plenius explicabimus.

Electio facta est juxta Dei propositum. 50. Electio illa facta est juxta Dei propositum, Ephes. 1, v. 11: *Praedestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* Roman. 9, v. 11: *ut secundum electionem propositum Dei maneret.* 2. Timoth. 1, v. 9: *secundum propositum suum et gratiam, quae data est nobis in Christo* (hoc Dei propositum, consilium et beneplacitum est decretum ipsius ab aeterno in Christo dispositum et per evangelium nobis revelatum de hominibus per fidem in Christum salvandis) et juxta *πρόγνωσιν*, praecognitionem, 1. Petr. 1, v. 1. et 2. electis *κατὰ πρόγνωσιν θεοῦ πατρός*, Rom. 8, v. 29: *Quos praescivit, hos et praedestinavit*, quae *πρόγνωσις* necessario refertur ad fidem in Christum, non enim omnes, quos quocunque modo Deus praescivit, eos etiam praedestinavit, sed quos ab aeterno infallibili sua notitia praescivit per evangelii auditum Spiritus s. gratia in Christum perseveranter credituros, illos elegit sive praedestinavit ad vitam aeternam.

Electio facta est aeterna. 51. Neque solum illud Dei propositum atque Dei *πρόγνωσις* est aeterna, sed et electio facta juxta illud propositum et juxta illam *πρόγνωσιν* est aeterna; Ephes. 1, v. 4: *elegit nos Deus in Christo ante jacta mundi fundamenta*, quam esse descriptionem aeternitatis, in articulo de Deo Patre et Filio ejus aeterno luculente ostendimus; 2. Tim. 1, v. 9. *gratia*, *qua nos Deus in CHRISTO servat*, *data fuit nobis πρὸ χρόνων αἰωνίων.* 2. Thess. 2, v. 13: *Elegit nos Deus ἀπ' ἀρχῆς.* Electos ita diligit Deus, sicut Christum electorum caput diligit Johan. 17, v. 23; jam vero Christus dilectus fuit a Patre ante jacta mundi fundamenta v. 24. Ergo etiam electos ante mundi constitutionem dilexit.

Electio est ex gratuita Dei misericordia. 52. Nullis autem hominum meritis, nulla humani generis dignitate, quin nec praevisione bonorum operum vel fidei motus est Deus, ut quosdam ad vitam aeternam eligeret, sed soli indebitae et immensae ipsius gratiae insolidum hoc adscribendum. Ephes. 1, v. 6: *elegit nos in laudem gloriae suae.* Rom. 11, v. 5: *Si ex gratia, jam non ex operibus.* 2. Timoth. 1, v. 9: *Deus vocavit nos vocatione sancta non secundum opera nostra*, *sed secundum propositum suum et gratiam*, *quae data est nobis in Christo ante tempora secularia.* Augustinus de praedestin. Sanct. c. 15: *Praeclarissimum lumen praedestinationis et gratiae est ipse salvator*, *ipse*

mediator Dei et hominum homo Jesus Christus, qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum vel fidei praecedentibus meritis natura humana, quae in illo est, comparavit? etc. *Sicut ergo praedestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset: ita multi praedestinati sumus, ut membra ejus essemus. Humana hic merita conticescant, quae perierunt per Adam, et regnet, quae regnat, Dei gratia per Jesum Christum Dominum nostrum unicum Dei Filium* etc.

Fundamentum electionis ad vitam aeternam est Christus fide apprehensus.

53. Specialis illius Dei gratiae, qua deligit homines ad vitam aeternam, fundamentum est JESUS CHRISTUS θεάνθρωπος cum omni suo merito et satisfactione consideratus, Ephes. 1, v. 4: *Elegit nos Deus in Christo.* Vicissim, quia Christi meritum absque applicatione nemini prodest, ideo ex natura relatorum mentio Christi in electione includit notionem fidei Christum amplectentis. 2. Thess. 2, v. 13. et 14: *Elegit nos Deus ab initio ad salutem in sanctificatione Spiritus et fide veritatis.* Denique
IV. 163. quia quidam renati peccatis contra conscientiam fidem excutiunt et se ipsos vita aeterna excludunt, ideo perseverantia in fide simul hoc loco intelligenda est, Matth. 10, v. 22: *Qui perseveraverit usque ad*
Finis electionis.
finem, salvus erit. Finis electionis ratione nostri geminus est, primus ad hanc vitam relatus, videlicet *ut simus sancti et irreprehensibiles* Eph. 1, v. 4, secundus ad vitam aeternam spectans, nostra glorificatio et salus 1. Thess. 5, v. 9, ratione Dei ultimus electionis finis est *ipsius gloria*, Ephes. 1, v. 6. Haec omnia ex sequentibus plenius et planius poterunt intelligi.

Antithesis Calvinianorum.

54. Calvinus et qui ipsum sequuntur absolutam quorundam hominum electionem et reprobationem docent. Sic enim Calvin. 3. institut. c. 22. §. 11: *Si non possimus rationem reddere, cur Deus suos misericordia dignetur, nisi quoniam illi placet, neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quam ejus voluntatem. Cum enim Deus dicitur vel indurare vel misericordia prosequi, quem voluerit, eo admonentur homines, nihil causae quaerere extra ejus voluntatem.* Beza super 9. Roman.: *Deus reprobos odio habet nondum natos et nullo indignitatis respectu exitio destinavit.* Idem volum. 1. operum folio 417: *Quod subjicis, Deum non tantum ad damnationem, sed etiam ad causas damnationis praedestinasse quoscunque libuerit, verum esse agnoscimus.* Zanchius 5. de natur. Dei c. 2. pag. 713: *Totam reprobationem, hoc est tum rejectionem a gratia et gloria, tum destinationem ad dedecus et ad iram Dei, hoc est, ut essent vasa irae et vasa in contumeliam, contendimus cum apostolo, ex sola Dei voluntate pendere.* Ibidem p. 620: *Reprobationem consequitur denegatio gratiae, hanc peccata; peccata poenae peccatorum; ad quae omnia praeordinavit Deus reprobos ab omni aeternitate.* Idem in Miscell. p. 302: *Deus absolute vult, electos salvos fieri et absolute itidem vult, reprobos non servari.* Zegedin. in tabb. p. 122: *Deus in absolutum suum decretum non admisit considerationem peccatorum, causae igitur non sunt ullius interitus.* Rennech. in cat. aut. p. 37: *Reprobationis nulla alia causa ex Scripturis proferri et assignari potest, quam justa et immota Dei voluntas, quod ipse in aeterno illo et arcano consilio aliquos homines aeterno exitio et supplicio ex sese et propter se adjudicaverit.* Idem ex Rennechero repetit Bucanus loco 36. p. 403. Piscat. Herborn. super 2. Rom. p. 43: *Quos praedestinavit Deus ad exitium, non praedestinavit propter ipsorum offensas; quomodo enim potuerunt eum offendere, qui nondum erant nati? sed reprobavit eos ex odio libro, eoque sancto ac justo.*

Dissensiones ipsorum.

55. Quamvis vero in eo omnes conveniant, et electionis et reprobationis decretum esse absolutum; tamen in quibusdam dissentiunt. 1. Quidam enim objectum electionis et reprobationis constituunt *homines nondum conditos*, ut Beza resp. 2. ad coll. Momp. p. 148; quidam vero πρόγνωσιν *lapsus* electionis et reprobationis decreto substernunt, ut Perkinsus de praedest. p. 11. Kekerm. lib. 3. System. theol. c. 1. p. 308. Bucan. loco 36. p. 400; 2. quidam simpliciter dicunt, *reprobationem non ex praevisis malis operibus, sed ex sola et libera Dei voluntate pendere*, ut Zanch. de nat. Dei lib. 5. c. 2. part. 4. R. ad object. 14; quidam vero constituunt duos reprobationis actus, *unum negativum, alterum affirmativum*; priorem esse *absolutum* dicunt, posteriorem vero *respectum continere ad peccata*, ut Perkinsus de praedest. p. 25. Trelcatius in locis p. 29; 3. quidam negant *esse easdem causas reprobationis et* IV. 164.
damnationis, ut Beza resp. 2. ad coll. p. 161; quidam vero concedunt, ex decreto illo reprobationis *absolutae sequi desertionem gratiae, peccata et ipsam damnationem*, ut Zanchius in Miscellan. fol. 229. Piscat. de praedestin. thes. 92.

Quid sit absolutum decretum.

56. Ex his facile intelligi potest, quid nomine absoluti decreti intelligant; nimirum statuunt, Deum ab aeterno sibi proposuisse quosdam homines damnare, quosdam salvare, atque esse hoc primum Dei decretum; illud decretum ut exsecutioni dari posset, ideo Deum decrevisse, ut primi homines peccarent, suoque lapsu se et omnes posteros aeterno exitio involverent, hoc esse quasi alterum Dei decretum; ex damnata illa totius generis humani massa Deum quosdam absoluta gratia, id est quoscunque libuerit, selegisse et illis Christum mediatorem, praedicationem verbi et fidem ordinasse, ut per haec media salutis fiant participes, hoc esse quasi tertium Dei decretum, denique reliquam innumerabilem multitudinem ex absoluto Dei odio, id est, quia ipsi ita libuerit, a salute et mediis salutis rejectam, contra vero ad peccata et causas damnationis praedestinatam esse, atque hoc esse quasi quartum Dei decretum; quam genuinam esse istorum hominum sententiam cordati non negabunt.

CAPUT IV.

DE UNIVERSALI DEI MISERICORDIA ET BENEFICA ERGA OMNES VOLUNTATE.

Argumentorum contra absolutum decretum classes quatuor: 1. Benefica Dei omnium salutem expetentis voluntas. 1. Tim. 2: Deus vult omnes salvos fieri. Exceptiones adversariorum. 1.

57. Huic sententiae primo opponimus *beneficam illam Dei voluntatem, qua serio omnium conversionem et salutem expetit*, quam beneficam voluntatem *Scriptura verbis*, *Christus lacrymis*, *Deus ipse juramento* testatam fecit. Sic ergo concludimus, Quos Deus vult ad se converti et salvari, eos absoluto quodam odio neutiquam a se rejecit et ad aeternam damnationem destinavit. Jam vero Deus omnes homines vult ad se converti et salvari. Ergo neminem eorum absoluto quodam odio vel decreto a se rejecit et ad aeternam damnationem destinavit. Minorem aliquot Scripturae dictis confirmatam dabimus.

58. Ita apostolus 1. Tim. 2, v. 4: *Deus vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire.* Si haec Dei voluntas vera et seria, utique non fecit absolutum de quorundam perditione decretum. Excipiunt, *dictum apostoli intelligendum esse de generibus singulorum*, *non de singulis generum*, hoc sensu: Deus vult ex omni hominum genere quosdam salvos. Sic Beza resp. 2. ad coll. Momp. p. 192. Martyr super 9. Rom. Danaeus super
IV. 165. 1. sent. dist. 46. Witakerus in orat. de hoc dicto habita Cantabrig.

59. Respondemus: Intueamur connexionem textus. Hortatur apostolus obsecrationes, orationes etc. fieri pro omnibus hominibus, v. 1; subjicit deinde huic generi certam quandam speciem, qua non tollit generis universalitatem, sed tantum ostendit publicae tranquillitatis gratia, praecipue pro regibus et magistratibus orandum, v. 2; postea addit exhortationis suae causam, quia hoc bonum et acceptum coram Deo, v. 3, qui vult omnes salvos fieri, v. 4. Hinc ita colligimus: pro quibus faciendae deprecationes, orationes etc., illos Deus vult fieri salvos. Atqui non solum pro aliquibus ex omnium hominum ordine faciendae deprecationes, sed in genere pro omnibus. Ostendit hoc res ipsa, et fatentur Calvinus et Marloratus super hunc locum. *Jubet Paulus* (inquiunt) *non pro fidelibus modo concipi orationes, sed pro universo genere humano.* Calvinus super 17. Johan.: *In precibus complecti debemus totum genus humanum.* Ergo etiam non solum ex omnibus ordinibus aliquos, sed in genere omnes Deus vult salvos fieri. Si de singulis ordinibus tantum loqueretur apostolus, non de omnium ordinum omnibus ac singulis individuis, jam non dixisset, v. 2. pro omnibus in eminentia constitutis, sed pro aliquibus duntaxat in illo ordine positis. Atqui vult preces fieri pro cunctis individuis et singulis hominibus in ordine magistratus; cur ergo non etiam pro cunctis in reliquis ordinibus?

60. Alterum argumentum proponit apostolus v. 5. et 6. ab universalitate meriti Christi. Pro quibus Christus pretium redemtionis dedit, pro illis orandum et illorum salutem serio Deus expetit. Atqui Christus non solum pro aliquibus ex omnibus ordinibus, sed pro omnibus hominibus pretium redemtionis se ipsum dedit, ut postea ostendemus. Ergo non solum pro aliquibus ex omnibus ordinibus, sed etiam pro omnibus est orandum; nec aliorum solummodo, sed omnium salutem Deus expetit.

61. Piscator Herb. sic excipit: *Si apostolus juberet orare pro omnibus hominibus, tunc juberet orare contra Dei voluntatem, quia Deus non vult reprobos servari, et Christus* (Johan. 17, v. 9.) *eos in sua oratione excludit.* Respondemus: Inversa haec est procedendi via: probanda prius erat praeconcepta illa opinio de absoluta quorundam reprobatione, antequam ex ea limitetur universalitas pronuntiati apostolici. De precatione Christi postea. Adde, quod hac ratione disceditur a Calvino, Bullingero, Marlorato, qui concedunt pro omnibus hominibus esse orandum. 2.

62. Alii sic explicant hoc dictum: *Deus vult omnes salvos fieri, scilicet qui veniunt ad agnitionem veritatis.* Respondemus: Utrumque asserit apostolus: velle Deum, ut omnes homines salvi fiant; velle etiam, ut omnes ad agnitionem veritatis perveniant. Deinde causa, quare non veniant plures ad agnitionem veritatis, non est in Deo, sed in ipsis hominibus, qua de re infra uberius agetur. 3.

63. Afferamus aliud Scripturae dictum de benefica ista Dei voluntate, 2. Pet. 3, v. 9: *Deus non vult aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.* Excipit Piscator Herborn. in anal., *intelligendum hoc esse de solis electis, cum scribat apostolus ad fideles Judaeos, quos ex caritate pro electis habebat.* Respondemus: Scribit Petrus toti vocatorum ecclesiae, in qua multi erant reprobi; et generale pronuntiatum apostoli non est ex praeconceptis opinionibus limitandum. Colligimus autem hoc modo: Quod Deus vult ad poenitentiam reverti, eorum neminem vult perire; ita hoc loco Petrus. Atqui etiam reprobos vult reverti ad poenitentiam, teste Paulo Rom. 2, v. 4: *Num divitias bonitatis et patientiae et longanimitatis contemnis, ignorans quod Dei benignitas te invitat ad poenitentiam?* v. 5: *Tu vero secundum duritiem et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei.* Vides illam μακροθυμίαν Dei, cujus Petrus meminit, etiam eos ad poenitentiam invitare, qui peccatis secure indulgendo, paulatim coacervant divinam iram, ut tandem universa depromatur instar IV. 166.
thesauri. Ergo etiam non vult absolute simpliciter reprobos perire. (2. Petr. 3. Deus non vult aliquos perire.)

64. Sic Rom. 11, v. 32: *Conclusit Deus omnes in incredulitatem, ut omnium misereatur.* Quoscunque Deus sub peccatum conclusit, id est, quos voce legis propter peccatum accusat et reos aeternae damnationis esse convincit, Galat. 3, v. 22, eorum etiam vult misereri, illis suam gratiam in verbo (Rom. 11. Conclusit Deus omnes in incredulitatem, ut omnium misereatur.)

evangelii offert. Jam vero omnes omnino et singulos homines Deus peccati in sua lege arguit et convincit. Ergo etiam omnibus et singulis suam in evangelio gratiam offert. Frivola proinde est glossa Piscatoris, qui τοὺς πάντας hoc loco explicat particulariter *pro solis electis ex Judaeis et gentibus*, quod toti contextui istius capitis, praecipue vero oppositioni in hoc versu 32. repugnat. Disserit apostolus in hoc capite de rejectione Judaeorum, quae propter incredulitatem ipsis, obtigerit et ruinam eorum gentium saluti cessisse addit, tandem igitur utrosque monet, ne arroganter sibimet ipsis invicem insultent, addita ratione a communi utrisque sorte et immensa Dei gratia utrisque obvia, modo amplectantur evangelium et in Christum credant; finge per τοὺς πάντας intelligi solos electos, enervabitur argumentum apostolicum, et latius patere statuetur Adae delictum, quam Christi beneficium per evangelii vocem toti mundo oblatum.

Lacrymae Christi. 65. Christi excidium Hierosolymitanum deplorantis *lacrymae* describuntur Luc. 29, v. 41, quae manifestum sunt indicium, et temporali et aeterna Judaeorum perditione Christum minime esse delectatum. Lacrymae enim sunt *legati doloris*, ut loquitur Cyprianus lib. 2. Epist. 7, sunt *sanguis animi vulnerati*, ut loquitur Brentius super 11. Johann. Excipiunt quidam, *agi hic de interitu temporali*. Respondemus: atqui non solum temporalibus, sed etiam aeternis poenis affecti sunt Judaei, propterea quod tempus salutaris visitationis neglexerunt. Adde, si Deus non delectatur simpliciter et absolute temporalibus hominum poenis, adeo ut propheta dicat, *Deum in correptione hominum alienum agere opus*, Esa. 28, v. 21, multo magis ab ipsius natura alienum erit, ex absoluto odio homines quosdam aeternis addicere suppliciis.

Exceptiones adversariorum. 1.

2. 66. Excipiunt alii, *Christum ut hominem hoc loco loqui et agere*. Respondemus: Num vero Christus (*qui est in sinu Patris et voluntatem ejus enarravit nobis*, Joh. 1, v. 18.) tale decretum ignoraret, si quod unquam esset factum? Num voluntas Christi humana magis propensa in hominum salutem, quam Deus ipse, qui est *caritas* 1. Johan. 4, v. 8. Num qui *omnia* nota fecit discipulis suis Joh. 15, v. 15, ipsemet adhuc summum illud salvationis et perditionis hominum principium ignoraret?

Juramentum Dei. 67. *Juramentum Dei*, de benefica sua erga omnes homines voluntate graviter attestantis describitur Ezech. 33, v. 11: *Vivo ego; nolo mortem impii, sed ut convertatur et vivat. Homines per majorem se jurant atque iisdem omnis controversiae finis est, si accedat jurisjurandi confirmatio*, Hebr. 6, v. 16. *Deus ergo abundantius volens ostendere firmitatem consilii sui interposuit hoc juramentum*, v. 17; *ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum habeamus solatium*, v. 18. Dixit Deus, velle se omnes salvos fieri; si parum hoc est, Christus id lacrymis testatus est; si parum hoc est, Deus solenni juramento id confirmavit. Hieronym. tom. 2. Epist. 46: *Idcirco jurat, ut, si non credimus promittenti Deo, credamus saltem pro salute juranti*.

68. Excipiunt quidam, *mortem peccatoris Deus non vult, quatenus vult conversionem; atqui experientia testatur, Deum non tangere omnium corda, ut convertantur. Indefinita est enuntiatio* (dicit Bucanus de praedest. p. 401.) *et ad eos restringenda, quibus datur conversionis gratia*. Respondemus: Imo etiam vult omnium conversionem, eo enim fine proponit illis verbum; non autem vult sine mediis agere, sed per verbum et Spiritum s. vult homines convertere et cordis duritiem emendare. Qui hoc *verbum pertinaciter repellunt* Act. 13, v. 46, *consilium Dei spernunt* Luc. 7, v. 30, *Spiritui s. resistunt* Act. 7, v. 51; illi sua culpa conversionis beneficio privantur et *se ipso indignos judicant vita aeterna*, Act. 13, v. 46. Observa autem emphasin in his dictis. Pharisaei et legis periti dicuntur sprevisse consilium Dei non baptizati à Johanne: quodnam fuit id consilium? Utique illud, quod per concionem et baptismum Johannis voluit Deus eos vocare ad poenitentiam et ad regnum Messiae. Absolutum quoddam decretum et consilium de ipsorum perditione nequit hoc loco intelligi. Illud enim non sprevisse, sed potius implevisse dicendi fuissent. Judaei dicuntur resistere Spiritui s., utique ergo Spiritus s. voluit in illorum cordibus operari; si absoluto decreto denegata ipsis conversio, non dici possent Spiritui s. resistere, quia potius obsecuti fuisent decreto isti ab aeterno facto. Denique Judaei dicuntur se ipsos indignos judicare vita aeterna; non ergo absoluto aliquo Dei decreto ab ea erant exclusi, sed semet ipsos ea indignos judicarunt; vel quod idem est propter illum furentem verbi contemptum et virulentas blasphemias a Deo sunt reprobati et vita aeterna indigni judicati.

Exceptiones adversariorum. 1.

IV. 167.

69. Excipiunt alii: *concionem istam prophetae referendam ad illos solum, qui licet tum temporis erant impii, tamen quandoque convertendi, et sic in numero electorum erant*. Piscator Herborn. sup. 9. Rom. p. 196: *Deus non vult mortem peccatoris, resipiscentis scilicet*. Resp. breviter: Ezech. 18, v. 32: *Quare moriemini domus Israël, dicit Dominus? nolo mortem morientis*. Ergo illorum etiam perditionem non vult, qui moriuntur et pereunt. 2.

70. Excipiunt alii: *de temporali solum morte agi*. Respondemus: communis illa est tum resipiscentibus tum impoenitentibus. Jam vero de morte ea agitur, quae per conversionem evitari potest: *Convertimini, convertimini a viis vestris malis, ut quid moriemini domus Israël?* Ezech. 33, v. 11. Deinde agitur de tali morte, quae est *stipendium peccati*, Rom. 6. v. ult.; atqui non solum temporalis, sed et aeterna mors peccati est stipendium. Denique si DEUS non delectatur absolute et simpliciter hominum morte temporali, quanto minus absolute et simpliciter vult, ut quis aeternis suppliciis puniatur. 3.

71. Excipiunt alii *de revelata voluntate haec intelligenda, interim occulta voluntate Deum velle, quosdam nec converti nec vivere*. Respondemus: 4.

ita tribuetur Deo pessima hypocrisis, quasi promissionibus benignissimis testetur se hominibus bene velle, interim tamen occulte illis male cupiat. Absit hoc a Sancto Israëlis. Loquamur et sentiamus de Deo, prout se in Verbo revelavit: esse in Deo aliam occultam voluntatem revelatae in verbo contrariam, maxime quoad salutis nostrae negotium, ne quidem cogitare debemus; siquidem in Verbo annuntiatum nobis *omne Dei consilium*, scilicet de salute nostra Actor. 20, v. 27. et propositum illud ac *gratia, quae data est nobis in Christo ante tempora secularia, ea nunc est patefacta per illustrem adventum servatoris nostri.* 2. Tim. 1, v. 9. et 10, qua de re plura suo loco.

72. Maneat proinde firmum fixum, quia *Scriptura disertis verbis*, *Christus lacrymis*, *Deus juramento* testatur de benefica illa voluntate, qua Deus omnium salutem serio expetit, ideo falsum esse, quod ex absoluto odio quosdam simpliciter aeternae morti adjudicaverit.

Dicta veterum de benefica Dei erga omnes voluntate.

73. De hac Dei omnium salutem serio expetentis misericordia ita scribunt veteres: Iren. lib. 4. c. 76: *Deus misit, qui vocarent ad nuptias; qui autem non obedierunt ei, semet ipsos privarunt regia coena. Nec enim lumen deficit propter eos, qui semet ipsos excaecaverunt, sed illo perseverante quale et est, excaecati per suam culpam in caligine constituuntur* etc., *cum apud Deum omnia sint bona, qui ex sua sententia fugiunt Deum, semet*
IV. 168. *ipsos omnibus fraudant bonis; fraudati autem omnibus erga Deum bonis, consequenter in Dei justum judicium incidunt; qui enim fugiunt requiem, juste in poena conversabuntur, et qui fugerunt lumen, juste inhabitabunt tenebras. Quemadmodum autem in hoc temporali lumine qui fugiunt illud, ipsos se tenebris mancipant, ita ut ipsi sibi causa fiant, quod destituuntur a lumine et inhabitant tenebras, et non lumen est causa hujusmodi conversationis: sic aeternum Dei qui fugiunt lumen, quod continet in se omnia bona, ipsi sibi causa sunt, ut aeternas inhabitent tenebras, destituti omnibus bonis sibimet ipsi causa hujusmodi habitationis facti.* Ambros. 2. de vocat. gent. c. 1. inter tria, quibus in proposita quaestione debeat inhaereri, primo loco numerat, *Deum velle omnes salvos fieri.* c. 8: *sive novissima contemplemur secula, seu prima sive media, rationabiliter et pie creditur omnes homines salvos fieri Deum velle semperque voluisse* etc. Augustin. ad art. sibi falso impos. art. 16: *Non est voluntas Dei, ut pereat unus; qui vero a pietate deficiunt, non ex Dei opere, sed ex sua voluntate deficiunt, nec impelluntur, ut cadant, nec rejiciuntur, ut deserant, casuri tamen et recessuri ab eo, qui falli non potest, praesciuntur.* Primasius super 1. Tim. 3: *unus est omnium Deus, et ideo cupit omnes salvari, quos fecit.* Arnob. super Psal. 90: *constat Deum velle omnes homines salvos fieri, unusquisque autem proprio fit iniquus arbitrio.* Bernhardus serm. 5. in natali Domini: *Deus ex se sumit seminarium miserendi, quod judicat et condemnat nos, cum quodammodo cogimus, ut longe aliter de corde ipsius miseratio quam animadversio procedere videatur.* Idem serm. 1. in purif. Mar.: *omnibus offertur et in communi posita est Dei misericordia, nemo illius expers est, nisi qui renuit.* Gerson. lib. de remed. contra pusillan.: *Verissima est Chrysostomi sententia: Deus quasi dolet, cum hominem per suam justitiam damnare debet propter hominis injustitiam, ex quo homo est imago Dei tam nobiliter creatus et tam pretiose redemtus.*

Testimonia ipsorum adversariorum.

74. Quin imo ipsi adversarii sui quasi quandoque obliti et luce veritatis oculos etiam clausos feriente excitati idem docent. Bulling. super 1. Timoth. 2: *vult Deus omnes homines salvos fieri, neminem exludit a salute.* Hyper. lib. 1. methodi p. 251: *Deus vult omnes homines salvos fieri, ex quibus tamen quod multi pereunt, pereuntium est meritum; quod multi salvantur, salvantis est donum.* Rob. Rolloc. sup. 8. Rom. p. 178: *vult Deus salutem reproborum, quia salus in se res bona est, verum non decernit eam, imo vero decernit mortem ac perniciem eorum, voluntas igitur latius patet decreto.*

Argumentum contra beneficam illam Dei erga omnes voluntatem.

75. Atqui (dicunt, qui nobis contradicunt), *si Deus serio vult omnes salvos fieri, omnes etiam salvarentur; quia omnia, quae voluit Deus, fecit,* Ps. 115, v. 3; *voluntati ejus quis resistit?* Rom. 9, v. 19. Respondemus: Quaedam Deus vult absolute et simpliciter; quaedam certa conditione ac certis mediis. Θελητὰ primi generis cum sint absoluta, semper fiunt; de illis accipienda sunt dicta antea allegata. Θελητὰ secundi generis, cum sint certa conditione ac certis mediis circumscripta, ideo non nisi posita illa conditione ac positis illis mediis eveniunt. Vult Deus et serio vult peccatoris vitam; sed tamen vult etiam peccatoris conversionem per Spiritum s. et verbum; quod si peccator verbum illud repellat et Spiritui s. resistat atque ita non convertatur, vult peccatoris justam damnationem.

76. Haec sibi invicem non sunt contraria; quia Deus non solum misericors est, sed etiam justus. Deus ab omni aeternitate lapsum protoplastorum ac totius generis humani perditionem eum insecutam praevidens omnium hominum serio misertus est et hac misericordia motus fecit decretum de instauratione generis humani per Filium et per verbum gratiae omnibus ad hoc regnum Filii sui et ad participationem beneficiorum ejus vocandis; cum vero itidem ab aeterno clementissimus Deus videret, fore ut quidam saltem illa salutis media omnibus desti- IV. 169.
nata acceptent, reliquis ea repellentibus et consilium Dei de salute sua pertinaciter spernentibus decretum fecit de servandis illis solis, qui per efficaciam Spiritus s. mediante verbo perseveranter in Christum credunt, et de damnandis illis, qui pertinaci mediorum contemtu se ipsos vita aeterna indignos judicant.

77. Magistratus omnibus subditis bene vult, sed tamen etiam vult, ut honestis legibus obtemperent; si qui propositas leges contumaciter transgrediuntur,

illos debitis afficit poenis, solos obedientes ornat praemiis. Nulla hic voluntatis contrarietas. Veniat medicus aliquis ad urbem peste infectam, afferat omnibus pretiosam sanitatis medicinam: si qui postea sanitatis media aspernentur nec illius actu participes fiant, ipsorum culpa id accidit, manente salva atque integra benefica ista medici erga omnes urbis incolas voluntate. Sed quid peregrina assumimus? Christus Luc. 14. declarat id exemplo patrisfamilias, qui parat coenam magnam et serio vult, ut omnes vocati compareant atque bonis perfruantur; at postquam ipsius vocationem et beneficentiam contemnunt, vult et decernit, ut nemo eorum coenam paratam gustet.

Distinctio inter voluntatem antecedentem et consequentem.

78. Ex hoc fonte promanavit distinctio inter *voluntatem Dei antecedentem et consequentem*, qua distinctione usus est Chysostom. tom. 4. serm. super epist. ad Ephes. Damascen. 2. de orthod. fide c. 29. et lib. 1. contra haeres. Manich. Anselmus eam ita effert: *alia est voluntas misericordiae, alia justitiae.* Scholastici dicunt: *voluntate prima Deus vult omnem hominem salvum fieri; at voluntate secunda non vult reprobum salvum, in quantum ipse talis est.* Thom. p. 1. q. 19. art. 16. Bonav. 1. sent. dist. 47. art. un. q. un. Amplectitur hanc distinctionem etiam Hubertus Sturmius de praedest. p. 181, qui Calvinum alius sequitur.

79. Distinguit autem haec divisio non ipsam per se voluntatem, quae in Deo una et indivisa est, sicut et una essentia; sed geminum istius respectum. In antecedente voluntate respectus habetur mediorum ad salutem, prout ex parte Dei ordinata sunt et omnibus offeruntur. In consequente voluntate respectus habetur eorundem mediorum, sed prout ab hominibus acceptantur vel negliguntur. Antecedens voluntas ideo sic appellatur, quia considerationem obedientiae vel inobedientiae hominum praecedit, et respectu constat simplici, quo benefica illa Dei voluntas aequaliter se habet erga omnes. Consequens voluntas ideo sic appellatur, quia considerationem obedientiae vel inobedientiae hominum subsequitur, et respectu constat determinato, prout eadem voluntas se habet ad homines τάξιν illam mediorum ipso actu vel sequentes vel negligentes. Haec judicamus pro explicatione istius distinctionis sufficere, per quam plurimorum argumentorum funiculi dissolvi possunt, si recte adhibeatur. Breviter fundamentum hujus divisionis consistit in mirabili divinae justitiae et misericordiae temperamento.

80. Benefica illa Dei omnium hominum salutem serio expetentis voluntas immediate pugnat cum figmento illo de absoluta quorundam reprobatione, ideo et a propugnatoribus figmenti illius plane negatur. Beza p. 2. resp. ad coll. p. 194: *Hoc dico, nunquam tempus fuisse vel esse vel futurum, quo voluerit, velit aut voliturus sit Deus singulorum misereri.* Rennecher. de praedest. p. 114: *illi, qui Deum omnium misereri et singulos salvari velle sibi imaginantur, toto coelo errant et magnum peccatum admittunt.*

Explicatio c. 9. Rom.

81. Solent quidem satis multa pro sua sententia confirmanda afferre; interim tamen, quia in c. 9. epist. Roman. potissimum causae suae robur constitutum habere sibi videntur, ideo non abs re fore arbitramur, si istius explicationem brevem subjiciamus. IV. 170.

82. Scopus apostoli est occurrere scandalo, quod ex abjectione gentis Judaicae piis oriri poterat, ut ita etiam hanc syrtem ipsorum spes tuto praeternavigare posset. Exponit quidem apostolus causas illius abjectionis, quae sunt: *1. confidentia carnalis*, qua electionem et beneficia Messiae ac regni coelestis carnali duntaxat generatione et prosapia metiebantur, de qua c. 9. tractatur; *2. contemtus justitiae Dei* per praedicationem evangelii de Christo ipsis oblatae et propriae justitiae confidentia, de qua c. 10; *3. infidelitas stupenda*, quam etiam induratio et excaecatio justissimo Dei judicio sit consecuta, de qua c. 11. Interim tamen series tractationis est ἐλεγκτική. Introducit enim apostolus Judaeos sic obstrepentes: *Si populum nostrum Deus abjecit, ergo excidit sermo Dei, id est vana erit promissio patribus nostris Abrahamo, Isaaco et Jacobo facta.* v. 6. Connexionis rationem petebant ex forma foederis, quod cum Abrahamo Deus inierat, Genes. 17, v. 7: *Ero Deus tuus et seminis tui post te.* Apostolus negat connexionem et ad confirmationem pro ea adductam respondet, plerosque Judaeorum non esse hodie ex semine Abrahae, quia illi tantum numerantur in semine, qui sunt filii promissionis; cum vero plerique Judaeorum hoc tempore non sint filii promissionis, siquidem non credant evangelio, ideo etiam eos non numerari in semine et per consequens non gaudere promissione.

83. Majorem propositionem, quod scilicet illi solum numerentur in semine, qui sunt filii promissionis, negare solebant Judaei, quia ex naturali propagatione filios Abrahae aestimabant, sicut etiam Joh. 8, v. 39. gloriantur: *Pater noster Abraham est;* sed ut eodem loco Christus ipse respondet: *Si filii Abrahae essetis, opera Abrahae faceretis*, et sicut Joh. 1, v. 13. dicitur, *filios Dei non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri natos;* denique sicut Roman. 4, v. 11. dicitur, *illos, qui sectantur vestigia fidei Abrahae*, esse veros illius filios; ita quoque hoc loco Judaeorum gloriationi respondet apostolus, filios promissionis solummodo in semine numerari, idque confirmat typo duplici: prior est ab Ismaële et Isaaco, v. 9; posterior a Jacobo et Esavo, v. 10.

84. Applicatio talis est. Si solus Isaac, quem miraculosa promissionis gratia Abraham ex Sara suscepit, est verum et germanum semen Abrahae, non etiam Ismaël, qui tamen ex eodem Abrahamo secundum carnem genitus; sequitur, censeri filios non secundum carnem seu ex nativitate carnali, sed secundum promissionem, fide scil. apprehensam. At prius est verum, ut patet ex Gen. 21, v. 12: *In*

Isaaco vocabitur tibi semen, Isaac autem *filius promissionis* Gen. 18, v. 10. Ergo et posterius.

85. Ne Judaei dicere possent, *Ismaëlem ex ancilla susceptum, Isaacum ex libera, se autem esse filios liberae*, ideo addit etiam apostolus alterum typum Jacobi et Esavi: Si illi, qui ex unis iisdemque parentibus propagati sunt, non tamen ideo sunt utrique filii promissionis, sed alter praefertur alteri; sequitur, censeri filios, non secundum carnem, sed secundum promissionem; sed verum prius, ut patet exemplo Jacobi et Esavi. Ergo et posterius.

86. Ne quis diceret, *Jacobum propter opera praelatum*, addit apostolus quadruplicem προςδιορισμόν: *1. nondum natis pueris; 2. antequam fecissent aliquid boni vel mali; 3. non ex operibus; 4. sed ex vocante, ut propositum secundum electionem maneret.* Redit ergo prima propositio. Verum et spirituale semen Abrahae censetur non ex carnali nativitate neque ex operum meritis, sed ex Deo
IV. 171. vocante et fide promissionem divinam amplectente; ac proinde etiamsi Judaei in carnali nativitate et operibus suis confitentes rejiciantur, non tamen excidit Dei promissio. August. 16. de civ. Dei c. 35: *Paulus apostolus magnum vult intelligi gratiae documentum: quia nondum illis natis, nec aliquid agentibus boni sive mali, sine ullis bonis meritis eligitur minor, majore reprobato, quoniam procul dubio quantum attinet ad originale peccatum, ambo pares erant, quantum autem ad proprium, nullius eorum ullum erat.*

Explicatio dicti: Jacob dilexi, Esau odio habui.

87. Qui apostolum explicant de absoluta electione Isaaci et Jacobi ad vitam aeternam et de absoluta rejectione Ismaëlis et Esavi ad aeternam damnationem, multis modis peccant. 1. Non observent scopum tractationis apostolicae. 2. Vaticinium, quod de posteris Jacobi et Esavi proprie accipiendum, (ut patet Genes. 25, v. 23. et Mal. 1, v. 2. 3.), id referunt ad personas. In historia de reditu Jacobi e Mesopotamia Genes. 32. et 33. recensetur, Jacobum non semel Esavum fratrem obviam sibi factum appellare suum dominum, proprio vultu et corpore septies honorare, gratiam illius studiose aucupari etc. Ergo non potest prophetia illa de persona Jacobi intelligi, sed de posteritate. Nam de Amasia est proditum, quod Idumaeos, qui saepe numero ab imperio Judae deficiebant 2. Reg. 8, v. 22, percusserit, 2. Reg. 14, v. 7; eaque de re ita refert Augustin. in lib. quaest. in Genes. q. 83: *In eo, quod Dominus respondet Rebeccae: Duae gentes in utero tuo sunt et duo populi utero tuo separabuntur, et populus populum superabit, et major serviet minori, spirituali intelligentia carnales in populo Dei significantur per majorem filium, et spirituales per minorem, quia dicit sicut apostolus, non prius quod spirituale est, sed quod animale, postea spirituale. Solet et sic intelligi hoc quod dictum est, ut in Esau figuratus sit major populus Dei, hoc est Israëliticus secundum carnem; per Jacobum autem figuratus est ipse Jacob secundum spiritualem progeniem; sed etiam historica proprietate hoc responsum invenitur impletum, ubi populus Israël, id est Jacob minor, filios superavit Idumaeos, id est gentem, quam propagavit Esau, eosque fecit tributarios per David, quod diu fuerunt usque ad regem scilicet Joram, sub quo Idumaei rebellaverunt et jugum Israëlitarum a cervice sua deposuerunt, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* 3. Quod de externo privilegio dominii et promissione terrae Canaan dictum, id de electione ad vitam aeternam proprie et nude accipiunt. 4. Implicant se absurdo; si enim locus hic de absoluta electione ad vitam aeternam et absoluta reprobatione ad aeternam damnationem accipitur, sequitur, non solum Jacobum absolute ad vitam aeternam praedestinatum, sed etiam totum a Jacobo descendentem populum; ac Esavum non solum simpliciter a gratia Dei rejectum, sed etiam totum populum ab ipso oriundum. 5. Incerta sumunt tanquam certa. Nam de Ismaëlis et Esavi damnatione nihil certi affirmari potest; convenit Esau cum fratre ad sepulturam patris Genes. 35, v. ult. et sic cum ipso in gratiam redit. 6. Repugnant Scripturae. Quomodo enim Esavus et Ismaël absolute sine respectu incredulitatis et impoenitentiae ad aeternam damnationem reprobati, cum uterque per circumcisionem in foedus Dei receptus, et sic justitia fidei illis hoc *signaculo* confirmata fuerit? Rom. 4, v. 11. 7. Involvunt se multis difficultatibus. Si enim hic sensus est oraculi divini, quod Jacob ad vitam aeternam absoluto decreto electus, Esavus autem absoluto decreto ab ea rejectus, quibus oculis pii parentes hunc suum filium adspexissent? quo animo Rebecca hunc titionem infernalem aeterni ignis suppliciis absolute addictum sinu suo fuisset complexa? 8. Pervertunt genuinam verborum significationem. Odisse enim hoc loco non accipiendum positive, pro absoluto quodam odio, sed negative, ut sit idem quod posthabere, scilicet in externorum privilegiorum et beneficiorum distributione. Confer Gen. 29, v. 3. Psal. 78, v. 67. 68. Prov. 13, v. 24. Matth. 6, v. 24. Luc. 14, v. 20. c. 16, v. 13. Joh. 12, v. 25.

88. Quod si textum apostolicum tanquam typum IV. 172.
ad electionem referre velint, quod facit Bucanus de praedest. c. 8. p. 552, id ipsum etiam recte fiat, videlicet hoc modo: Quemadmodum externum privilegium dominii et promissio terrae Canaan non pendebat a carnali propagatione neque ex meritis operum, sed ex gratuita Dei misericordia; sic haereditas vitae aeternae non est eorum, qui nituntur carnali sua ex Abrahamo, Isaaco et Jacobo nativitate aut in operibus salutem quaerunt, sed qui in solo Dei eligentis gratuito favore omnem spem collocant.

89. Non autem talis applicatio facienda. Genus, nativitas et operum merita nihil faciunt ad electionem. Ergo etiam fides eam non ingreditur: 1. quia idem per omnia de justificatione posset inferri; 2. quin potius, quia apostolus meminit promissionis, utique ex natura correlatorum fides amplectens promissionem includitur; 3. adde quod huic collectioni apostolus contradicat Rom. 9, v. 32: *Israël ad legem*

justitiae non pervenit; quare? quia non ex fide (Rom. 11, v. 20.) *per incredulitatem fracti sunt* (v. 22.), *si non permanserint in incredulitate, rursus inserentur.* Quemadmodum Deus in tempore neminem suo favore et misericordia ad vitam aeternam amplectitur, nisi credentem in Christum, et neminem odio prosequitur ac damnat, nisi incredulum et impoenitentem (Joh. 3, v. 18.); sic ab aeterno proposuit ac decrevit, se in Christum credentibus daturum vitam aeternam, contemtores ejus damnaturum.

90. Promissio ergo dilectionis, adoptionis et vitae aeternae pendet ab electione per gratiam et gratuitam misericordiam propter intercessionem Christi, et omnes illi sunt electi, quos Deus praevidit credituros evangelio et in fide perseveraturos esse; aliis omnibus, qui volunt promissionem haereditatis regni Dei non ex promissione gratiae, sed ex praerogativis carnalibus et propriis meritis accipere, abjectis in aeternum exitium, ut recte scribit Alex. Alesius sup. hoc 9. c. Rom.

Explicatio dicti: Miserebor, cujus misereor.

91. Aliam Judaeorum objectionem proponit apostolus v. 14: *Numquid iniquitas apud Deum?* perinde ac si dicerent: Si tota salutis ratio dependet ex sola Dei gratuita dilectione et nulla est Judaicae gentis praerogativa, nullum operum meritum, adeo ut etiam gentes idololatricae et a republica Israëlitis alienae, ad regnum Messiae et haereditatem coelestis regni vocentur, sequitur, Deum esse injustum. Apostolus negat connexionem v. 15. addita ratione ex Moyse: *Miserebor cujus miserebor.* Misericordia Dei est mere gratuita, nulli genti et nullis operibus debita.

92. Cave autem hinc inferas, Deum absolute et simpliciter nolle quorundam misereri; id enim contradiceret Scripturae et ipsi apostolo Rom. 11, v. 32. Nec recto talo stat hoc argumentum: Misericordia Dei est mere gratuita. Ergo absoluta erga paucos quosdam. Idem enim de justificatione inferri posset, ea mere gratuita est; interim tamen non nisi per fidem justificamur. Misericordia illa Dei homines salvantis non potest considerari nisi in Christo, et ita propter Christum hominibus contingit. Unde dicitur, *quod liberaverit nos Deus et vocaverit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum et gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia* 2. Tim. 1, v. 9. *Dilecti sumus in dilecto* Eph. 1, v. 6; hinc sequitur, quod *Deus elegerit nos in Christo.* v. 4. Vicissim in Christo non sunt homines nisi per fidem. Ergo haec misericordia Dei intelligenda et explicanda de credentibus.

93. Hanc explicationem confirmat tota Scriptura. Si enim quaeras, quorum ergo Deus velit misereri, deducit nos Scriptura ad Christum ac in eo nos Deo gratos, dilectos ac electos ad vitam aeternam esse ostendit. Misit quidem Deus Filium suum toti mundo ac per evangelii praedicationem misericordiam suam offert omnibus hominibus, sed quia hanc gratuitam misericordiam in evangelio ipsis oblatum plurimi contemnunt ac rejiciunt, hinc ratione applicationis et actualis perfruitionis soli perseveranter IV. 173.
in Christum credentes dilectionis Dei ad vitam aeternam participes fiunt.

94. Et quia apostolo propositum erat vindicare Dei justitiam a linguis obtrectantium Judaeorum, ideo demonstrat justum esse ubique Dominum, sive ex misericordia homines salvet, sive justo judicio eos induret et damnet. Pro exemplo indurationis adducit Pharaonem maximum illum ecclesiae persecutorem. Quorum autem Deus velit misereri, quos velit indurare, apostolus hoc loco non determinat. Tota autem Scriptura ostendit, quod Deus in dilecto suo Filio velit misereri omnium credentium et quod indurare velit eos, qui contumaciter ipsius verbo reluctantur, ut justitiam suam in illis declaret, quod ipsum etiam Pharaonis exemplo ostenditur.

Induratio Pharaonis.

95. Ad illum cum jussu Dei venirent Moyses et Aaron ac dicerent: *Si dixit Jehovah: Dimitte populum meum* Exod. 5, v. 1, ipse respondet v. 2: *Quis est Jehova, ut pareum voci ejus dimittendo Israël? neque novi Jehovam, sed nec dimittam Israël*, ubi vides extremam ejus impietatem et epicureum Dei contemtum; ac quamvis tot signa ac prodigia coram ipso ederentur, noluit tam vel quicquam de crudelitate sua remittere vel populum Israëliticum dimittere; ideo in poenam antegressae istius impietatis et contumaciae dicit Dominus Exod. 7, v. 3: *Ego indurabo cor Pharaonis.* Proinde induratio pertinet ad voluntatem Dei consequentem seu justum ejus judicium, quo antegressa peccata punit. Quomodo autem induret Deus, alibi explicatum dedimus: *Indurat non malitiam cordibus hominum impertiendo, sed deserendo ac Satanae tradendo.* August. lib. 83. q. 68: *De Pharaone facile respondetur, prioribus meritis, quibus afflixit in regno suo peregrinos, dignum effectum, cui obduretur cor, ut nec manifestissimis signis jubentis Dei crederet. Ex eadem ergo massa, id est peccatorum, et vasa misericordiae protulit, quibus subveniret, cum eum deprecarentur filii Israël, et vasa irae, quorum supplicio illos erudiret, i. e. Pharaonem et populum ejus, quia quamvis essent utrique peccatores et propterea ad unam massam pertinerent, aliter tamen tractandi erant, qui uni Deo ingemuerant, ut eis subveniret; et aliter illi, quorum injustis oneribus ingemuerant.* Ibid.: *Nunquid latebat Pharaonem, quantum bonum consecutae fuerant terrae illae per adventum Joseph? illius ergo rei gestae cognitio ejus vocatio fuit, ut populum Israël misericorditer tractans non esset ingratus. Qui autem huic vocationi obtemperare noluit, exercuit crudelitatem eis, quibus humanitas et misericordia debebatur, meruit poenam, ut induraretur illi cor et tantam caecitatem mentis pateretur, ut tot et tantis tamque manifestis Dei signis non crederet, quo posset ejus supplicio sive obdurationis sive ultimae visibilis submersionis erudiri populus, cujus afflictione ille et occultae obtusionis et manifestae submersionis meritum compararet.* Vide Disp. de provid. th. 119.

96. Patet hinc, quod in verbis illis, quae ex Moyse allegat apostolus v. 17, describatur determinatio Dei ad certum finem illam Pharaonis contumaciam dirigentis. Est enim in Hebraeo *stare te feci*, Tremell. et Jun. *feci*, *ut restares.* Munst. *conservavi te*, *feci te manere*, nolens te illico ob tuam impietatem exterminare, LXX *διετηρήθης ἕως τοῦ νῦν*. Eodem modo Calvinus in commentariis super Exodum reddidit. Ambrosius et Chrysostom. in epist. Roman. *servavi te*, perinde sicut Prov. 16, v. 4. dicitur, quod Deus faciat impium ad diem malum, super quem locum Ludov. Lavat.: *Non est ex his verbis colligendum, Deum condidisse impium ut impium, nam impius ut impius non est ex Deo, sed ex patre diabolo. Nec de creatione loquitur, sed de gubernatione illius, qua impiorum etiam animas sic gubernat, ut ad gloriam suam faciant.* Haec ille, quae tamen itidem ratione determinationis accipienda, non quasi impium ad malas actiones Deus impellat.

97. Qui ex hoc loco volunt colligere, Pharaonem
IV. 174. a Deo creatum, ordinatum et impulsum, ut negando dimissionem populi Israëlitici peccaret, temporales ac aeternas poenas sibi accerseret in laudem justitiae divinae [sicut Herborn. Piscat. in anal. 185. scaibit: *Excitavi te, i. e. excitavi animum tuum, ad reluctandum mandatis meis*], illi 1. repugnant Scripturae, quae testatur, Deum nec velle peccata nec ad ea homines impellere, Deum omnes velle salvos fieri; 2. repugnant historiae Mosaicae, quae testatur, Pharaonem per verbi divini praedicationem ad ecclesiae consortium a Deo esse vocatum, per Moysen et Aaronem de futuris poenis praemonitum, stupendis miraculis et poenis extremam internecionem antegressis, realem quasi poenitentiae concionem ipsi fuisse propositam, atque ita *μακροθυμίᾳ* illa Dei ad poenitentiam serio ipsum fuisse invitatum, Rom. 2, v. 4; 3. confundunt causam efficientem et finem, non enim Moyses et Paulus loquuntur de causa efficiente, quasi Deus voluerit, Pharaonem esse impium et contumacem, ut gloriam suam ostenderet; sed de salutari fine, ad quam pervicacem illam Pharaonis duritiem Deus voluit dirigere, videlicet ut tanto tamque potente rege everso et Israëlitis servituti ejus subtractis ac potenti manu eductis Dominus suam potentiam illustraret et gloriam nominis sui toti orbi conspiciendam proponeret; 4. non recte sentiunt de fine creationis. *Nemo enim ideo creatus est a Deo*, ut pereat, ut demonstrat August. ad art. sibi falso imp. art. 3; 5. confundunt indurationis justissimam poenam cum injusta cordis indurati culpa.

98. Sequitur tertia Judaeorum objectio v. 20. Si Deus non ex aequo omnium miseretur, sed quosdam indurat, quid de ipsorum obstinatione amplius conqueritur? Apostolus primo acriter objurgat temeritatem humanam. *Tu quis es, qui respondeas Deo?* q. d. creatura non debet rationem factorum a creatore exigere; postea rem declarat similitudine figuli: *An non habet figulus potestatem ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam* v. 21.

99. Applicatio talis est. Sicut figulus habet po- Simile figuli expositum.
testatem ex una eademque massa effingere quaedam vasa ad honorem, quaedam ad ignominiam: sic Deus non est injustus, si vasa misericordiae praeparet ad gloriam, et vasa irae ad interitum aptata perferat multa lenitate ad ostendendam iram et notam faciendam potentiam suam. Haec totidem verbis apostolus, quibus inest processus a minori ad majus. Si figulus non potest accusari, quod ex materia non repugnante facit vas ignominiae, quanto minus Deus injustitiae accusari poterit, si hominibus contumaciter sibi reluctantibus [qualis erat Pharao] gratiam suam subtrahat atque opus illud opifici repugnans Satanae indurandum tradat ac in interitum abjiciat.

100. Non autem talis applicatio facienda. Ut figulus ex eadem massa facit vasa quaedam ad decus, quaedam ad dedecus: ita Deus quosdam absoluto decreto praedestinatos creat ad salutem, quosdam vero absoluto decreto rejectos creat ad damnationem et interitum. Talis applicatio repugnat 1. contextui apostolico. Non enim dicit apostolus, quod Deus vasa irae aptet, sed quod vasa illa irae ad interitum *aptata cum multa patientia sufferat.* Jam vero quod quis cum multa patientia tolerat, ipse non fecit. Pulchre Augustinus: *Deus vasa irae non facit, sed invenit; vasa gratiae non invenit, sed facit.* 2. Scripturae, quae *μακροθυμίαν* illam Dei, qua tolerat vasa irae, Rom. 2, v. 4. sic interpretatur, quod per eam *invitet DEUS ad poenitentiam;* vult ergo, ut non amplius sint vasa irae, quomodo ergo aptavit? *Perditio tua ex te Israël*, Hos. 13, v. 9, quomodo ergo causa efficiens istius *καταρτήσεως εἰς ἀπώλειαν* erit Deus? 3. Ipsis verbis apostoli. Dicuntur vasa irae; jam vero notum est, *iram Dei dici non posse, nisi ubi creditur hominis iniquitas praecessisse*, ut loquitur Fulgentius lib. 1. ad Monim., quomodo ergo locum habet, quod Deus ex absoluto odio quosdam creet, ut sint vasa irae? 4. Legibus similitudinum: ut enim habet regula Chrysostomi, *παραδείγματα οὐ πάντα καθόλου δεῖ λαμβάνειν* etc. Figulus tractat lutum, quod sen- IV. 175.
sus expers nec resistit ejus voluntati; num et hoc de hominibus dicetur, quorum aliqui resistunt Spiritui sancto, spernunt Dei consilium, repellunt verbum? Neutris vasis, sive ad decus sive ad ignominiam paratis, figulus irascitur; atqui de hominibus ad interitum aptatis dicit apostolus, quod sint vasa irae. 5. Articulo creationis: Homo enim ad imaginem Dei creatus, cujus pars fuit donum immortalitatis; articulo redemtionis: Venit Filius hominis servare, quod perierat; ipsi Dei naturae, qui proprio suo operi non irascitur, Sap. 11, v. 25. etc. Vide de hoc c. 9. Rom. plura apud D. Mentzerum in analysi istius tom. 1. Giss. disp. subjuncta et D. Schröderum in explicatione istius capitis nuper edita.

CAPUT V.

DE CREATIONE OMNIUM IN ADAMO AD IMAGINEM DEI.

1. Creatio hominis ad imaginem Dei.

101. Atque haec dicta sint de benefica illa Dei omnium hominum salutem serio expetentis voluntate, quae absoluto reprobationis decreto immediate repugnat et merito primo loco ipsi opponitur. Alterum, quod figmento isti opponimus, est primaevae felicitatis status, in quo homo est a Deo creatus, ubi sic argumentamur: Quoscunque Deus condidit ad imaginem suam, illi non sunt absoluto quodam odio rejecti et ad aeternam damnationem destinati. Jam vero Deus in Adamo omnes homines condidit ad imaginem suam. Ergo neminem eorum absoluto quodam odio a se rejecit ac ad aeternam mortem destinavit. Majoris propositionis connexio evidens est, quia imago illa Dei definitur *justitia et sanctitate vera*, Eph. 4, v. 24, cujus pars est donum immortalitatis. Sap. 2, v. 33: *ὁ θεὸς ἔκτισεν τὸν ἄνθρωπον ἐπ' ἀφθαρσίᾳ καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος* (al. *ἀϊδιότητος*) *ἐποίησεν αὐτόν.* Calv. 1. Inst. c. 15. sect. 4: *sub imagine Dei comprehenditur quicquid ad spiritualem et aeternam vitam spectat.* Jam vero immortalitatis donum, cum quo homo conditus est, immediate pugnat cum damnatione, quae est mors aeterna sive secunda, Apoc. 20, v. 6.

In Adamo omnes homines ad vitam aeternam conditi.

102. Restat, ut confirmetur minor propositio. Dona in creatione primis hominibus collata non solum ipsorum personam, sed etiam posteritatem spectabant; etenim si primi parentes in concreata integritate perstitissent, hanc Dei imaginem et haec dona etiam ad posteros propagassent; investituram vitae, ut ita loquar, acceperant pro se et omnibus posteris, utique ergo in Adamo omnes conditi ad vitam aeternam rectissime dici possunt. Calvinus lib. 2. Instit. c. 1. sect. 6: *Adam humanae naturae non progenitor modo, sed quasi radix fuit, et si in eo universum genus humanum imaginem Dei amisit,* illam prius in Adamo habuisse consequitur; ubi diligenter observari jubemus argumentum, quod Calvinus pro confirmatione minoris nobis suppeditat. Quicunque in lapsu et per lapsum Adae perdiderunt imaginem Dei et vitam, illi in Adamo stante imaginem Dei et vitam habuerunt et per consequens ad eam sunt creati. Jam vero omnes posteri Adae in lapsu et per lapsum primi sui parentis perdiderunt imaginem Dei et vitam, Rom. 5, v. 12: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* v. 16: *judicium ex uno in condemnationem.* v. 17: *unius delicto mors regnavit per unum.* v. 18: *per unius delictum in omnes homines in condemnationem.* v. 19: *per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Ergo omnes posteri Adae in ipso adhuc stante habuerunt imaginem Dei et vitam, ac per consequens ad eam sunt creati.

103. Vident adversarii hoc argumento absolutum reprobationis decretum validissime everti, ideo scribere non verentur, *Adamum ideo conditum, ut laberetur, esse a Deo impulsum, ut laberetur, quosdam homines a DEO creari ad interitum* etc. Calvinus lib. 3. Instit. c. 23. sect. 4: *in calamitatem illam Dei praedestinatione lapsus est Adam.* sect 7: *unde factum, ut tot gentes una cum liberis eorum infantibus aeternae morti involverit lapsus absque remedio, nisi quia Deo ita visum est, hic obmutescere oportet dicaces alioqui linguas: decretum quidem horribile fateor, infitiari tamen nemo poterit, quin praesciverit Deus, quem exitum esset habiturus homo, antequam eum conderet, et ideo praesciverit, quia decreto suo sic ordinaverat.* c. 21. sect. 5: *non pari conditione creantur omnes, sed aliis vita aeterna praeordinatur.* Cingl. in elench. cont. Catabapt. part. 2. fol. 36: *Divina providentia Esavum in hoc creavit, ut viveret, atque impie viveret.* Beza super 9. Rom.: *Hic iterum liceat dicere, esse quosdam a Deo opifice ad interitum conditos.* Piscator super 9. Roman. in schol. p. 187: *vult apostolus dicere, reprobos a Deo conditos esse ad interitum, sicut vasa quaedam a figulo coagmentantur ad dedecus.*

IV. 176. An Adamus ideo conditus, ut laberetur.

104. De lapsu Adae suo loco copiose agemus, et a culpa istius Dei justitiam contra hos obtrectatores luculente vindicabimus. Proferunt autem potissimum duo Scripturae loca, quibus conantur probare, quosdam homines a Deo creari ad interitum, videlicet Prov. 16, v. 4: *Universa propter se ipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum,* et Rom. 9, v. 22: *vasa irae κατηρτισμένα dicuntur ad interitum.* Utriusque loci explicationem in superioribus protulimus; illius quidem in tractatu de providentia th. 126, hujus vero in hoc ipso tractatu th. 100.

105. Refer huc dicta veterum: Ambrosius 2. de vocat. gent. c. 8: *Deus neminem odiens creavit.* Inter articulos falso Augustino impositos habetur etiam iste, quod Deus majorem partem generis humani ad hoc creet, ut illam perdat in aeternum; sed respondet August. in resp. ad art. 3: *Omnium quidem hominum Deus creator est, sed nemo ab eo ideo creatus est, ut pereat, quia alia causa et nascendi et alia pereundi. Ut nascantur homines, est beneficium; ut autem pereant, praevaricatoris est vitium. In Adam, quippe in quo omnium hominum praeformata est natura, omnes peccaverunt, eademque sententia, quam ille accepit, obstricti sunt, neque ab hoc vinculo, etiam si propriis peccatis careant, resolvuntur, nisi in sacramento mortis et resurrectionis Christi per Spiritum s. renascantur. Nimis ergo impius et indoctus est, qui vitium naturae non discernit ab auctore naturae, a quo prorsus alienum est, quicquid in unoquoque damnandum est. Creat enim, ut sint homines, nec multiplicandis generationum successionibus opificium suum subtrahit, secundum consilium bonae volunta-*

tis suas reparaturus in multis, quod ipse fecit; puniturus in multis, quod ipse non fecit.

CAPUT VI.

DE UNIVERSALITATE MERITI CHRISTI.

3. Universalitas meriti Christi.

106. Atque hoc alterum fundamentum est quod figmento de absoluto reprobationis decreto opponimus. Tertium esto universalitas meriti Christi, ubi sic argumentamur: Pro quibus Christus pretiosum sanguinem in ara crucis profudit, illi non sunt absoluto aliquo decreto a Deo rejecti; haec enim immediate sibi invicem repugnant, ut patet. Jam vero Christus pro omnibus omnino hominibus pretiosum suum sanguinem in ara crucis profudit. Ergo nemo eorum absoluto aliquo decreto a Deo rejectus. Major sua luce radiat; quicquid enim Christus in opere redemtionis agit, in eo voluntatem coelestis
IV. 177. Patris exsequitur, unde toties profitetur, se non venisse, ut suam, sed ut Patris voluntatem perficeret; quod si haec fuit bona coelestis Patris voluntas, ut Christus pro omnibus moreretur et pro omnium peccatis sanguinem suum profunderet, utique ergo nemo hominum absoluto aliquo decreto a coelesti Patre rejectus et reprobatus est. Minor confirmanda restat.

107. Universalitatem ergo illam meriti ac satisfactionis per Christum praestitae, Scriptura emphatice multis modis exprimit. Primo utitur termino universali. Christus *pro omnibus* gustavit mortem. Rom. 5, v. 8. 2. Cor. 5, v. 14. 1. Timoth. 2, v. 6. Hebr. 2, v. 9. Deinde utitur termino collectivo *mundi*, Christus est *agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi*, Joh. 1, v. 29, nimirum ita pro omnium peccatis satisfecit Christus, ac si fuerit unum omnium peccatum. *Deus dedit Filium suum mundo* Joh. 3, v. 9. *Ipse est Salvator mundi* Joh. 4, v. 42. Tertio addit *ἱλασμόν*, *Christus est propitiatio non tantum pro nostris* [fidelium], *sed etiam pro totius mundi peccatis*, 1. Joh. 2, v. 2. Quarto ita describit eos, pro quibus Christus est mortuus, ut non possint excludi reprobi. Esa. 53, v. 6: *Posuit Deus super Christum iniquitatem omnium nostrûm;* qui sint illi omnes, exponitur in praecedentibus: *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit*, quam esse descriptionem miseriae omnium hominum patet ex Psalm. 14, v. 2. et 3. Rom. 3, v. 11. et 12. Affer huc typum hirci emissarii ex Levit. 16. *cui omnes iniquitates filiorum Israël sacerdos DEI jussu imponebat*, v. 21. Sic Roman. 5. confert apostolus inobedientiam Adami et obedientiam Christi, atque utramque aeque late patere ostendit, quin imo concludit *gratiam exuberare supra peccatum*, quod non consistit, si dicamus, omnes homines per Adamum peccatores constitutos, pro paucis autem tantum Christi satisfactionem praestitam esse. Quinto speciem ipsam pereuntium exprimit Roman. 14, v. 15: *Noli cibo illum perdere, pro quo Christus mortuus est*, 1. Cor. 8, v. 11: *peribit infirmus frater, propter quem Christus mortuus est.* 2. Petr. 2, v. 1: *Erunt in vobis magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum, qui emit eos, Dominum negant, adducentes sibi celerem perditionem.* v. 3: *quorum interitus non dormitat.* Observa idem vocabulum hoc loco haberi, quod usurpant electi, Apoc. 5, v. 9: *mactatus es et redemisti nos Deo.*

108. Varia hic effugia quaerunt adversarii: *vocabulum* mundi *dicunt sumendum pro parte mundi digniore, scilicet electis.* Ita Zanchius, Beza et reliqui omnes. Respondemus: Nuspiam in tota Scriptura vocabulum *mundi* pro solis electis accipitur. Auctores Concordant. Latin. Francof. edit. ann. 1600. proferunt haec ipsa loca, sed hoc est *τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν*. Matth. 5, v. 14: *Vos estis lux mundi*, id putant de solis electis intelligendum, cum tamen apostoli missi sint in totum terrarum orbem, ut praedicationis doctrinae coelestis lumine eum illustrarent. Joh. 17, v. 21: *Ut credat mundus, quia tu me misisti*, id itidem de solis electis accipiunt, cum tamen Deus velit omnes ad agnitionem veritatis venire. Unus locus est, qui speciem aliquam habet, quem miror ab illis praetermissum, 1. Tim. 3, v. 16: *Christus creditus est in mundo*, id est a solis electis receptus. Sed attende verbis apostoli, non dicit Christum a mundo creditum, quia Joh. 1, v. 10. *mundus eum non cognovit;* sed dicit, *quod in mundo*, id est a fidelibus in mundo sit receptus. Zanch. tom. 2. miscell. p. 300. objicit illud Joh. 12, v. 19: *Totus mundus vadit post ipsum.* Respondemus: 1. non sunt verba Spiritus s., sed Pharisaeorum; 2. intelligitur de promiscua turba Christum secuta, non de solis fidelibus; 3. *ὅλος* in Graeco non habetur; 4. in ipso contextu particulariter id esse accipiendum, declaratur v. 11.

Exceptiones adversariorum: 1. Mundi vocabulum sumi pro electis.

109. Probandum ergo adhuc erit vocabulum *mundi* uspiam in Scriptura pro solis electis accipi, quod non agnoscimus. In plurimis autem locis mundus tantum pro non regeneratis et reprobis sumitur. Sed *ἐκ περιουσίας* ostendamus, vocabulum *mundi* in istis locis, quae adduximus, sumi universaliter. Johann. 3, v. 18. Christus dividit mundum in credentes et incredulos; v. 19. inserit huic mundo homines, qui dilexerunt magis IV. 178.
tenebras quam lucem; ex v. 17. patet, de eo mundo loqui Christum, ad quem in primo suo adventu missus est ad salvandum, non damnandum. Id generaliter accipiendum esse de omnibus patet ex Joh. 12, v. 47: *Si quis audierit verba mea et non custodierit, ego non judico eum; non enim veni, ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum.* Denique si *mundi* vocabulum sumitur pro solis electis, quae erit gradatio in dicto apostolico: *Christus est propitiatio non tantum pro nostris, sed etiam totius mundi peccatis?* Beza quidem prius

membrum accipit de electis ex fidelibus Judaeis, posterius de electis ex omnibus gentibus, cum ad solos Judaeos conversos scripta haec epistola videatur. Sed est indifferenter sine discretione gentis scripta ad omnes, qui credunt in nomine Filii Dei, 1. Joh. 5, v. 13, unde per totam ecclesiam haec epistola *catholica* vocatur.

1. Christum κατὰ δόκησιν pro reprobis mortuum.

110. 2. Dicta illa, quae testantur, perire posse eos, pro quibus Christus mortuus est, accipiunt κατὰ δόκησιν, quod scilicet et *ipsorum et aliorum opinione Christus pro ipsis mortuus.* Respondemus: Addimus nos, etiam juxta assertionem apostoli Christum pro illis esse mortuum, quae apostolica assertio non est nuda opinio, sed infallibilis veritas. Gravis temeritas est, ne quid dicam gravius, ea, quae κατ' ἀλήθειαν καὶ ὄντως facta in Scripturis asseruntur, ad δόκησιν referre. Ne vero ulla restet elabendi rima, afferimus huc dictum apostoli Heb. 10, v. 29: *Quanto putatis deteriora supplicia mereri, qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit, per quem fuerat sanctificatus.* Vides pro illis etiam Christi sanguinem effusum, qui eum sua impoenitentia quasi conculcant.

Argumenta pro universalitate meriti Christi. 1.

111. Reliquae minoris momenti exceptiones facile explicari possunt; addemus saltem quaedam adhuc argumenta pro universalitate meriti Christi confirmanda. Si reprobi ideo damnantur, quia non credunt in Filium Dei, sequitur ad ipsos quoque passionem ac mortem Christi attinere. Consequentia manifesta est, alias enim non possent propter contemtum ejus damnari, quod ad eos ex decreto Dei non spectat. Prius disertis verbis asseritur Joh. 3, v. 18: *Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomen unigeniti Filii Dei.* v. 36: *Qui incredulus est Filio, ira Dei manebit super illum.* Sic Joh. 16, v. 9: *Spiritus s. arguet mundum de peccato, quod non credit in Christum.* Ergo vult Spiritus s., ut mundus in Christum credat. Finge, Christum non satisfecisse pro incredulorum peccatis, sequetur eos ideo damnari, quod noluerint credere, id ad se pertinere, quod in rei veritate et juxta immutabile Dei decretum ad ipsos non pertinebat.

2. 112. Addo et hoc argumentum: Quibus Deus offert beneficia per passionem et mortem Christi parta, pro illis etiam Christus mortuus est. Consequentia est evidens. Absit enim, ut Deo tribuamus hanc simulationem, quasi per verbum vocet incredulos ad poenitentiam et ad regnum Christi, quos tamen absoluto decreto ab illis excluserit. Atqui Deus etiam reprobis et damnatis obtulit et quibusdam adhuc offert verbum et sacramenta, atque in illis beneficia per passionem et mortem Christi parta, teste Scriptura et experientia. Ergo pro illis etiam Christus est mortuus. Evidentius erit hoc argumentum, si consideres, quod in baptismo regenerentur etiam illi, qui postea gratia regenerationis vicissim excidunt; jam vero regeneratio provenit nobis ex merito Christi; item, quod omnibus ad coenam accedentibus [inter quos sunt quandoque reprobi] dicit Deus per os ministri: *Accipe, comede, hoc est corpus Christi pro peccatis tuis in mortem traditum. Accipe, bibe, hic est sanguis Christi pro peccatis tuis in ara crucis effusus.* Breviter: quibus praedicatur verbum, illis etiam praedicatur Christus crucifixus 1. Corinth. 1, v. 17; jam vero inter illos, quibus praedicatur verbum, multi sunt reprobi.

113. Nec minor vis in hoc argumento: Qui habent fidem et remissionem peccatorum, pro illis Christus mortuus est. Nemo hoc negare poterit; quia in Christi obedientia et satisfactione invenit et apprehendit fides remissionem peccatorum. Atqui multi eorum, qui habent fidem et remissionem peccatorum, tandem deficiunt, finaliter pereunt, et sic in numero reproborum se esse demonstrant, ut patet Hebr. 6, v. 4. 5. 6. et suo loco latius ostendetur. Ergo pro illis etiam Christus mortuus. 3. IV. 179.

Dicta veterum de universalitate meriti Christi.

114. Idem nobiscum docent veteres. Orig. lib. 1. in Jobum: *Christus ad terras veniens in humano corpore passiones sustinuit pro omnium hominum salute*; lib. 2. in Jobum: *Descendens de coelis unigenitus Deus in novissimo tempore terreni corporis testa ex virgine se induens totius mundi saniem, immunditiem ac putredinem rasit et mundavit omnium peccata supportando, cujus livore etiam omnes sanati sunt.* Basil. serm. de nat. hum. assumta: *Inventum est unum pro omnibus simul hominibus dignum pretium, sanguis Jesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit.* Ambrosius vel Prosper 2. de vocat. gen. c. 6: *Nulla ratio dubitandi est, Jesum Christum Dominum nostrum pro impiis et peccatoribus mortuum, a quorum numero liber inventus est. Non est pro omnibus mortuus Christus? sed prorsus pro omnibus mortuus est Christus, nemo ergo omnium hominum ante reconciliationem, quae per Christi sanguinem facta est, non aut peccator aut impius fuit* etc. Inter articulos falso D. Augustino impositos primus hic est, quod Dominus noster Jesus Christus non pro omnium hominum redemtione sit passus, cui respondet Augustinus: *Contra vulnus originalis peccati, quo in Adam omnium corrupta et mortificata est natura, et unde omnium concupiscentiarum morbus inolevit, verum et potens et singulare remedium est mors Filii Dei Domini nostri Jesu Christi* etc. *Quod ad magnitudinem et potentiam pretii et quod ad unam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemtio est totius mundi, sed qui hoc seculum sine fide Christi et sine regenerationis sacramento pertranseunt, redemtionis alieni sunt* etc. *Poculum immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra et virtute divina, habet quidem in se, ut omnibus prosit, sed si non bibitur, non proficit.* Idem epist. 171. ad Donatist.: *Passio Domini pretium est orbis terrarum; ille totum orbem redemit.* serm. 14. de temp.: *Dominus noster una morte universum mundum, sicut omnium conditor, ita omnium reparator absolvit. Indubitanter enim credamus, quod totum mundum redemit, qui plus dedit quam totus mundus valeret* etc. *Solus hic pia victima pro omnibus cecidit, ut omnes levaret.* Serm. 130. de temp.: *Propterea extra civitatem et*

extra muros [passus est Christus], *ut intelligas, quoniam communis est hostia pro genere humano oblata, et ideo communis est purificatio.* Chrys. super 1. Tim. 2: *Christus etiam pro gentibus mortuus est, et tu pro illis non orabis? illi non crediderunt, illi non voluerunt, ipse tamen partem suam fecit, cum penderet in cruce.* Optatus Milevit. lib. 3. contra Parmen.: *Constat sanguine Christi omnes re-*
IV. 180. *demtos.* Cyrill. in Joh. lib. 2, c. 53: *Magnum crimen incredulitatis esse ostendit, quoniam unigenitus ipse sit Filius Dei, quanto praestantius est, quod contemnitur, tanto majoribus, qui sprevit, suppliciis subjacebit. Judicatum vero jam esse ait incredulum, quod ipse in se ipsum, quoniam largitorem indemnationis non suscepit, condemnationis intulit sententiam.* Syn. epist. 57: *Christus pro omnium peccato crucifixus.* Primasius super 1. Tim. 2: *Pro omnibus quidem effusus Christi sanguis, sed credentibus prodest; incredulis vero erit in condemnationem.* Beda lib. 4. in Marcum: *Solus orat pro omnibus* [Christus], *qui et solus patitur pro universis* etc.

Confessio adversariorum de universalitate hujus meriti.

115. Quid, quod ex ipsis adversariis universalitas meriti Christi evidenter probari potest. Petrus Martyr. in locis comm. super Phil. 2. p. 1042: *Christus patiebatur pro multis malis et ingratis, quibus mors illa non erat profutura.* Wolffg. Muscul. in locis p. 326. sub titulo, quo de redemtione generis humani agit, scribit: *Genus humanum complectitur non unam aut alteram gentem, sed mundum universum, omnes videlicet totius orbis homines cunctos a primo ad novissimum. Scimus quidem, non omnes hujus redemtionis fieri participes, verum illorum perditio, qui non servantur, haudquaquam impedit, quominus universalis vocetur redemtio, quae non est uni genti, sed toti mundo destinata. Apud Judaeos erat anno jubilaeo generalis omnium servorum liberatio, etiam si multi in servitute manentes gratiam liberationis respuebant. Ad eum modum habet et redemtio generis humani; quod enim illam homines reprobi ac deplorate impii non accipiunt, neque defectu fit gratiae Dei neque justum est, ut illa propter filios perditionis gloriam ac titulum universalis redemtionis amittat, cum sit parata cunctis et omnes ad illam vocentur* etc. *Sic, qui mundum redemit, quicquid fiat de reprobis, justissime mundi salvator appellatur.* Rud. Gualth. sup. 1. Joh. 2: *Procul facessant omnes cogitationes, quae Christi meritum ad paucos modo extendi persuadere conantur. Johannes enim Christum propitiationem esse dicit pro totius mundi peccatis.* Mundi *vocabulo uti voluit, ne aliquem a Christi merito exclusum putaremus.* Vide eundem super 14. Rom. homil. 83. super 1. Cor. 8. homil. 42. etc. ut et Hemming. Instit. de praedest. th. 26. praecique observa, quod novissime Bucan. loc. 23. p. 213. inter causas cruciatuum in anima Christi referat *cogitationem ingratitudinis maximae partis mundi,* et quod Polan. super 9. Dan. p. 858. recte disputet, *Christi beneficium non esse angustius quam noxam Adami, ac Christi innocentem non esse minoris efficaciae, quam fuit culpa Adae.* Ex quibus omnibus universalitas meriti Christi evidenter adstrui potest.

Antithesis adversariorum de particularitate meriti.

116. Hoc modo universalitatem meriti Christi probatam dedimus, per quam absolutum reprobationis decretum penitus evertitur. Vident hoc istius decreti architectones, ideo etiam universalitatem meriti a Christo praestiti negant. Ita enim partis adversae collocutores in colloq. Mompelg. p. 514: *Intolerabilis nobis vox vestra visa est, Christum esse mortuum pro damnatis.* Beza in resp. altera ad colloq. p. 222: *Iterum dico et coram tota ecclesia profiteor, blasphemum et impium esse dicere, Christum sive quoad consilium Dei, sive quoad effectum, non minus pro damnandorum peccatis satisfecisse quàm pro peccatis Petri, Pauli* etc. Zanch. 1. miscell. p. 280: *Christum esse propitiationem pro totius mundi peccatis, ita intelligendum esse monet, ut vocabulum* mundi *pro optima mundi parte, id est solis electis, accipiatur.* Piscator Herborn. in disput. de praedest. thesi 3: *non pro singulis mortuus est Christus, sed tantum pro aliquibus.* Bucanus in loco de praedest. p. 395: *Christus nec Pharaonis nec Judae nec Caiphae nec Herodis* etc. *redemtor est, pro quibus nec mortuus.*

An Christus sufficienter tantum, non efficienter pro omnibus mortuus.

117. Solent autem crebro sententiam suam his verbis explicare: *Christum esse mortuum pro omnibus sufficienter, sed non efficienter;* ita Tossanus de praedestinat. thesi 31. et 32. Bucanus loco dicto et alii. Ubi observa distinctionem hanc ex Scholasticis doctoribus petitam, sed sensu longe diverso adhiberi. Scholasticorum sententia est, Christum, quantum est in
IV. 181. ipso, omnes liberasse; quod autem non omnes fiant ejus gratiae participes, causam haerere in ipsorum culpa, quia scilicet fide non adhaerent mediatori. Ita Thomas super 5. Apocal.: *De redemtione* [inquit] *facta per passionem Christi est loqui dupliciter: aut secundum sufficientiam, et sic passio redemit omnes, quia, quantum est de se, omnes liberavit, omnibus enim redimendis et salvandis sufficiens est, etiam si essent infiniti mundi,* ut dicit Anselmus lib. 2; *aut secundum efficientiam, et sic non omnes redemit per passionem, quia non omnes adhaerent redemtori.* Lombard. 3. sent. dist. 30. lit. C.: *Christus se Deo obtulit pro omnibus, quantum ad pretii sufficientiam, sed pro electis tantum, quantum ad efficaciam, quia praedestinatis tantum salutem effecit.* Biel 3. sentent. distinct. 19. q. un. artic. 2: *Christus Adae et toti posteritati sufficienter meruit gratiam et apertionem regni; defectus, quod non omnes salvat, non est ex inefficacia meriti Christi, sed ex indispositione subjecti causae salutis non debite approximati.* Socin. 3. sent. dist. 20. concl. 2: *Christus suam actionem interiorem et passionem exteriorem condigne satisfecit pro tota natura humana.* concl. 3: *Meritum vero et satisfactio Christi non habet ultimatam efficientiam nisi in illis, qui eidem uniuntur per fidem et sacramenta.* Illi vero, qui Calvinum sequuntur, hoc modo distinctionem istam explicant: morti Christi non defuisse quidem valo-

rem expiandi omnium peccata, si ad hoc fuisset a Deo destinata; sed hoc consilium et hanc voluntatem Deo et Christo nunquam constitisse. Vide Bezam part. 2. resp. ad colloq. Mompelg. p. 217. Grynaeum disp. de vera et orthod. fide class. 1. thes. 12: *Si vim sanguinis respicias*, inquit Bucanus loco dicto, *ad redemtionem omnium sufficit; si vero propositum consiliumque Dei aeternum voluntatemque Mediatoris intuearis, pro solis electis est mortuus.* Vides a Scholasticis causam hujus [ut ita loquar] inefficaciae ad ipsos homines; ab illis vero ad decretum Dei referri; unde Beza in thes. theolog. de praedest. th. 13. dicit esse in hac distinctione ἀχυρολογίαν, part. 2. resp. ad colloq. p. 217. dicit esse meram tergiversationem, et Piscator disput. de praedest. thes. 109. expresse improbat hanc distinctionem, *pro reprobis nullo modo est mortuus Christus, sive sufficienter dicas, sive efficaciter.* In observ. 1. Tim. 2. ex v. 6. p. 26: *haec distinctio habet speciem eruditionis, sed revera inepta est, quia implicat contradictionem,* vide locum ipsum.

Argumenta pro particularitate meriti Christi. 1. Sanguis Christi pro multis effusus.

118. Videamus potiora argumenta, quibus contra nos pugnant reliquis levioris armaturae militibus ad alium locum rejectis. Christus dicit, *se animam dare pro ovibus suis*, Joh. 10, v. 15; *pro illis, quos Pater ipsi dederat, se ipsum sanctificare* Joh. 17, v. 19; *sanguis ejus pro multis effundi dicitur*, Matth. 26, v. 28. *Ergo Christus pro solis electis mortuus;* ita Bucanus. At 1. quae est vis consequentiae? Christus pro ovibus suis mortuus, ergo pro *solis* ovibus; Christus pro electis mortuus, ergo *tantum* pro electis. 2. Quin potius particularis illa includitur in sua universali, quod scilicet Christus pro omnibus mortuus: ideo etiam universalis illa non limitanda per particularem, sed particularis extendenda per suam universalem. 3. Vox *multi* saepius in Scriptura accipitur pro omnibus, Ps. 97, v. 1. Dan. 12, v. 2. Rom. 5, v. 19. etc. Non ergo valet collectio: Christus pro multis effudit suum sanguinem, ergo non pro omnibus. 4. Age vero ostendamus in illis dictis vocabulum *multorum* necessario intelligendum universaliter de tota hominum multitudine. Urgemus oppositionem apostoli Rom. 5, v. 19. Qui multi peccatores constituti sunt per Adami lapsum, illi
IV. 182. etiam multi per Christi justitiam constituti sunt justi, id est partum illis justitiae beneficium [non enim de applicatione agit apostolus]. Jam vero omnes homines per lapsum Adami constituti sunt peccatores, v. 12. et 18. Ergo etiam omnibus per Christum partum est justitiae beneficium. Conf. Esa. 53, v. 12. cum v. 6. Illorum multorum peccata Deus tulit, qui erraverant sicut oves. Conf. etiam Matth. 20, v. 28. Christus dedit animam suam λύτρον pro multis, cum 1. Tim. 2, v. 6: *Christus dedit se ipsum ἀντίλυτρον pro omnibus.* Sic Matth. 1, v. 21: *Salvabit Christus populum suum a peccatis eorum.* Ne vero existimes, quosdam absoluto decreto a Christi merito exclusos, dicitur Gen. 22, v. 18, quod in Christo *benedicendae omnes gentes,* et Luc. 2, v. 10, quod gaudium ex Christi nativitate futurum *omni populo.* 5. Observa ergo Scripturam propter duplicem meriti Christi respectum distincte de eo loqui, universale enim illud est, si in sese citra applicationis respectum consideretur; ipsa vero ejus applicatio et actualis perfruitio vitio hominum redditur particularis.

2. Fructus mortis Christi non pertinet ad omnes.

119. At inquiunt: *Si Christus vere pro omnibus mortuus, sequetur, ipsum effectum et fructum mortis ad omnes pertinere.* Respondemus: 1. ut eleemosyna accipiatur, non solum requiritur manus offerens, sed etiam oblata recipiens; ita quoque *tantum quisque de hisce bonis possidet, quantum vase fiduciae colligit*, ut pulchre loquitur Bernh. serm. 32. sup. Cant. col. 597. et serm. 3. in Annuntiat. col. 113. Non sufficit beneficia Christi morte parta offerri, sed etiam fide ea oportet accipi. 2. Hanc fidem Deus ordinarie in cordibus hominum per Spiritum sanctum mediante verbo et sacramentis accendit; qui pervicacium Judaeorum more verbum repellunt, sacramenta contemnunt, Spiritui sancto resistunt et sic consilium Dei de salute sua spernunt, illi propria culpa beneficiis mortis Christi privantur. 3. Ut vero fundamentum nostrae sententiae evidentissime appareat, consideramus locum apostoli 2. Cor. 5, v. 18: *Deus nos reconciliavit sibi per Christum;* et v. 19: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi ipsi.* En factam reconciliationem, scilicet respectu beneficii per Christi mortem parti, et tamen v. 18: *Deus dedit apostolis ministerium reconciliationis.* V. 20: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* En faciendam adhuc reconciliationem, scilicet respectu applicationis per fidem. 4. Propositum argumentum hypothesi nititur illa, quod mors Christi ad illos non pertineat, qui salutaris ejus fructus non sunt participes. Sed hoc non potest subsistere. Quaero enim, num Paulus, latro in cruce et alii, quamdiu infideles et impoenitentes fuerunt, exclusi fuerint ab eorum numero, pro quibus Christus mortuus? Si negatur, perit propositionis universalitas; si affirmatur, sequitur illos in conversione aut sine morte Christi justificatos, aut tum demum Christum pro illis esse mortuum. 5. Quomodo autem universalitas meriti Christi nihilominus consistat, licet quidam fructus illius non reddantur participes, id declarari poterit simili. Detineantur exempli gratia centum Christiani captivi ab imperatore Turcico; princeps aliquis Christianus pro omnium illorum redemtione certam pecuniae summam persolvat, si qui postea malint in illa captivitate diutius haerere, quam oblata et pretio parta libertate perfrui, sibi illud imputent. Neque hoc quicquam derogavit universalitati λύτρου pro omnibus captivis praestiti. Perinde se res habet cum hominibus, qui in regno Satanae et peccati captivi detinebantur, pro quibus omnibus Christus pretiosum suum sanguinem dedit ἀντίλυτρον; quod actu ex illa spirituali captivitate non omnes liberantur, universalitati λύτρου nihil derogat. Musculus id declarat exemplo liberationis in anno jubilaeo, ut superius vidimus; audivimus etiam

simile, quod profert August. ad art. sibi falso impositos artic. 1: *Poculum immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra et virtute divina, habet quidem in se, ut omnibus prosit, sed si non bibitur, non proficit.*

IV. 183. 3. Christus non orat pro mundo.

120. Pergunt argumentari: *Pro quibus Christus non orat, pro illis etiam non satisfecit. Atqui non orat pro reprobis.* Joh. 17, v. 9: *Non rogo pro mundo. Ergo etiam pro illis non satisfecit.* Hoc argumento omnes utuntur. Respondemus: 1. Majorem ita limitamus: Pro quibus Christus simpliciter et absolute non orat, ad illos non spectat Christi satisfactio; jam vero de reprobis prius dici nequit, quia Esa. 53, v. 12. pro transgressoribus oravit; qualis sit haec oratio, explicatur Luc. 23, v. 34: *Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciant.* Utique ergo pro illis rogavit Christus, a quibus in mortem crucis fuit traditus, inter quos fuit Caiphas, Pilatus et alii reprobi. 2. Distinguendum igitur inter precationem generalem et specialem. Specialiter Christus in hoc capite pro electis orat, quos tanquam a Patre sibi in peculium datos peculiariter aeterno Patri vicissim commendat, interim sequitur, quod nullo modo pro convertendis et pro ipsis reprobis oret. Lyranus: *Dicit Christus, se non rogare pro mundo, quia efficacia suae orationis tantummodo se extendit ad electos. Quamvis enim sit efficax pro omnibus, tamen mali ponunt sibi impedimentum, ne sint participes ejus.* Erasmus in paraphrasi: *Pro mundo* nunc *non rogo, qui malis cupiditatibus excaecatus pertinaciter reclamat doctrinae meae sibi ipsi salutem gratis oblatam invidens.* 3. Quid, quod hoc ipso capite Christus orat, ut *mundus cognoscat et credat, quod Pater coelestis hunc suum Filium miserit*, v. 21. et 23. Ubi quidem vocabulum *mundi*, pro electis accipiendum esse, Augustinus tract. 110. in Johann. voluit, sed obstat contextus. Dicit enim Christus, se pro omnibus orare, qui per verbum apostolorum erant credituri, ut omnes sint unum atque ut hac ratione mundus credat et cognoscat, quod Christus sit a Patre missus, id est quod sit verus Messias. Finge, per mundum hoc loco intelligi solos et electos, statues in verbis Christi ἀδολεσχίαν. Calvinus super v. 21: *quidam mundum exponunt electos, qui tunc adhuc erant dispersi; sed quia toto hoc capite mundi nomen pro reprobis accipitur, diversa sententia mihi magis probatur. Accedit, quod continuo post mundum, cujus nunc meminit, ab omnibus suis separat.* Haec Calvinus. Quemadmodum igitur Petrus 1. epist. 2, v. 12. admonet conversos, *ut conversationem inter gentes habeant bonam, ut in eo, quod detrectent de ipsis tanquam malefactoribus ex bonis operibus eos considerantes, glorificent Deum;* ita quoque Christus hoc loco orat, ut credentes sint unum, ut hac ratione multi ad Christianismum invitentur. Sicut Christus *est lux illuminans omnem venientem in hunc mundum*, Joh. 1, v. 9, scilicet quantum in ipso est; ita etiam orat et serio vult, ut totus mundus illuminetur et credat. 4. Sic David interdum peculiariter orat pro salute ecclesiae, interim tamen alibi pro ipsis persecutoribus orat. Sic in precibus publicis primum specialiter oratur pro salute et incolumitate ecclesiae, postea in genere, ut Deus omnium hominum misereatur. 5. Pertinet huc, quod Christus jubet Matth. 5, v. 44, ut oremus pro illis, qui nos persequuntur et devovent, ex quibus tamen pauci convertuntur. Si isti absoluto decreto a beneficiis mortis Christi exclusi essent, quomodo pro illorum conversione orari posset? Calvinus hoc loco: *In precibus nostris complectimur totum genus humanum; precationis autem, quae hic refertur, fuit alia quaedam peculiaris ratio, quae in exemplum trahi non debet* etc. 6. Sed nec improbamus D. Lutheri explicationem, qui in gloss. margin. interpretatur haec verba Christi: *non rogo, ut mundi et incredulorum actionibus delecteris;* perinde ut Moyses Num. 16, v. 15. orat: *Non acceptes sacrificium Coreh;* et David Psal. 59, v. 6: *Non merearis omnibus operantibus iniquitatem.* 7. Quod ut melius percipiatur, notandum, Christum non solum fuisse sacerdotem, sed et prophetam. Respectu officii sacerdotalis Christus tanquam summus pontifex N. T. pro omnibus deprecatus est, cum corpus suum in ara crucis, tanquam victimam pro totius mundi peccatis, Patri coelesti offerret; sicut typum Levit. 16. propositum explicat epistola ad Hebraeos c. 5. Respectu vero officii prophetici Christus impoenitentibus et reluctantibus peccatoribus clave ligante peccata retineri voluit. IV. 184.

4 Christus non est missus, nisi ad oves perditas Israëlis.

121. Addemus explicationem etiam istius argumenti, quo quidam utuntur: Ad quos solos pertinet Christus, ad eos solos etiam pertinet ipsius mors et passio. Atqui ad solos electos pertinet Christus, Matth. 15, v. 24: *Non sum missus, nisi ad oves perditas Israëlis.* Ergo. Respondemus: 1. Si hoc dictum Christi accipiatur de missione ad officium sacerdotale sive satisfactionem praestandam, consequetur ad solos Israëlitas eam pertinere et nullum omnino ex omnibus gentibus esse electum, quod absurdum est. Neque enim responderi potest, per Israëlitas intelligi spirituales Israëlitas, qui sunt *filii promissionis* Rom. 9, v. 8., et qui sunt *ex fide* Israëlis Rom. 4, v. 15., quia Cananaea illa femina fuit ex numero spiritualium Israëlitarum, siquidem magna erat ipsius fides Matth. 25, v. 28, et tamen Christus dicebat se non esse ad eam missum. Finge de iis, qui fide, non qui natione sunt Israëlitae, Christum esse locutum, sequetur Christum derogare feminae, quod ad ipsam re vera pertinebat. 2. Sic ergo habendum: Christum non loqui de officio redemtionis, sed de suo ministerio, erat enim *minister circumcisionis*, id est Judaeorum, Roman. 15, v. 8. Christus ut summus sacerdos omnibus erat missus, sed ut propheta ac doctor ecclesiae peculiariter erat Judaeis missus, quibus doctrinam suam tot prodigiis ac miraculis propter veritatem divinarum promissionum voluit manifestare, utpote quibus *primum oportebat regnum DEI praedicari*, Actor. 13, v. 46. 3. Augustinus tract. 31. in Johan.: *Secundum speciem corporis, quam viderunt Judaei et*

contemserunt, non apud nos fuit Christus, quia et hoc de illo dictum erat, sicut apostolus dicit, dico enim, Christum fuisse ministrum circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patribus factas; ad illos debuit venire, a quorum patribus et quorum patribus est promissus, ideo et ipse sic ait: Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israël. Sed quid dicit apostolus in sequenti? Gentes autem super misericordia glorificare Deum; quid et ipse Dominus? Habeo alias oves, quas non sunt ex hoc ovili. Qui dixerat, non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israël, quomodo habet alias, ad quod non est missus? Nisi quia significavit per praesentiam corporalem non se missum exhibere nisi solis Judaeis, qui viderunt et occiderunt, et multi tamen inde et antea et postea crediderunt etc. Idem serm. 74. de temp.: *Dicit Christus, non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israël, ut illis praescientiam sui corporis exhiberet, non ut oves quas habebat in gentibus, contemneret et praeteriret; ad gentes enim ipse non venit, sed discipulos misit.* Ita quoque Lyranus, quin et ipse Calvinus hoc loco: *Reddit causam* [inquit] *apostolis, cur Cananaeam non exaudiat, quia velit se totum Judaeis impendere, quibus solis destinatus erat divinae gratiae minister. Ergo a vocatione et mandato Patris arguit, nihil esse extraneis auxilii praestandum, non quod perpetuo inclusa fuit Christi virtus intra tam angustos limites, sed quia sic ferebat temporis ratio, ut initium faciens a Judaeis se tunc illis peculiariter addiceret* etc. Haec Calvin.

5. Universalis meriti nullus usus. 122. Sunt, qui sic argumentantur: *Cujus nullus est usus, non credendum est, a Deo fuisse factum. Atqui nullus universalis meriti usus, siquidem quidam reproborum jam tum erant in inferno, pro quibus frustra Christus fuisset passus. Ergo non credendum est, meritum Christi esse universale.* Respondemus: 1. an non pari ratione concludere possem, Christum pro Abrahamo, Isaaco et reliquis V. T. fidelibus ad vitae aeternae consortium receptis non fuisse passum, cum id ipsum jam obtinuerint, quod ex Christi passione ad ipsos redire statuitur? 2. Quin potius dicimus ex Apoc. 13, v. 8. *agnum Dei occi-*
IV. 185. *sum esse ab origine mundi*, nimirum ratione decreti divini, ratione promissionis, ratione typorum in sacrificiis et ratione efficaciae, ac proinde fructus passionis Christi non restringendus est ad momentum illud temporis, quo peracta, sed fructus ejus extendit se ad praeteritum et futurum tempus, unde veteres dicunt: *Christi passio profuit, antequam fuit;* 3. recte ergo dicimus, Christum esse passum ac mortuum etiam pro illis, qui, cum pateretur, in inferno erant, non quasi ex inferno eos sua passione Christus liberaverit, sed quia in vivis adhuc existentes promissiones de Messia debuerint amplecti et sic fructum passionis Christi percipere, perinde ut patriarchae, prophetae ac reliqui pii in V. T. fide in Christum sunt salvati. 4. Quod Christus Joh. 3, v. 18. dicit, incredulos ideo judicari, *quia non credunt in nomen unigeniti filii Dei*, id intelligendum est non solum de incredulis, qui in N. T. post praestitam Christi satisfactionem vivunt, sed etiam de incredulis, qui in V. T. ante peractum redemtionis nostrae per Christi passionem mysterium vixerunt, illi itidem ideo et inde sunt damnati, quia non crediderunt in nomen Filii Dei, utique ergo pro illis passus est Christus, alias propter beneficiorum Christi contemtum judicari non potuissent.

123. Denique profertur a quibusdam etiam tale argumentum: *Si Christus pro omnibus esset mortuus, beneficia Christi morte parta omnibus debebant in verbo offerri. Jam vero non omnibus ubique gentibus et populis actu praedicatur verbum, nec offeruntur omnibus beneficia Christi morte parta. Ergo etiam Christus pro omnibus non est mortuus.* Sed quid ad hoc respondendum sit, patebit ex sequentibus, in quibus universalitas vocationis comprobabitur. Nos enim invertimus argumentum. Quia Christus vocat ad se omnes, quia jubet in nomine suo poenitentiam et remissionem peccatorum omnibus praedicare, quia jubet evangelium annuntiari omni creaturae, ideo etiam Christus pro omnibus mortuus est, et beneficia illa, quae in evangelio hominibus offeruntur, omnibus est promeritus. 6. Beneficia Christi non offeruntur omnibus.

CAPUT VII.

DE UNIVERSALITATE VOCATIONIS.

124. Et sic firmatum dedimus tertium illud fulcrum, videlicet universalitatem meriti a Christo praestiti, quod opponimus absolutae reprobationis decreto; sequitur quartum, videlicet universalitas vocationis. Cum enim beneficia per obedientiam et satisfactionem Christi parta omnes tangant, ideo etiam per verbum omnibus offeruntur. Atque haec Dei vocatio est seria, sed vitio hominum, non autem ex absoluto aliquo decreto redditur inefficax. Quarto. Universalitas vocationis.

125. Praecipit Salvator apostolis, ut euntes in mundum universum *praedicent evangelium omni creaturae* Marc. 16, v. 15. Ubi in voce κτίσεως latet emphasis, quasi dicat Christus, quodcunque ex creaturis evangelium potest audire, illi praedicationem istius debetis offerre. Ita enim emphasis ista explicatur, Matth. 29, v. 19: *Euntes docete omnes gentes.* Luc. 24, v. 47: *Sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis et in nomine ejus praedicari poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes.* Sic ergo, ut docet Gregorius hom. in evang.: *Homo per excellentiam dicitur creatura.* Collige ex hoc mandato Salvatoris nostri, quod velit, ut apostoli omnibus hominibus praedicent atque offerant evangelium, in evangelio beneficia passionis et mortis suae, in beneficiis mortis et passionis suae gratiam 1. Praedicate evangelium omni creaturae, Marc. 16.

Dei, in gratia Dei vitam aeternam. Haec enim omnia arctissime sunt connexa: quicunque per fidem haec receperit, salvus erit, Marc. 16, v. 16.

2. Venite ad me omnes.

126. Exclamat Salvator et invitat omnes: Matth. 11, v. 28: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis.* Observa, quod in verbis anteceden-
IV. 186. tibus Christum Patrem suum coelestem celebret propter salutarem sui cognitionem hominibus revelatam. *Nemo novit Patrem*, inquit, *nisi Filius et cui voluerit Filius revelare.* Ne quis eo abeat suis cogitationibus, quasi certis quibusdam absolute electis ista Filii revelatio parata sit, ideo exclamat Christus: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis.* Jam vero omnes omnino pondere peccatorum pressi et onerati sunt, vult ergo Christus, ut hanc miseriam suam agnoscant et animae requiem apud se quaerant. Non est, quod excipiant, Christum velle saltem eos ad se venire, qui veniunt; praeterquam enim quod haec sit petitio principii, contradicit insuper verbis Christi Matth. 23, v. 36, ubi Christus testatur, se etiam eos velle congregare, qui venire nolunt. Neve quis disputet, esse hanc saltem voluntatem signi, non beneplaciti, ideo veris et seriis lacrymis hanc Judaeorum contumaciam Christus deplorat, ut bene expendit Chrysostomus super Matth. 11.

3. Deus vult omnes ubique resipiscere. Act. 17.

127. Exclamat Paulus, *Deum annuntiare verbum suum per apostolos, ut omnes homines ubique resipiscant*, Actor. 17, v. 30. Ubi vides terminum indefinitum duabus universalibus particulis extendi, *πᾶσι πανταχοῦ*. Conjunge v. 31, qui continet hujus pronuntiati *αἰτιολογίαν*, et sic collige: Illis Deus annuntiavit verbum, ut poenitentiam agant, quos judicaturus est in extremo die. Jam vero non solum electi, sed omnes homines judicabuntur in extremo die, teste Scriptura. Idem ergo hoc loco dicit Paulus, quod Petr. 2. epist. 3, v. 9: *Non tardat Dominus promissum* [scilicet de adventu ad judicium extremum v. 2], *sed patienter agit propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.* Conjunge etiam v. 32, ex quo patet, quod, cum quidam Atheniensium concionem Pauli audivissent, ipsum deriserint, et collige, quod etiam contemtoribus et irrisoribus Deus eo fine annuntiet verbum, ut resipiscant et salventur.

4. Docentes omnem hominem, Col. 1.

128. Testatur apostolus verbis disertis de ista vocationis universalitate Col. 1, v. 28: *Annuntiamus Christum, corripientes omnem hominem, et docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo.* Conjunge locum Psal. 19, v. 5: *In omnem terram exivit sonus eorum et in extremum orbis eloquia eorum*, quod Rom. 10, v. 18. ad praedicationem apostolicam applicatur. Si conjungas locum Rom. 15, v. 18, ubi apostolus: *Non audeo loqui aliquid eorum, quae per me non effecit Christus in obedientiam gentium verbo et factis;* poterit ex his tale argumentum exstrui: Quicquid apostoli in suo ministerio egerunt, id Dei voluntate egerunt; at voluerunt omnes homines ad salutem instruere, omnes perfectos reddere. Ergo haec etiam Dei voluntas.

5. Praxis Christi, prophetarum et apostolorum.

129. Denique ex concionibus prophetarum, Christi et apostolorum patet, quod verbum *vocationis* offeratur etiam illis, qui nolunt venire, Esa. 65, v. 2: *Tota die expandi manus meas ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas; populus, qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper.* Prov. 1, v. 24: *vocavi, et renuistis.* Judaeis praedicabatur verbum, qui tamen illud blasphemabant (Act. 13, v. 46.), et Spiritui s. resistebant (Act. 7, v. 51.); multi qui vocem Dei audiunt, obdurant sua corda, Heb. 4, v. 7. etc.

6. Exceptio adversariorum.

130. Excipiunt, *Deum quibusdam hoc fine verbum proponere, ut magis indurentur, non autem ut convertantur*, Piscator de praedest. th. 85: *Justitia Christi morte parta solis electis animo communicandi offertur.* Respondemus: 1. Justo judicio Dei, contumaciam et pervicacem verbi contemtum puniente, accidit, ut verbum, quod per se est verbum vitae, ex accidente quibusdam fiat *odor mortis in mortem*, 2. Cor. 2, v. 15. Non autem dicendum, quod absoluto aliquo decreto ad hanc contumaciam et damnationem sint praedestinati. 2. Hac enim ratione tribueretur Deo hypocrisis, qui scilicet eos vocet, quos tamen venire nolit. 3. Neque possunt haec duo conciliari, quod Deus in verbo testetur, etiam impios et impoenitentes haeredes vitae aeternae fieri posse, si agant IV. 187.
poenitentiam ac convertantur, et quosdam absoluto decreto aeternae damnationi esse adjudicatos. 4. Si ad reprobos promissiones illae nihil attinent, etiam contemtus earum non oberit negligentibus; at Deus punit illos propter talem contemtum, utique juste; utique ergo ad illos promissiones spectabant easque fide sibi applicare debebant. 5. Ne restet ulla dubitatio, ex Scriptura ostendemus, quo fine Deus etiam ipsis impoenitentibus et pereuntibus offerat verbum. Esa. 65, v. 2: *Expandi manus meas ad populum incredulum.* Voluit ergo Dominus etiam incredulum istum populum ad se venire et variis beneficiis eum invitavit; ita enim istam manuum expansionem quidam explicant. Potest etiam illa manuum expansio conferri cum illo dicto Christi Matth. 23, v. 36: *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti.* Prov. 1, v. 12: *Vocavi, et non respondistis, locutus sum, et non audivistis, et faciebatis malum in oculis meis, et quae nolui, elegistis.* Collige: Increduli respuendo vocationem faciunt ea, quae Deus non vult. Ergo Deus serio eos vocat. Rom. 2, v. 4. *μακροθυμία* Dei etiam illos invitat ad poenitentiam, qui thesaurizant sibi iram. 6. Denique si docetur, Deum paucis saltem eo fine proponere promissiones, ut ex illis fide apprehensis salventur, reliquos ipsum nolle converti et salvos fieri, incerta est omnis consolatio; semper enim dubitare cogor, an et ipse sim in istorum peccatorum numero; quod probe expendi velim.

Dicta veterum de universalitate vocationis. 131. De hac universali omnium hominum vocatione egregie tractat Ambrosius libris duobus de vocatione omnium gentium [quos Prospero Aquitanico quidam tribuunt] lib. 1. de vocat. gent. c. 2: *Quamvis Scriptura pronuntiet, Israëliticum populum Deum sibi in peculium selegisse, secundum ipsam tamen credimus et piissime confitemur, quod nunquam universitati hominum divinae providentiae cura defuerit, quae licet exceptum sibi populum specialibus ad pietatem direxerit institutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis suae dona subtraxit, ut propheticas voces et praecepta legalia convincerentur in elementorum obsequiis ac testimoniis accepisse, unde et inexcusabiles facti sunt, quia Deos sibi dona Dei fecerunt, et quae creata erant ad utendum, venerati sunt ad colendum.* lib. 2. c. 1. *Numquid hac praeceptione* [Matth. 28: *Euntes docete omnes gentes.* Marc. 16: *praedicate evangelium universae creaturae] ullarum nationum ullorumve hominum facta discretio est? neminem merito excepit, neminem separavit genere, neminem conditione distinxit. Ad omnes prorsus homines missum est evangelium crucis Christi* etc. Et postea: *Sed ne in praeteritis quidem seculis haec eadem gratia, quae post Domini nostri Jesu Christi resurrectionem ubique diffusa est, defuit mundo. Quamvis enim speciali cura atque indulgentia DEI populum Israëliticum constet electum omnesque aliae nationes vias suas ingredi, hoc est, secundum propriam permissae vivere sint voluntatem, non ita se tamen aeterna creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se atque metuendum nullis significationibus admoneret. Coelum quippe et terra ac mare omnisque creatura, quae videri atque intelligi potest, ad hanc praecipue disposita est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot specierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum et dilectionem sui imbueretur auctoris implente omnia Spiritu DEI, in quo vivimus, movemur et sumus: quoniam etsi longe est a peccaturibus salus, praesentia tamen salutis ipsius ac virtute nihil est vacuum* etc. *Sicut ista gratiae largitas, quae in omnes gentes novissime effluxit, non evacuat eam, quae super unum Israëlem sub lege roravit, nec praesentes divitiae fidem praeteritae abrogant parcitati: ita nec de illa cura Dei,*
IV. 188. *quae patriarcharum filiis proprie praesidebat, conjiciendum est, gubernacula divinae misericordiae caeteris hominibus fuisse subtracta, qui quidem in comparatione electorum videntur abjecti, sed nunquam sunt manifestis occultisque beneficiis abdicati* etc. *Quod est hoc testimonium, quod semper Domino deservivit* [Actor. 14.] *et nunquam de ejus bonitate ac potestate conticuit, nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulchritudo et inenarrabilium beneficiorum ejus dives et ordinata largitio, per quae humanis cordibus quaedam aeternae legis tabulae praebebantur, ut in paginis elementorum ac voluminibus temporum communis et publica divinae institutionis doctrina legeretur?* c. 2: *Etsi parcior antea atque occultior Dei gratia fuit, nullis tamen se negavit virtute una, quantitate diversa, consilio incommutabili, opere multiformi.* c. 5: *Non ab hoc excusabiles sunt nationes, quae alienatae a conversione Israël spem non habentes et sine Deo in hoc mundo sub ignorantiae tenebris perierunt, quia haec abundantia gratiae, quae nunc universum mundum rigat, pari antea largitate non fluxit: adhibita enim semper est universis hominibus quaedam supernae mensura doctrinae, quae etsi parcioris occultiorisque gratiae fuit, sufficit tamen, sicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium.* c. 6: *Redemtio Christi universo sese intulit mundo et omnibus hominibus indifferenter innotuit, quandoquidem in die quinquagesimo ab illo Paschate, in quo se hostia Deo verus agnus obtulerat, cum apostoli et qui cum eis unanimes erant, repleti Spiritu s. linguis omnium gentium loquerentur, conveniebat excitata miraculo diversi generis hominum multitudo, ut evangelium Christi in eis, qui aderant, totus mundus audiret. Confluxerant enim Parthi et Medi* etc., *quorum testificatio etiam in eas gentes, quae remotiores sunt, longe lateque procurreret. Ad cujus rei effectum credimus providentia Dei Romani regni latitudinem praeparatam, ut nationes vocandae ad unitatem corporis Christi, prius jure unius consociarentur impietatis, quamvis gratia Christiana non contenta sit eosdem limites habere, quos Roma* etc. *c. 10: Nulla pars mundi ab evangelio vacat Christi, et licet illa generalis vocatio non quiescat, tamen etiam ista specialis jam universis est et facta communis.* Haec omnia Ambrosius.

132. Quae sit adversariorum de vocatione doctrina, facile potest colligi ex istis, quae de absoluta electione et reprobatione docent. Quos enim statuunt absoluto decreto rejectos, illos vel plane non vocari vel non efficaciter a DEO vocari dicunt. Ita Beza part. 2. responsionis ad Coll. pag. 96. 149. 222. Martyr super 9. Rom. Zanch. in Miscell. Sic Bucanus de praedestin. p. 403. inter media exsecutionis decreti Dei de reprobandis hominibus refert *desertionem sive nullam aut inefficacem per verbum DEI vocationem aut ad vocationem internam responsionem.* Antithesis adversariorum de particularitate vocationis.

133. Argumentis utuntur et multis et spinosis, quorum explicatio operosior requiritur, ne veritas istis labefactetur, et incauti turbentur. Urgent potissimum istud, quod *nec singulis hominibus nec omni aevo* praedicatum sit evangelium; neque etiam nunc toto orbe praedicetur, atque in eo demonstrando Jezlerus integros quatuor libros consumit. Argumenta: 1. Evangelium non praedicatur actu omnibus.

134. Respondemus breviter: Vocatio est universalis, quo ad Deum mandantem, ut annuntietur evangelium omni creaturae, et volentem illud audiri ab omnibus ac fide oblata in eo beneficia recipi: Fit autem particularis, culpa hominum: primo, quatenus quidam Epicuraeo contemtu id aspernantur: quidam etiam persequuntur et violenter a se repellunt. Deinde, quatenus culpa majorum amissum verbum non semper in omnibus ubique gentibus et

locis actu praedicatur. Sed haec brevitas uberiori explicatione indiget.

135. Dico ergo, Deum tribus vicibus omnibus omnino hominibus verbum suum revelasse, scilicet in Adamo, post diluvium: et tempore apostolorum.
IV. 189. 1. Creatus erat Adamus ad imaginem Dei, cujus pars erat plena lux divinae agnitionis in mente fulgens: acceperat autem haec dona pro se et posteris: postquam igitur libera voluntate se a Deo avertit, itidem ea et sibi et posteris amisit. Si vel maxime Deus nulli hominum postea sui cognitionem donasset, illud tamen non esset asscribendum absoluto cuidam decreto, sed potius fuisset justissima poena lapsus Adamici. 2. Sed Deus ex immensa sua misericordia post lapsum ex arcana majestatis suae sede prodiens concionem evangelicam de semine mulieris contrituro caput serpentis Adamo proposuit, atque ita lucem cognitionis suae ei vicissim accendit, hanc verbi lucem et revelatae doctrinae puritatem omnes Adae posteri, admoniti gravissimo parentis lapsu, debuissent custodire: sed statim Cain ex invidia, superbia et odio committit fratricidium, ac desperabundus exit *a facie Domini* Genes. 4, v. 16, hoc est, a consortio ecclesiae, in qua sola amica Dei facies conspicitur. Caini idololatriam et impietatem secuti sunt non solum posteri ipsius, sed etiam multi ex patriarcharum liberis, cum tamen utrisque aditus ad ecclesiam non esset simpliciter et absolute praeclusus. Consideretur hic tristissima querella, Genes. 6, v. 2: *Viderunt filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae, et acceperunt sibi uxores, quas volebant:* id est, nulla habita pietatis vel religionis ratione, caeco libidinis impetu ducti, filii patriarcharum uxores sibi ducebant, quas volebant: non patiebantur a parentibus sibi uxores dari etc., ut annotat Hugo v. 5: *et vidit Jehovah, quod multa esset malitia hominum in terra: quod omne figmentum cogitationum cordis eorum tantum malum omni die,* v. 6: *Et poenituit Jehovam, quod fecisset homines in terra, et doluit in corde suo.* 3. Cum ergo Deus ob enormem hanc hominum malitiam generali cataclysmo et bruta et homines a superficie terrae delere constituisset, tamen recordatus misericordiae suae ex immensa φιλανθρωπίᾳ Noachum ejusque uxorem et filios et uxores filiorum conservat: illis ex arca egressis verbi lucem vicissim accendit et cum illis pactum suum statuit Gen. 9, v. 9. Debuissent ergo posteri Nohae, ex quibus omnes gentes propagatae (Gen. 10, v. 32), verbi coelestis puritatem illibatam atque inviolatam conservare et ad omnes posteros propagare: sed Gen. 11. ex inani gloriae cupiditate, Epicuraea securitate, sui admiratione, et ut Thargum Hierosolymitanum statuit, idololatriae instituendae studio, turrim Babylonicam exstruere satagunt. Justo igitur Dei judicio *linguae ipsorum confunduntur* v. 7: *et super faciem universae terrae disperguntur* v. 8. 4. Post dispersionem illam et Nimrodi sincerum DEI cultum contaminantis apostasian Abrahamus immediate a DEO vocatus est, ut inter Cananaeos verbum Dei doceret et ecclesiae doctrinam longe lateque propagaret: Erat enim propheta Gen. 20, v. 7; cum illo et semine ejus statuit DEUS pactum suum foedere sempiterno Genes. 17, v. 7, ita ut apud posteros Abrahae fuerit postea sedes verae ecclesiae. *Annuntiavit Deus verbum suum Jacob, statuta et judicia sua Israëli* Ps. 147, v. 19. *Non fecit taliter omni nationi et judicia sua non manifestavit eis* v. 20. 5. Neque tamen hoc ita accipiendum est, quasi reliquae gentes omnes absolute ab omni cognitione DEI exclusae: sed psaltes loquitur comparate, quod scilicet *taliter* DEUS sua judicia non manifestaverit gentibus, quae sua et majorum culpa verbum amiserant. Quin potius variis profectionibus patriarcharum, captivitate Babylonica Judaeorum et aliis mediis, Deus multos gentiles ad ecclesiae consortium vocavit. 6. Populum Israëliticum in illustri loco constituit et ecclesiam ex eo collectam miraculis et prodigiis in conspectu gentium illustrem ac celebrem reddidit, ita ut omnes populos constaret, esse in Palaestina populum quendam, cujus cultus stupendis prodigiis et miraculis sit divinitus confirmatus. Hunc enim finem prodigiorum ostendit Deus ipse Pharaoni Exod. 9, v. 16: *In hoc ipsum te excitavi, ut ostenderem potentiam meam, et annuntiaretur nomen meum in universa terra.* 7. Hujus loci est consideratio illa, quod gens Israëlitica fere in ipso meditullio οἰκουμένης fuerit posita, ita ut odor doctrinae in omnes mundi partes facile potuerit inde propagari. Rabbi Abenezra super 1. Eccles. Hierosolymam *in orbis medio* sitam esse dicit. 8. Atque hinc tot et tam praeclarae confessiones eorum, qui ex gentilitate ad Deum IV. 190.
Hebraeorum se converterunt; veluti Jethronis, Rahab, Gibeonitarum, Job et amicorum ejus, Ruth, Hirami regis Tyrii, reginae Austri, Nahamani Syri, Ninivitarum, Nabuchodonosoris, Darii, Cyri, Ahasveri, Persarum a Mardochaeo conversorum etc. atque aliorum, quos partim nominat, partim reticet Scriptura. Et singulariter observari velim locum Act. 2, v. 5, ubi dicitur, quod in Jerusalem fuerint habitantes viri εὐλαβεῖς ex omni natione, quae sub coelo est. 9. Quin etiam liber naturae gentibus debuit esse magister divinae cognitionis. Dicit quidem apostolus Actor. 14, v. 16: *quod Deus in praeteritis generationibus dimiserit omnes gentes ingredi vias suas,* sed statim addit v. 17, *quod non reliquerit se* ἀμάρτυρον *sine testimonio*, quia τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ φανερὸν ἐν αὐτοῖς. Roman. 1, v. 19: *invisibilia enim ejus a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles,* v. 20. nimirum gentes illae extra ecclesiam partim constanti fama de Deo Israëlitarum, partim celebritate signorum, partim exemplo eorum, qui ex gentilitate se ad ecclesiam Israëliticam converterant, partim conscientiae suae stimulis, partim notitia Dei aliquali in visibilibus mundi proposita incitari debuerant ad verum Dei cultum Israëlitis usitatum inquirendum. Ex inspectione creaturarum potuissent eo assurgere, ut statuerent esse Deum, debuissent igitur ulterius procedere et hujus

veri Dei verbum ecclesiae in illustri loco positae revelatum inquirere: siquidem ipsa naturalis notitia de sui imperfectione testatur. Hinc dicit apostolus Act. 17, v. 26, *quod definierit DEUS statuta tempora et terminos habitationis.* v. 27. ζητεῖν τὸν θεόν, *ut quaerant Deum*, *si forte attrectent eum et inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum* etc., sed ethnici hoc non fecerunt: quin potius *veritatem Dei*, id est, veram notitiam ex inspectione creaturarum hauriendam, *commutarunt mendacio* Rom. 1, v. 25. Ideoque sunt ἀναπολόγητοι v. 20. Quod si non potuissent ullo modo ad veram et plenam Dei cognitionem aspirare, haberent adhuc quod praetenderent, quod rectius percipies, si consideres verba Christi: Joh. 15, v. 22: *Si non venissem et locutus fuissem eis* [Judaeis], *peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* 10. Observari et hoc velim, quod libri V. T. in Graecam linguam etiam ante Christi tempora conversi fuerint: illa autem lingua omnibus gentibus erat notissima, teste Cicerone pro Arch.: *Graeca in omnibus fere gentibus leguntur.* Itemque illud, quod in quatuor potentissimis et universo orbi notissimis monarchiis sedem habuerit ecclesia. 11. Tempora illa ignorantiae ὑπεριδὼν ὁ θεὸς tandem per apostolos annuntiavit omnibus hominibus, ut poenitentiam agerent (Actor. 17, v. 30.), et per diversitatem linguarum cunctarum gentes in unitatem fidei congregavit, adeo ut juxta infallibile Pauli testimonium (Coloss. 1, v. 6.) *Verbum veritatis evangelicae fuerit in universo mundo et fructificaverit.* Si ergo posteri eorum, quibus tempore apostolorum evangelium praedicatum, progressu temporis verbi veritatem amiserunt, et suam et majorum accusent negligentiam; non autem allatrent Dei vocantis misericordiam: Est enim sanctum verbi depositum quidam thesaurus inaestimabilis: si qui illum repudiant et amittunt, etiam posteros suos eo privant, quo nomine graviorem Deo reddent olim rationem, et repetetur ab ipsorum manibus sanguis universae posteritatis, quod merito terrorem incutere deberet securis verbi contemtoribus. 12. Si vero exempla infantum in gentilitate natorum afferuntur, ad ea et similia respondemus: judicia Dei possunt esse occulta, nunquam vero injusta: multa in hoc doctrinae capite sunt nobis impervestigabilia in lumine naturae et gratiae, quae aliquando plenius cognoscemus in lumine gloriae. Illi ipsi infantes non tantum originalem secum trahunt a parentibus, sed etiam a talibus nascuntur majoribus, quibus Deus pretiosum verbi sui depositum ad posteros etiam propagandum, et sacramenta, per quae etiam liberi ipsorum in gratiam Dei recipi possent, commendaverat. Parentum ergo peccata, non Dei justitiam et misericordiam accusent. Neque immerito requirimus, ut certos nos reddant tales disputa-
IV. 191. tores, illos infantes, si pervenissent ad adultam aetatem, oblata Dei beneficia fuisse recepturos ac non potius peccata parentum imitaturos. Dominus ad Ezechielem et in genere ad omnes ministros ecclesiae dicit Ezech. 3, v. 17. et 18: *Speculatorem te dedi domui Israël, audies igitur de ore meo verbum et admonebis eos meo nomine. Cum dixero impio: moriendo morieris, et non admonueris eum nec locutus fueris, ut caveat impius et recedat a via sua impia, ut vivat: ipse impius in impietate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Vides perire quosdam propter negligentiam pastorum, a quorum manibus sanguinem pereuntium requiret Dominus: et tamen ibi nemo vel Dei justitiam accusat vel ad absolutum aliquod decretum confugit. Ita quoque, si aliquibus auferatur verbum propter negligentiam majorum, a quorum manibus sanguinem pereuntium DEUS requiret, ibi itidem nemo vel Dei justitiam accuset vel ad absolutum aliquod decretum confugiat. Vicissim, sicut Deus quosdam rapit, *ne malitia ipsorum mentem mutet, neve fictio*, hoc est, hypocritica religio *ipsorum animam decipiat* Sap. 4, v. 11. Ita quoque quosdam in infantili aetate Deus abripit, ne imo scelerum barathro immersi infernales poenas sibi accumulent: quia *servus, qui cognovit voluntatem Domini et non praeparavit se nec fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.* Luc. 12, v. 47: *Qui autem non cognovit et facit digna plagis, vapulabit paucis* v. 48.

136. Sed demus, in his et similibus exemplis specialibus non posse nos exacte causas divinorum consiliorum exquirere vel proponere; non tamen ad absolutum aliquod reprobationis decretum erit confugiendum, sed adhaereamus firmiter pronuntiatis istis universalibus: *Deus vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire: Vivo ego, nolo mortem morientis, dicit Dominus* etc. Bene Fulbertus episcopus: *Mens humana, cum divinae dispositionis causas per se discutere non semper valeat; ad hoc, quod comprehendere non valet, reverenter erroneae disputationis oculos claudat.*

137. Placet verbis Ambrosii propositum argumentum uberius declarare; is distinguit inter gratiam Dei vocantis universalem et inter mirandam ac proinde non scrutandam vocationis dispensationem. Sic enim scribit lib. 1. de vocat. gent. c. 1: *Multimoda quaestione variatae per tot populos ac tempora gratiae Dei causa quaeritur: Cur scilicet anterioribus seculis dimissae sint omnes gentes ingredi vias suas, uno tantum Israële, qui divinitus erudiretur, excepto et ad cognitionem veritatis electo, cujus infidelitas locum tandem salvandis gentibus fecerit, tanquam si unus populus in fide sui generis permaneret, misericordia Dei caeteris nationibus se praestare non posset? cur denique ipsi, quorum diminutio salus gentibus est, ab occaecatione sua non liberentur prius, quam ingrediatur gentium plenitudo, quasi illuminari cum omnibus nequeant, qui omnes facta omnium gentium adoptione salvandi sunt? aut quomodo omnis Israël sublata obcaecatione salvandus sit, cujus innumerabilis multitudo in sua infidelitate deficiens ad tempora salvandis*

promissa non pervenit? vel quomodo ipsarum gentium [quarum prius non est facta vocatio] dicatur nunc ingredi plenitudo, cum tanta promiscuae aetatis et conditionis hominum milia in omnibus nationibus, quae sub coelo sunt, sine Christi justificatione moriantur? sed horum mysteriorum judiciorumque causas pius et ductus magister [Paulus apostolus] *maluit ad altitudinem divitiarum sapientiae Dei scientiaeque suspendere, quam justissimae veritatis et misericordissimae bonitatis subtractum ab humana cogitatione secretum temeraria inquisitione discutere* etc. Et postea: *Latet discretionis ista ratio, sed non latet ipsa discretio: non intelligimus judicantem, sed videmus operantem: quid calumniamur justitiae occultae, qui gratias debemus misericordiae manifestae? laudemus et veneremur quod agitur, quia tutum est nescire, quod tegitur.* lib. 2. de vocat. gent. c. 1: *Quamvis ad omnium hominum vocationem evangelium dirigeretur, omnesque Dominus salvos fieri et ad agnitionem veritatis vellet venire, non tamen sibi dispensationum suarum*
IV. 192. *abstulerat potestatem, ut aliter, quam occulto justoque judicio statuerat, consilii sui ordo decurreret* etc. Et postea: *rei gestae docemur exemplo, quod inter generalia promissa vel opera vel praecepta quaedam Deus a communibus excepta causis, occultiore novit ordinare ratione.* c. 3: *Altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, cujus inscrutabilia sunt judicia et investigabiles viae, sic semper misericordiam suam et justitiam temperavit, ut secretissima aeterni consilii voluntate noluerit in omnibus super omnes generationes aut super omnes homines aequales donorum suorum esse mensuras: siquidem aliter eos juverit, quos ad cognoscendum se coeli et terrae testimoniis conveniebat; aliter illos, quibus non solum elementorum famulatu, sed etiam doctrina legis, prophetarum oraculis, miraculorum signis et angelorum cooperationibus consulebat: et multo magis aliter misericordiam suam universis hominibus declaraverit, quando Filius Dei factus est Filius hominis, ut inveniretur ab eis, qui eum non quaerebant* etc., *et quanta in praeteritis seculis super caeteras nationes, tanta nunc esset in Judaea gente parcitas gratiae, cum tamen introducta plenitudine gentium etiam ipsorum ariditati earundem rigationum inundatio spondeatur. Quae itaque causae sint harum sub eadem gratia dissimilitudinum, quaeve rationes, sanctis Scripturis non loquentibus quis loquetur? et cum in eis scientia apostoli Pauli a disputatione transeat ad stuporem, cujus erit tanta praesumtio, qui haec disserendo existimet aperienda potius quam silentio miranda?*

138. De infantibus in gentilitate natis ita disserit 2. de vocat. gent. c. 8: *Cum consideramus inter paganos, inter Judaeos, inter haereticos, inter ipsos catholicos Christianos, quam multiplex pereat numerus parvulorum, quos quantum ad proprias pertinet voluntates, neque bonum aliquid neque malum constat egisse, discimus, super eos illam manere sententiam, quam humanum genus praevaricatione primi parentis excepit, cujus sententiae rigor dum etiam circa tales non resolvitur, quam magnum illud peccatum fuerit, demonstratur; nemo autem putaretur non innocens nasci, nisi etiam talibus esset noxium non renasci* etc. Et postea: *Non irreligiose arbitror credi neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiae partem, quae semper universis est impensa nationibus, qua utique si bene uterentur eorum parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur, omnium namque exordia parvulorum, totaque illa principia nec dum rationalis infantiae sub arbitrio jacent voluntatis alienae, nec ullo modo eis nisi per alios consuli potest, et consequens est, illos ad eorum pertinere consortium, quorum vel recto vel pravo reguntur affectu* etc. *Sicut autem circa majores praeter illam generalem gratiam parcius atque occultius omnium hominum corda pulsantem excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio specialis exoritur, ita etiam circa innumeros parvulos eadem manifestatur electio, quae quidem nec illis, qui renati non sunt, in parentibus defuit, sed iis, qui renati sunt, prae parentibus adfuit, ita ut multis saepe, quos suorum impietas deseruit, alienorum cura servierit, et ad regenerationem venerint per extraneos, quae eis non erat providenda per proximos; in quo opere gratiae quis nisi arrogantissimus atque vanissimus de divina justitia conqueratur, quod non omnibus parvulis similis providentia consulat, omniaque pericula, quae mortuorum generationem prohibere possent, aut potestate submoveat aut miseratione praeveniat? quod utique erga omnes ita fieret, si ita fieri omnino deberet* etc. Hactenus Ambrosius, quibus similia exstant in Epist. 147. August. ad Optatum.

139. Hactenus egimus de primo argumento, quod universalitati vocationis opponitur. Alterum argumentum non minori cum difficultate conjunctum. **2. Verbum non fructificat apud omnes.** *Etiamsi* [inquiunt] *multis offeratur verbum, tamen apud paucos fructificat. Causa non potest quaeri in hominibus; quippe quorum omnium vires in spiritualibus nullae sunt: Ultimum ergo in absoluto decreto refugium.* Respondemus: Simplicitas Christiana inhaeret parabolis Christi Matth. 16. Luc. 8. IV. 193.
propositis: ibi enim ostenditur, causam, quare semen verbi non fructificet apud omnes, residere in ipsis hominibus: quorum quidam verbum audiunt, sed quia non συνίουσι, diabolus ex ipsorum cordibus id vicissim rapit: quidam audiunt verbum, sed quia sunt πρόσκαιροι et non habent radicem, inde fit, ut facta tribulatione et persecutione propter verbum, statim scandalizentur. Quidam audiunt verbum, sed solicitudines hujus vitae et fallacia divitiarum in cordibus illorum illud suffocant. Quidam denique in corde bono et sincero audientes verbum retinent et fructum afferunt in patientia. Impediunt verbi fructum petra, spina, volucres. Has causas proponit Christus; has causas amplectitur vere Christianus. Sic Luc. 14, v. 18. in parabola patrisfamilias parantis coenam magnam ostenditur: causam, quare non

omnes beneficiis in verbo oblatis fruantur, residere in ipsis vocatis, non autem in vocante patrefamilias. *2. At*, inquis, *cor hominis per naturam non est bonum et fincerum, ut possit verbi semen cum fructu recipere: nec potest homo per naturales liberi arbitrii vires vocanti Deo obsequi: redit ergo difficultas, quod scilicet ad decretum Dei absolutum sit confugiendum.* Respondemus: Deus vult homines convertere per verbum, *fides* enim *ex auditu: auditus autem per verbum* Rom. 10, v. 17. Cum illa verbi praedicatione conjuncta est Spiritus s. operatio. Jam vero quidem plane recusant audire, blasphemant et *verbum a se repellunt* Act. 13, v. 45. 46. Quidam audiunt, sed tantum obiter et *sine discendi cupiditate*, *animo* interim *alibi peregrinante*, Actor. 20, v. 9. Quidam audiunt *studio novitatis*, Luc. 23, v. 8. Quidam audiunt *spe utilitatis externae*, Actor. 24, v. 26. Quidam audiunt *cum praejudicio, praeoccupati suis erroribus*, Actor. 17, v. 21. Quidam audiunt *animo calumniandi*, Psal. 41, v. 7. Quidam *nolunt admittere verbum veritatis*, *vel ex ambitione, ne videantur errasse*, Joh. 5, v. 44. vel *ex cupiditate gloriae mundanae*, Joh. 12, v. 43. vel *in gratiam parentum, amicorum ac magnatum*, Luc. 9, v. 61. vel *ne priventur commodis temporalibus*, Joh. 6, v. 26. vel *ex metu persecutionum*, Joh. 9, v. 22. Quidam *odio personae ministri cum fastidio audiunt*, Ezech. 33, v. 32. Quidam *spinis voluptatum haerent impliciti*, Luc. 8, v. 14. Quidam *divitiis suis corde sunt affixi*, Matth. 19, v. 22. Quidam *perpetua peccandi consuetudine se ipsos indurant*, Rom. 2, v. 4. Quidam *humili et abjecta specie docentium offensi conciones eorum aspernantur*, Matth. 13, v. 54. et 55. Quidam, *cum audiunt vitia sua taxari, exasperantur, et a verbo ipso abalienantur*, Esa. 30, v. 10. Quidam *sapientiam et eloquentiam mundanam in concionatoribus quaerunt, quam cum non inveniunt, resiliunt*, 1. Cor. 1, v. 22. Quidam *ab agnita veritate rursus deficiunt*, 2. Petr. 2, v. 21. Tot ac pluribus aliis modis nobis incognitis fructificatio verbi impeditur, ac Spiritui s. in opus conversionis intento resistitur, Actor. 7, v. 51: cujus rei causam Scriptura semper in homines, nuspiam autem ad absolutum aliquod decretum refert. *3. At*, inquis, *omnes omnino in aequali haerent corruptione, quod ergo quibusdam dantur vires ad conversionem, ejus causa in sola Dei misericordia residet; vicissim ergo, quod quibusdam vires ad conversionem denegantur, ejus rei non potest esse causa alia, quam aliquod Dei denegantis decretum.* Respondemus: Distinguendum inter auditum verbi externum et internum sive interiorem cordis assensum: posterior non est in viribus hominis nondum renati; nihilominus tamen prior. Distinguenda est malitia et caecitas originalis ab actuali pertinacia et excaecatione. Prior in omnibus non renatis aequalis est; posterior non item. Posse hominem etiam non renatum verbum Dei audire, discere, meditari, aliis id contumaciter negligentibus et Deo resistentibus, multis in locis testatur Scriptura: Marc. 16, v. 20: *Herodes ἡδέως audiebat Johannem.* Actor. 13, v. 7: *Sergius proconsul ἐπεζήτησεν audire verbum Dei.* Actor. 17, v. 20: *Athenienses volunt audire Paulum.* Act. 8, v. 6: *προσεῖχον populi illis, quae dicebantur a Philippo.* Actor. 24, v. 24: *Felix praeses Judaeae accersit Paulum, qui cum coram eo de justitia et castitate et futuro judicio concionaretur, tremefactus inde legitur.* Luc. 13, v. 24: *Pereuntibus adscribitur desiderium salutis, multi quaerent intrare, et non poterunt.* Amos. 8, IV. 194. v. 11: *Impiis Israëlitis fames et sitis verbum audiendi tribuitur. 4. At*, inquis, *illi ipsi tamen non sunt omnes conversi*, et Paulus Rom. 9, v. 16: *Hominis cursui et voluntati vim conversionis adimit.* Respondemus Herodes incestuosae conjugis amore captus noluit locum dare admonitionibus Johannis. Athenienses audientes resurrectionem mortuorum quidam irridebant eum, quidam dicebant, audiemus te de hoc iterum. Felix praeses stimulum illum ex concione apostoli ortum protinus retundit et ex insano pecuniae amore tantum audit. Illi, qui quaerunt salutis intrare portam, et non possunt, ac qui fame et siti audiendi verbum tenentur, nec tamen convertuntur, sunt illi, qui nolebant ingredi cum possent, ac deinde cum vident sibi pereundum esse, clamant ad Dominum, saltem ut effugiant paratas poenas, non quod veram agant poenitentiam: Proverb. 1, v. 24: *Propterea quod vocavi, et renuistis: expandi manum meam, et non fuit qui attenderet*, etc. v. 26: *etiam ego in contritione vestra ridebo*, etc. v. 28: *tum invocabunt me, et non exaudiam*, etc. Roman. 9, v. 16. Disputat apostolus contra justitiarios, qui in operum suorum cursu ac meritis justitiam quaerunt et sic *zelum habent, sed non secundum scientiam*, Roman. 10, v. 2: manet nihilominus firmum fixum, quod auditus verbi sit salutare conversionis medium. Joh. 6, v. 45: *Qui audit et discit a Patre*, ille a Spiritu s. ducitur, *ut veniat ad Christum.* Roman. 10, v. 14: *Quomodo credent in eum, de quo non audierunt?* Atque hinc est, quod de scriba, qui *νουνεχῶς* responderat, Christus dicit, *eum non longe abesse a regno Dei*, Marc. 12, v. 34. nimirum propior erat regno Dei, quam Pharisaei, qui invicem gloriam accipiebant et ob id non poterant credere. Joh. 5, v. 44, et quorum pessima hypocrisis describitur Matth. 23. per totum. Hinc etiam intelligitur illud, quare δυσκόλως divites intrent regnum coelorum, et quidem difficilius, quam pauperes: nimirum, quia solicitudo seculi hujus et fallacia divitiarum apud ipsos suffocant verbum et efficiunt illud ἄκαρπον. Res eo redit, Scripturam in assignanda causa, quare non plures convertantur et salventur, nos semper deducere ad contemtum mediorum; ut hac ratione culpa sit in homine, non in Deo; ac maneat illud Hoseae 13, v. 8: *Ex te perditio tua, Israël: ex me autem tantum salus tua.* Joh. 3, v. 19: *Hoc est judicium, quod lux venit in mundum, et mundus dilexit magis tenebras, quam lucem.* Matth. 23, v. 37: *Quoties volui congregare filios tuos, et noluistis.* Matth. 22, v. 3: *Noluerunt*

venire. 5. *At*, inquis, *ne modiculum quidem in viribus liberi arbitrii reliquum est, ut possit homo non renatus vel gratiam oblatam acceptare vel ad eam sese applicare.* Respondemus: Verissime hoc dicitur; Spiritus s. gratia requiritur in hominis non renati conversione, ut oblatam gratiam agnoscat atque acceptet. Sunt autem gratiae et misericordiae divinae quasi quidam gradus. Deus misericordia sua omnes convertendos praevenit ac offert illis verbum; per illud verbum vult esse in ipsorum cordibus efficax in conversione; quod itidem est divinae gratiae. Nisi enim Deo placuisset, per evangelii praedicationem et verbi auditum homines convertere, nemo converteretur, etiamsi vel per mille annos quis audiret: cum illa verbi praedicatione conjuncta est operatio Spiritus sancti, quod itidem est divinae gratiae: *Ille vult in cordibus operari novos motus, saltem ne resistamus* Actor. 7, v. 51. *Ille vult oculos aperire, ut convertantur a tenebris ad lucem; saltem ne claudamus oculos affectata caecitate* Matth. 13, v. 15. *Nec plus diligamus tenebras, quam lucem* Joh. 3, v. 19. *Ille stat ad ostium et pulsat* Apoc. 3, v. 20. *Vult aperire clausas cordis nostri aures; saltem ne insuper obduremus aures nostras* Actor. 7, v. 57. *Ille vult operari in nobis omnia salutaria et corpus nostrum efficere templum suum* 1. Cor. 6, v. 19. *Saltem ne violemus illud Dei templum* 1. Cor. 3, v. 17, *nec opus ejus destruamus* Rom. 14, v. 20. *Deus cogitat super nos cogitationes pacis* Jerem. 29, v. 11, *ea, quae ad pacem nostram spectant, vult curare* Luc. 19, v. 42. *Saltem ne spernamus consilium Dei adversus nosmet ipsos* Luc. 7, v. 30. *Ille vult auferre cor lapideum et dare cor carneum* Ezech. 36, v. 26. *Saltem ne*
IV. 195. *obduremus corda nostra* Hebr. 4, v. 7. Vides ipsum incipere non esse nostrum, nec ortum bonae voluntatis nostro conatu emergere; sed sanctam cogitationem, bonum propositum et desiderium boni esse gratiam, donum et operationem Spiritus sancti, qua de re multis in locis egregie disputat Augustinus contra Pelagianos. Non autem uno statim momento absolvitur totum opus conversionis, nec per violentos raptus agit Spiritus sanctus; sed ut loquitur D. Chemnicius p. 1. Locorum p. 490. habet conversio sua initia ac suos progressus, neque in puncto quodam mathematico ostendi potest, ubi voluntas liberata agere incipiat. Quando gratia praeveniens, praeparans et operans, id est, prima initia fidei et conversionis homini dantur, statim incipit lucta carnis et Spiritus, et manifestum est, illam luctam non fieri sine motu nostrae voluntatis: aliter enim Spiritus sanctus luctabatur in Moyse adhuc vivo adversus carnem ejus, quam sicut *Michaël luctatur cum diabolo circa mortuum corpus Moysis:* epist. Jud. v. 9. Item in principio desiderium est obscurius, assensio languidior, obedientia tenuior, et illa dona oportet crescere. Crescunt autem in nobis non sicut truncus violento impulsu provehitur, vel sicut lilia non laborantia, non curantia crescunt; sed conando, luctando, quaerendo, petendo, pulsando, et hoc non ex nobis, donum DEI est: Dominus tradens servis talenta dicit: *Negotiemini, donec veniam* Matth. 25, v. 26, non dicit, in terram abscondite. Paulus valde illustri utitur vocabulo 2. Tim. 1, v. 6: *Hortor te ἀναζωπυρεῖν donum Dei, quod in te est.* Marc. 9, v. 24. exclamat Pater daemoniaci: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam.* Quae omnia pulchre illustrari possunt exemplo Augustini, qui ordinem conversionis suae describit lib. 5. Confess. c. 13. et 14. lib. 7. c. 21. lib. 8. c. 2. Atque haec omnia ex ipsis fidei et invocationis exercitiis rectius, quam ex otiosis speculationibus disci possunt. Postquam deinde voluntas captiva per Spiritum sanctum liberata est, requiritur adhuc cooperans Spiritus sancti gratia, *Deus enim non solum dat velle, sed et perficere* Phil. 2, v. 13. Recte autem ex Augustino dicitur *haec cooperans gratia, qua renatus homo per vires a Spiritu sancto donatas simul operatur; ita aguntur renati a Spiritu sancto, ut ipsi etiam agant,* Augustinus de corr. et grat. c. 2. et quia *tantum primitias Spiritus sancti accipimus* Rom. 8, v. 23. *et manet lucta carnis et Spiritus* Gal. 5, v. 17, ideo cavendum, *ne quis desit gratiae Dei* Hebr. 12, v. 15. *ne abjiciamus Dei gratiam* Col. 3, v. 21. *ne in vacuum gratiam Dei acceperimus* 2. Cor. 6, v. 1. *ne Spiritum sanctum contristemus* Ephes. 4, v. 30. *aut exasperamus* Esa. 63, v. 10, *sed ut quotidie crescat renovatio* 2. Cor. 4, v. 16, *ut pergamus, donec apprehendamus* 1. Cor. 9, v. 24, *ut permaneamus in Dei bonitate* Rom. 11, v. 22, *ut initium substantiae usque ad finem firmiter retineamus,* Hebr. 3, v. 14. Qui conversionis gratia excidunt, sua culpa excidunt: DEUS fidelis est, et dona ejus sunt ἀμεταμέλητα. Manet proinde, quod conversio et perseverantia sint a solius Spiritus sancti gratia; nihilominus, quod quidam vel non convertuntur vel conversionis gratia vicissim excidunt, ejus rei causa est in hominum contumacia, per quam opus Spiritus sancti impediunt atque turbant.

140. Hac de re iterum sic disserit Ambros. lib. 2. de vocat. gent. c. 3: *Praeparatur* [ut scriptum est] *voluntas a Domino, sed hujus praeparationis non unus semper proventus, nec una semper mensura est, quoniam multis modis et innumerabilibus differentiis gratiae opera et dona variantur, inque ipsis singulis generibus munerum dissimiles sunt gradus et impares quantitates: sicut enim in germinibus herbarum atque lignorum, quae terra producit, nec una species nec unum in omnibus genus est, sed singula quaeque in sui seminis forma et in suae stirpis qualitate gignuntur, plenum autem decorem, non statim ut eduntur, accipiunt, sed certis et ordinatis provehuntur augmentis, donec ad perfectam sui habitus quantitatem per succedentia sibi incrementa perveniant, ita et semina charismatum plantaeque virtutum non in omni agro humani cordis totum hoc pariter, quod sunt futurae, nascuntur, nec fa-* IV. 196.
cile reperietur in exordio maturitas, et in inchoatione perfectio. Exserit quidem frequenter potens et misericors Deus mirabiles istos suae operationis

effectus et quibusdam mentibus non exspectata profectuum mora totum quicquid collaturus est, invehit etc., *multo tamen crebrior multoque numerosior pars illa hominum est, cui particulatim quicquid superna largitas donat, accrescit, ut conferendorum munerum causae de his, quae sunt collata, pariantur.* c. 9: *Gratia Dei in omnibus justificationibus principaliter praeeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando et fidei affectionibus imbuendo, sed etiam voluntas hominis subjungitur ei atque conjungitur, quae ad hoc praedictis est excitata praesidiis, ut divino in se cooperetur operi et incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate, si deficit, de gratiae opitulatione, si proficit, quae opitulatio per innumeros modos sive occultos sive manifestos omnibus adhibetur, et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitiae, quod autem a multis suscipitur, et gratiae est divinae et voluntatis humanae* [explicatio paulo post sequitur], *sive igitur initia, sive profectus fidelium sive usque in finem perseverantium cogitemus genus, nulla species cujusque virtutis occurrit, quae vel sine dono divinae gratiae vel sine consensu nostrae voluntatis habeatur: Ipsa enim gratia hoc omni genere medendi atque auxiliandi agit, ut in eo, quem vocat, primam sibi receptricem et famulam donorum suorum praeparet voluntatem; nam virtus nolentium nulla est nec potest asseri, vel fidem vel spem vel caritatem eis inesse, quorum ab his bonus consensus alienus est* etc.

n viam tium abie- t. th. 10. 141. Spero duo potiora argumenta adversariorum ita esse exposita, adjungamus et alia. Argumentum III. Matth. 10, v. 5. praecipit Christus apostolis: *In viam gentium ne abieritis, et in civitatem Samaritanorum ne ingrediamini. Videntur itaque ex absoluto decreto illis denegata salutis media.* Respondemus: 1. Argumentum procedit a particulari. Etsi enim ad gentes eo tempore non pervenit praedicatio apostolica, tamen pervenit ad eos fama de ecclesia, potuerunt etiam uti manuductione naturalis notitiae etc. 2. Non ex absoluto aliquo decreto verbum illis fuit denegatum, sed propter contemtum majorum, qui illud repudiarunt. Sic Amos 8, v. 11: *Propter fastidium auditorum famem verbi immittit Deus*, 2. Thess. 2, v. 10. 11: *Efficaciam erroris ideo mittit, quia caritatem veritatis homines non recipiunt, ut salvi fiant.* 3. Etsi solenni illa et generali vocatione sub V. T. caruerunt gentes: non tamen absolute eas ab ecclesiae consortio exclusas fuisse, innumera proselytorum exempla ostendunt. 4. Quia etiam Christus ipse ad promiscuam multitudinem nullo habito Judaeorum ac Samaritanorum discrimine conciones habuit. Illustre exemplum habetur Joh. 4. 5. Adde, quod *Christus ipse abierit in fines Tyri et Sidonis* (Marc. 7, v. 24), atque *inde exiens pervenerit in medios fines Decapoleos*, v. 31. 6. Voluit autem Deus politiam Judaicam a reliquis gentibus esse distinctam, ut esset certa sedes, in qua nasceretur Messias, non autem quasi reliquae gentes omnes absoluto decreto ab ecclesia et salutis consortio rejectae. Christus demum in suo adventu *medium parietem materiae sustulit* Ephes. 2, v. 14, *ut non amplius sit Judaeus aut Graecus*, Gal. 3, v. 28. 7. Mandatum igitur hoc fuisse certi tantum temporis, ostendit praeceptum Christi Matth. 28, v. 19. et Marc. 16, v. 15: *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae.* 8. Causam vero, quare *primum verbum Dei loqui oportebat Judaeis* Act. 13, v. 46, assignat apostolus Rom. 15, v. 8, ubi dicit, *Christum fuisse ministrum circumcisionis ad implendas promissiones patribus factas.* Conveniens erat, ut ejus adventus primo denuntiaretur Judaeis, quibus principaliter erat promissus Calvin. sup. h. l.: *Apostolorum vocem finibus Judaeae includit, quam postea ubique ad ultimos orbis fines personare jubet, ratio est, quia missus a Patre erat circumcisionis minister* IV. 197. *ad implendas promissiones, quae olim patribus datae fuerant, atque speciale foedus pepigerat Deus cum genere Abrahae*, etc. Haec Calvin.

142. Argumentum IV. Matth. 11, v. 21: *Si in Tyro et Sidone talia miracula fuissent facta, poenitentiam egissent in cinere et sacco. Ergo media poenitentiae illis ex absoluto decreto denegata?* Respondemus: 1. Non procedit collectio: Tyriis et Sidoniis specialis illa et extraordinaria ratio per miracula homines convertendi fuit denegata. Ergo absoluto decreto exclusi sunt a salute. 2. Siquidem habuerunt beneficia reliquis gentibus communia, de quibus supra. 3. Tam ergo facile potuissent inquirere in verum veri Dei cultum, quam facile olim Hiram rex Tyri, amicus Davidis et Salomonis. *Sidonii et Tyrii attulerunt ligna in multitudine ad Davidem*, 1. Paral. 22, v. 4, *itemque ad secundi templi structuram*, Esdr. 3, v. 7; poterant ergo secum reportare veram Dei cognitionem. 4. Notum est, eos populo Israëlitico conterminos fuisse; potuit igitur fama doctrinae et miraculorum ad eos facilius pervenire. 5. Christus ipse secessit in partes Tyri et Sidonis, ibidemque *filiam mulieris Cananaeae a daemonio liberavit.* Marc. 3, v. 7. dicitur, quod eorum, *qui circa Tyrum et Sidonem, multitudo magna ad Christum venerit.* Marc. 7, v. 31: *Christus exiens de finibus Tyri venit per Sidonem ad mare. 6. Paulus venit Tyrum ibique mansit per dies septem*, Act. 31, v. 3. et 4. *Venit etiam Sidonem*, Act. 27, v. 3. Quomodo ergo media salutis illis omnino denegata, et quidem absoluto decreto?

4. Si in Tyro et Sidone talia facta poenitentiam egissent, Matth. 11.

143. Argumentum V. Luc. 8, v. 10: *Vobis, dicit Christus ad discipulos, datum est nosse mysteria regni Dei, reliquis autem per parabolas, ut videntes non videant et audientes non intelligant. Ergo etiamsi quidam verbum audiant, tamen illis cognitio salutaris mysteriorum denegatur, idque ex absoluto decreto.* Respondemus: Matth. 13. et Marc. 4. plenior exstat hujus dicti expositio, quam ex circumstan-

5. Vobis datum est nosse mysteria regni, Luc. 8.

tiis textus eruemus. Prima circumstantia temporis est. Christus hactenus diserte poenitentiam docuerat, regnum Dei aperte praedicaverat, veram beatitudinis consequendae rationem perspicue tradiderat, genuinum legis sensum et Christianae vitae officia sine ambiguitate exposuerat, contumacibus et ingratis poenas graviter denuntiaverat, adversariorum calumnias solide et evidenter confutaverat, omnes laborantes amice ad se invitaverat; jam demum secundo ministerii anno incipit loqui per parabolas, quod primum est. Deinde etiam hoc observare convenit, quod eodem die [ut ex Matthaeo colligitur], parabolas has Christus proposuerit, quo cum scribis et Pharisaeis de miraculo ejecti daemonii acrem concertationem habuerat, quo item ob turbas convenientes et ipsius doctrinam atque medelam expetentes ne cibum quidem capere poterat. Cum ergo non solum Matth. 5. 6. 7. in monte, sed etiam per discipulos suos ablegatos (Matth. 10.) mysteria verbi omnibus aperte proposuerit, quin et ipse eodem die satis perspicue de regno Dei fuerit concionatus, inde colligimus, Christum per parabolas istas non simpliciter voluisse auditores ab intellectu verbi excludere, verum quia in verbo perspicue praedicato oblatam gratiam hactenus noluerunt quidam recipere, sed cum summa ingratitudine eam rejecerunt, quidam convitiis et blasphemiis eam prosecuti sunt, ideo ipsorum diligentiam praedicatione parabolarum excitare voluit, cum vero praefracte et perseveranter verbum contemnere et rejicere pergerent; ostendit illud ipsum verbum tanto gravioris damnationis causam iisdem futurum. Marc. 4, v. 2: *docebat eos in parabolis* multa. Hieronym. sup. 13. Matth.: *Notandum, quod non omnia sit eis locutus in parabolis, sed multa. Si enim omnia dixisset in parabolis, absque emolumento populi recessissent. Perspicua igitur miscet obscuris, ut per ea, quae intelligunt, provocentur ad eorum notitiam, quae non intelligunt.* Haec Hieronym. Quod v. 34. additur, *sine parabolis loquebatur eis nihil, seorsim autem discipulis suis dis-*
IV. 198. *serebat omnia*, id potissimum de concionibus Christi illo tempore habitis intelligendum, antea enim satis dilucide mysteria regni coelestis exposuerat, et quod primo solis discipulis explicabat, id postea per apostolos eadem perspicuitate omnibus fuit propositum. Hoc autem tempore voluit uti parabolis, ne oscitantibus auditoribus et verbi divini contemtoribus margaritas objiceret et mysteria regni coelestis frustra illis proponeret, qui nullo discendae veritatis studio tenebantur. 3. Marc. 4, v. 33. dicitur, *Christum per parabolas locutum esse ad turbas*, prout poterant audire, unde patet, finem parabolicarum concionum fuisse, non ut absconderentur a populo mysteria regni coelestis, sed ut dilucidius et simplicius pro ipsorum captu exponerentur, ex accidenti demum, videlicet propter contemtum conciones parabolicas praegressum, illud est secutum, *quod audientes non audierunt, et videntes non viderunt* etc. Sic Varinus: *παραβολὴ παράθεσίς ἐστιν ὁμοιωματικὴ ἐπὶ σαφηνείᾳ τῶν ὑποκειμένων.* Marlorat. sup. h. l. ex Erasm. *Dominus Jesus his atque aliis id genus multis parabolis rudi crassoque populo proponebat imaginem futuri successus evangelici, sermonem suum ad ipsorum captum attemperans.* 4. Recitata parabola exclamat Christus: *qui habet aures ad audiendum, audiat.* Luc. 8, 8. etc. *videte, quomodo audiatis,* Marc. 4, v. 24, quibus verbis voluit auditores invitare, excitare et hortari, ut explicationem parabolae a se peterent, sed discipuli et pauci quidam alii hoc faciunt, reliquis discedentibus et verba Christi contemnentibus. *Cum enim esset καταμόνας* [teste Marco c. 4, v. 10], *interogaverunt eum illi, qui circa ipsum una cum duodecim, de parabola ista.* [Vulgata versio minus recte reddidit; interrogaverunt eum hi, qui cum eo erant duodecim: unde factum est, quod ex h. l. colligere voluerunt, laicos a Scripturae lectione arcendos, quia ad solos apostolos dixerit Christus: vobis datum est nosse mysteria regni coelorum etc. inscite.] 5. Cum enim discipuli et cum illis quidam ex reliquis auditoribus Christum accederent et de vero paraboli sensu edoceri peterent, Christus illis respondit: *Vobis datum est nosse mysteria regni coelorum* Luc. 8, v. 10. Quo vero ordine erat datum? acceperant dona naturae et gratiae. Naturae donum erat, quod poterant audire et videre: gratiae donum erat, quod audirent verbum Dei et viderent miracula Christi. Haec Dei dona, quia reverenter accipiunt et de vero sensu verbi auditi sunt soliciti, ideo insuper ex gratia illis datur, ut etiam possint nosse mysteria regni coelorum. *Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit* Matth. 13, v. 12; *οἱ ἔχοντες* sunt illi, qui dona Dei reverenter accipiunt, grata mente agnoscunt, recte illis utuntur neque occasiones ullas, quibus in studio pietatis proficere possunt, negligunt, illis a Deo plus dabitur, augebit in illis Deus sua dona, ut et ipsi magis confirmentur, atque alios insuper Domino lucrifaciant, ac tandem et jam dona gloriae illis obtingant: eum enim esse horum verborum sensum, patet ex parabola talentorum, Matth. 25, v. 14. et seqq., cui eadem verba subjunguntur. v. 29. Atque ita exemplo horum *ἐρευνώντων καὶ ἐρωτώντων* confirmatur illud Christi Joh. 6, v. 45: *Omnis, qui audit a Patre meo et discit, venit ad me.* 6. De reliquis dicit, *illis non esse datum nosse mysteria regni coelorum*, Luc. 8, v. 10: *qui enim non habet, ei etiam illud, quod habet, auferri*, Matth. 13, v. 12. h. e. *id quod videtur habere* Luc. 8, v. 18. *Ideo se in parabolis ad illos loqui, quia videntes non vident et audientes non audiunt neque intelligunt*, Matth. 13, v. 13, et sic impletur in illis prophetia Esaiae: *auditu audietis, et non intelligetis* etc. v. 14, vides quare reliquis illud non fuerit datum, certe non ex absoluto aliquo decreto vel Dei odio, quia non minus illis dona naturae et gratiae erant concessa; datae erant illis ex dono naturae aures, quibus non minus audire poterant, quam reliqui, dati erant illis ex dono naturae oculi, quibus non minus videre poterant, quam reliqui: insuper datum illis erat ex dono gratiae audire idem verbum evangelii et videre

eadem miracula Christi, sed videntes non viderunt et audientes non audierunt, i. e. interprete Chrysostomo, *scientes et volentes obstinate oculos clauserunt et aures obturarunt:* patet hoc exemplo Phari-
IV. 199. saeorum, quibus et Johannes et Christus denuntiaverant ut agerent poenitentiam; Christus coram illis magna miracula ediderat; sed quamvis scirent, quod ipse *a Deo venerat doctor*, Joh. 3, v. 2, *tamen spreverunt consilium Dei adversus semet ipsos*, Luc. 7, v. 30. Dicebant: *Christum miracula sua facere per Beelzebub principem daemoniorum:* Matth. 12, v. 23. atque id contra propriae conscientiae testimonium. Unde Christus de peccato in Spiritum s. illis concionatur, v. 30, 31; *dilexerunt magis gloriam hominum quam Dei*, Joh. 5, v. 44. Ideo praedicit Christus justo Dei judicio illis auferendum quod habent, videlicet ipsam audiendi facultatem et reliqua dona hactenus a Deo ipsis concessa, siquidem per verbum illud praedicatum non convertantur, sed ad aggravandum peccatorum cumulum illud ipsis cedat. Quae de excaecatione et induratione in testimonio ex Esaia adducto dicuntur, ea quo respectu Deo tribuantur, alibi a nobis est expositum. Hanc explicationem ex ipsis circumstantiis textus deductam et analogiae fidei consentientem merito praeferimus illis, quae Calvin. sup. hunc loc. commentatur his verbis: *Obscure se turbae loqui Christus dicit, quia verae lucis particeps non est, neque tamen cum pronuntiat caecis obtendi velum, ut in suis tenebris permaneant, hujus rei culpam illis adscribit* [Nota: *culpam* etiam *excaecationis* negat haerere in ipsis improbis. Ergo in solo Deo erit? ἀσεβές], *sed gratiam apostolis factam inde magis commendat, quod non omnibus peraeque sit communis. Causam ergo non assignat extra arcanum Dei consilium, cujus tametsi nobis abscondita est ratio, illi tamen constat etc.* Haec Calvinus.

6. Apostoli prohibentur loqui in Asia et Bithynia, Act. 16. 144. Argum. VI. Act. 16, v. 6: *Paulus et Silas prohibentur a Spiritu s. loqui sermonem in Asia et Bithynia. Ergo istarum provinciarum populos converti et salvari absolute Deus noluit.* Resp.: 1. ex Act. 2, v. 9. constat, ante illud tempus *Asiaticos audivisse apostolos suis linguis praedicantes magnalia Dei:* non ergo potuit evangelium ipsis esse plane incognitum. Act. 6, v. 9: *Quidam ex Asia disputant cum Stephano.* Act. 19, v. 10: *Paulus per biennium commoratus Ephesi quotidie disputat in schola Tyranni, ita ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Judaei ac gentiles*, v. 11. *virtutes non quaslibet* [sed plane miraculosas] *faciebat Deus per manum Pauli*, ita, ut v. 26. *pene totam Asiam apostolus converterit. Corinthios salutat nomine ecclesiarum in Asia* 1. Cor. 16, v. 19. *Petrus scribit electis advenis dispersionis Asiae et Bithyniae* 1. Ep. 1, v. 1. *Johannes scribit septem ecclesiis, quae sunt in Asia.* Apoc. 1, v. 4. et 11. Recte ergo Ambr. 2. de vocat. gent. c. 1: *non negata illis populis Dei gratia, sed quantum apparuit retardata.* 2. Nullum igitur hic fingendum absolutum decretum, sed agnoscenda sapientissima divinae ordinationis dispositio, qua haud dubie majoris fructificationis Ergo in Macedonia prius Deus verbum suum voluit praedicari glossa ordinaria. Referuntur provinciae, a quibus apostoli vetantur, ut alii praedicent in eis, ut Johannes et Philippus in minori Asia evangelizarunt, Lucas in Bithynia. Glossa interlin. in Asia et Bithynia nondum erat apertum fidei ostium, nec populi illi tum erant salutem recepturi. Neque ex peculiari illa et solenni praedicatione verbi ad tempus denegata recte infertur omnia omnino conversionis media simpliciter ipsis fuisse denegata. 4. Neque recte concluditur: denegata illis verbi praedicatio. Ergo ex absoluto quodam reprobationis decreto denegata. Contrarium ostendimus suo loco.

145. Denique valde frequens est in hoc negotio id, quod comparate et secundum quid dictum est, accipere tanquam absolute et universaliter pronuntiatum. 7. Non fecit taliter omni nationi, Ps. 147. Sic quod Psal. 147, v. 20. dicitur, *Deum annuntiasse verbum suum Jacobo*, id est, posteris Jacobi, v. 21. *neque taliter fecisse omni nationi*, comparate intelligendum est. Quamvis enim non eo modo vocatae a Deo gentes, quo Israëlitae, neque eadem mensura Dei vocantis gratia ipsis sit oblata, tamen non absolute et simpliciter eas rejectas esse, tot proselytorum exempla testantur. Vide Ambrosium 1. de vocat. omnium gent. c. 2. Quod Christus dicit Johan. 17, v. 6. ad Patrem coelestem: *Mani-* IV. 200.
festavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo, non est accipiendum de praedicatione evangelii, quae omnibus facta est ipsius Christi mandato Matth. 28, v. 19. Marc. 16, v. 15, sed de vera ac viva notitia, de fide salvifica, quae solis renatis, et perseverante, quae solis electis competit, quam Deus per Spiritum s. in omnium eorum cordibus, quibus verbum exterius praedicatur, serio vult accendere, sed multi Spiritui s. resistunt, consilium Dei spernunt, et se ipsos judicant aeterna vita indignos. Sic quod apostolus pronuntiat 1. Cor. 1, v. 26: *Videte, fratres, vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles*, v. 27: *sed quae stulta sunt mundi, elegit Deus;* illud itidem non accipiendum est de vocatione illa generali, quatenus ex parte Dei voce verbi coelestis invitantur omnes homines ad poenitentiam et salutem, sed de vocatione illa speciali, quatenus ex parte hominum vocatio illa non rejicitur, sed per Spiritus s. efficaciam debitum obsequium ei interius praestatur, quo sensu etiam Rom. 8, v. 29. voçationis nomen usurpatur.

146. Atque haec sunt quatuor illa fulcra, quibus nitimur in oppugnando absoluto reprobationis decreto, quae ex Scripturae fundamentis firmanda et adversariorum insultibus vindicanda fuerunt. Stantibus illis fulcris corruit absolutum decretum: stante absoluto decreto corruunt illa fulcra. DEUS serio vult omnes salvos fieri: DEUS in Adamo omnes condidit ad suam imaginem, cujus pars est immortalitas: Christus sua obedientia et satisfactione omnibus pro-

meruit salutem; Spiritus s. in verbo omnibus offert salutis media; nemo ergo hominum absoluto aliquo decreto a salute aeterna est exclusus.

CAPUT VIII.

ELECTIONEM ESSE FACTAM INTUITU MERITI CHRISTI.

Quae causa sit, quod non omnes electi.

147. Progrediamur ulterius. Si nec electionis nec reprobationis causa in absoluta Dei voluntate quaerenda vel statuenda est, quaeritur, unde igitur pendeat electorum et reproborum discrimen? quae causa sit, quod quidam ab aeterno electi, quidam vero reprobati?

148. De reprobatione postea. Quaestioni de electione respondemus verbis apostoli Ephes. 1, v. 4: *Elegit nos Deus in Christo ante constitutionem mundi.* Eligi in Christo juxta phrasin Hebraicam est per et propter Christum fide apprehendendum eligi. Causa ergo electionis non est quaerenda in absoluto quodam Dei beneplacito, quo paucos quosdam elegerit, sed quia ab aeterno praevidit Deus, Adamum cum omnibus posteris sua defectione in aeternam mortem prolapsurum, ideo propter rigorem divinae justitiae necesse fuit intercedere Christum, qui Deum iratum placavit, et ex severo peccatorum vindice benignum Patrem effecit: hinc Christum dicimus esse causam electionis, vel quod idem est, dicimus DEUM intuitu satisfactionis a Christo praestandae et per fidem acceptandae decretum electionis fecisse; atque hoc vult apostolus, quando dicit, *nos electos esse in Christo.*

Eligi in Christo quid sit?

149. In hanc sententiam multa invenies apud Zanchium [de quo Hubertus Sturmius sub finem sui de praedestinatione tractatus ita judicat, quod ex omni memoria secundum D. Augustinum de hoc argumento verissime et planissime et solidissime disputaverit]; sic autem scribit ille 5. de nat. DEI c. 2. p. 626: *Electio supponit dilectionem. Diligimus autem post nos illos imprimis, quos pro nostris agnoscimus filiis: Sic etiam Deus post se et Filium suum Jesum Christum illos imprimis amavit ab aeterno, quos pro suis in Christo agnovit filiis, ita dilectio supponit praescientiam.* Et postea: *Beneplacitum divinae voluntatis radix est eorum omnium, quae de nostra salute illud consequuntur, nimirum*
IV. 201. *praescientia primum, qua pro suis nos ab aeterno agnovit filiis, dilectionis deinde, qua ut filios dilexit in dilecto Filio Jesu Christo.* Subsumo autem ex natura relatorum, quia DEUS neminem in Christo ad vitam aeternam diligit, nisi qui est in ipso per fidem, ideo intuitum fidei non posse ab hac dilectione excludi, qua de re postea: *tertio electionis, qua nos uti dilectos ex reliquorum hominum faece ad aeternam elegit vitam, quarto praedestinationis, qua praeparavit omnia beneficia, quibus ad finem, aeternam scilicet vitam nos deduceret; quinto vocationis, qua ad Christum efficaciter vocamur; sexto justificationis, qua propter Christum condonatis peccatis in gratiam recipimur et justi reputamur; denique glorificationis.* Id. p. 676: *Id, in quod seu per quod et cujus respectu nos sibi gratos reddidit Deus, est Christus coelesti Patri dilectus, et praeterea nihil. Atqui Deus gratos nos sibi reddidit, non solum cum justificavit, verum etiam, cum nos ad justificationem elegit: tunc enim agnovit nos pro suis et gratuito amore amplexus est. Ergo solus Christus ille est, in quo sicut justificamur, sic etiam electi sumus ad justificationem et salutem, hoc est, propter quem et cujus respectu electi sumus.* p. 646: *Apostolus docet, nos in Christo tanquam membra in capite et secundo genitos in primogenito fuisse electos. Patrem enim nos elegisse, non quatenus considerabat nos in nobis ipsis, sed quatenas secundum beneplacitum voluntatis suae nos in Christo agnoscebat pro filiis, eoque et ut filios amabat ante mundi constitutionem in Christo Filio illo dilecto, hinc enim secuta nostri electio.* Haec omnia Zanchius.

150. Sed Polan. de praedest. p. 45. excipit, *in Christo eligi non esse idem quod propter meritum Christi eligi.* Atqui fatetur hoc Zanchius, ut vidimus, et contextus ipse hoc ostendit: v. 5. *praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Christum.* Vide Chrysostomum, Primasium, Theophylactum, Haymonem super hunc locum. Aliter igitur excipit Piscator Herborn. in anal. p. 80: *Deum elegisse nos in Christo, id est, ut nos servaret per Christum. Nimirum hoc vult, quod Christus cum suo merito sit saltem medium, per quod suum electionis decretum in tempore Deus exsequatur, non autem intuitum meriti Christi ipsum electionis decretum ingredi.* Respondemus: Atqui disertis verbis de ipsa electione loquitur apostolus; describit ipsum electionis actum; eique Christum includit, postea demum agit de fine electionis. Distinguit manifeste benedictionem illam, qua in spiritualibus DEUS in tempore nobis benedicit, et actum electionis, quo DEUS ante constitutionem mundi nos elegit ad vitam aeternam, utrique actui includit Christum, tanquam causam. *Deus benedixit nobis in Christo omni benedictione spirituali, καθὼς sicut elegit nos in ipso.* Collige: In Christo benedicimur, id est, propter Christum, qui nobis hanc gratiam meruit. Ergo etiam in Christo electi sumus, id est, propter Christum. Conjunge v. 7. *in Christo habemus redemtionem*, atqui Christus est causa nostrae redemtionis, eodem modo in Christo nos DEUS elegit, ergo Christus est causa electionis. Denique illam in Christo electionem *ante jacta mundi fundamenta* factam esse dicit apostolus, quomodo id ad beneficium salvationis, quod in tempore fidelibus contingit, restringi potest? Adde quod paulo ante ipse Piscator fatetur meritum Christi esse causam προκαταρκτικὴν nostrae electionis.

Quomodo Deus in tempore homines salvat, eo modo ab aeterno eos salvare constituit.

151. **Sic igitur argumentamur.** Quomodo DEUS in tempore homines justificat et salvat, eo etiam modo ab aeterno eos justificare et salvare decrevit, jam vero teste tota Scriptura DEUS in tempore propter Christi meritum (scilicet fide apprehensum) homines justificat et salvat. Ergo etiam ab aeterno propter Christum (fide apprehendendum) eos justificare et salvare constituit, et per consequens propter Christum elegit, quia illud justificandi et salvandi decretum nihil aliud est quam electio. Major propositio est satis manifesta: quae enim in tempore DEUS agit, sunt manifestatio eorum, quae ab aeterno agere decrevit; quod et quomodo DEUS in tempore
IV. 202. agit, illud et non aliud; illo et non alio modo ab aeterno agere decrevit; sicut immutabilitas essentiae divinae non patitur, ut aliud DEUM ab aeterno decrevisse, aliud in tempore agere dicamus: ita quoque ob eandem causam dici nequit, DEUM alio modo agere ab aeterno decrevisse, alio deinde modo in tempore agere. Repete etiam ex loco apostolico: *Benedixit nos Deus in Christo, καθὼς elegit in ipso* Eph. 1, v. 3 et 4. *Haec est voluntas ejus, qui misit me, Patris,* dicit Christus Johan. 6, v. 40, *ut omnis, qui videt Filium et credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Haec etiam fuit DEI voluntas ab aeterno; non enim in tempore demum sic velle decrevit: ac proinde intuitus meriti Christi non potest excludi a decreto electionis, quippe quod nihil est aliud, quam aeternum divinae voluntatis de hominibus actu salvandis propositum; ideo etiam recte quis definiret evangelium, quod sit aeterni propositi DEI de hominibus propter Christum salvandis in apertum prolata annuntiatio, sic Paulus Rom. 16, v. 25. evangelium suum nominat praeconium Christi juxta revelationem mysterii aeternis temporibus taciti, manifestati autem nunc et per Scripturas propheticas in omnes gentes revelati Eph. 3, v. 8 et 9. Dicit sibi datam gratiam, ut inter gentes evangelizaret impervestigabiles divitias Christi et in lucem proferret omnibus, quae sit communio mysterii, quod erat absconditum à seculis in Deo.

Exceptiones Zanchii.

152. Huic argumento ita respondet Zanchius 5. de nat. Dei c. 2, p. 631: *Est quidem evangelii praedicatio patefactio aeternae praedestinationis ex parte, sed non in totum. Ex parte, quia patefacit hanc esse voluntatem Patris, ut omnis, qui credit in Filium, habeat vitam aeternam. Non in totum, quia non patefacit, neque quot neque quinam sint illi, quos vult in Christum credere et ita vitam aeternam habere.* Respondemus: Imo vero DEUS omnibus offert media fidei et salutis, vult ergo omnes credere et salvos fieri; omnium est et praeconcepta opinio, *quod Deus absolute quosdam ex hominibus segregaverit, quibus solis praeparaverit fidem,* ut loquitur Zanchius: nos manemus in voluntate, quam verbum revelavit: scilicet DEUM velle, ut omnes agant poenitentiam et convertantur; si Zanchius et asseclae ipsius statuunt, DEUM ab aeterno fecisse tale decretum, quod nolit quosdam converti, proferant tabulas istius decreti. 2. Pergit Zanchius: *Sed ne illud quidem simpliciter verum est, evangelium salutem annuntiare cum conditione, qui crediderit, servabitur: quasi fides in Christum quoddam sit opus, per quod servemur: Servamur enim gratis et propter Christum, non propter fidem. Evangelium igitur potius docet, quales velit Deus esse eos, quos vult servari, quam ut conditionem exigat, propter quam possimus servari.* Respondemus: manifesta est vox evangelii, *qui crediderit, salvabitur.* Etsi proinde fides non requiritur, ut opus quoddam et meritum, propter quod justificamur, tamen hic est ordo et haec ratio salutis consequendae, ut credamus in Christum. Proinde quod de evangelii praedicatione fatetur Zanchius, in ea doceri, quales velit DEUS esse eos, quos vult servari, idem cogitet de praedestinatione, nimirum intuitum fidei ejus actum ingredi, non tanquam meritorium aliquod opus, sed ratione ordinis; quia nimirum sicut in tempore DEO placet non nisi credentes in Christum servare, ita ab aeterno ipsi placuit, non nisi eos eligere, quos praevidit efficacia Spiritus s. per verbum perseveranter in Christum credituros. 3. Pergit Zanchius, *si conditionalis est electio, non est firmum decretum.* Respondemus: Verum est, talis absoluta certitudo electionis non est asserenda, qualem adversarii statuunt, quod scilicet renati non possint excidere gratia Dei et vita aeterna, interim tamen manet talis certitudo, quam Scriptura proponit, nimirum quod illi, qui per fidem in Christo manent, ex manibus ejus eripi non possint. Quid vero respondebit Zanchius ad hoc argumentum. Si actualis vitae aeternae haereditas promittitur credentibus sub conditione perseverantiae, non erit salus ipsorum firma. Idem quod huic argumento ex verbo DEI respondetur, ad argumentum suum responsum sibi statuat Zanchius, nimirum esse medium inter absolutam certitudinem et inter dubitationem. 4. Pergit Zanchius. *Si conditionalis est electio,*
non erit gratuita. Respondemus: Idem poteris con- IV. 203.
cludere de justificatione. Gratuita ea est, interim tamen non nisi fide justificamur. 5. *Electi sumus* (inquit Zanchius), *ut credamus, et fides est effectus praedestinationis.* 1. Cor. 7, v. 25: *Misericordiam consecutus sum, ut essem fidelis. Ergo electio non est facta sub conditione fidei.* Respondemus: Fidem esse effectum misericordiae divinae libenter concedimus, quia DEUS ex mera gratia per verbum operatur in nobis fidem, quod ergo Paulus, quod reliqui pii omnes credunt, id unice divinae misericordiae deputandum est, interim tamen non sequitur, quod electionis decretum non ingrediatur fidei intuitus. Salus nostra dependet unice a DEI misericordia, non ex operibus nostris vel ex liberi arbitrii viribus, interim tamen fide salvamur.

Quod intuitus meriti a Christo praestiti ingrediatur electionis decretum. 1.

153. Pergimus argumentari. Si intuitus meriti Christi non ingreditur electionis decretum, sed saltem est medium, per quod decretum illud DEUS executioni dare constituit; sequetur, extra Christum factam esse electionem, utpote quae terminetur in absoluta DEI voluntate et εὐδοκίᾳ. At consequens

(praeterquam, quod aperte contradicat apostolo, qui dicit, *Deum in Christo nos elegisse*, Eph. 1, v. 4.) absurdum est: quod sic ostendimus. Extra quem non est peccatorum remissio, extra eum non est hominum peccatis corruptorum electio: siquidem vitae aeternae nemo fit particeps, nisi vel propriam justitiam legi DEI perfecte conformem habeat, vel remissis peccatis justitia Christi per fidem ipsi imputetur: et paret insuper connexio hujus propositionis ex Eph. 1, v. 7 et 11: *in Christo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum: in quo etiam nos haereditatem consecuti sumus, praedestinati secundum propositum ejus.* Jam vero extra Christum non est peccatorum remissio, ut constat. Ergo etiam extra Christum non est facta electio.

2\. 154. Extra Christum *Deus est ignis consumens* Deut. 4, v. 24. Jam vero electio facta ex summa Dei misericordia ad vitam aeternam eligentis. 2. Tim. 1, v. 9: *Deus vocavit nos vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam nobis datam in Christo ante tempora secularia.* Vides vocationem illam sanctam tribui proposito DEI et gratiae in Christo nobis datae ante tempora secularia. Sic ergo procedimus: Quoscunque DEUS elegit, eos etiam dilexit ad vitam aeternam. DEUS enim neminem elegit, qui vitae aeternae non fit actu particeps: alias non staret dictum Christi, *quod impossibile sit seduci electos;* Matth. 24, v. 24. Jam vero extra Christum DEUS neminem diligit ad vitam aeternam, id est, neminem tam arcto prosequitur amore, ut ipsum vitae aeternae actu faciat participem, nisi credat in Christum Joh. 3, v. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam; qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum.* Ergo etiam extra Christum DEUS neminem elegit.

Exceptiones adversariorum.

155\. Non ergo effugiunt vim horum argumentorum, qui docent, nihilominus nos esse in Christo electos, (etiamsi absolutum DEI beneplacitum sit causa electionis), quia Christus sit medium, per quod fiat exsecutio decreti. Nam omnia illa argumenta, quae produximus, ostendunt, ipsi electionis decreto necessario includendum intuitum meriti Christi: ex adversariorum sententia Christus cum suo merito est effectum electionis. Docent enim DEUM absoluto decreto quosdam ad vitam aeternam prius elegisse, atque illis demum constituisse mittere Filium, per quem serventur. Jam vero effectus non ingreditur rei actum, sed est illius consequens, quomodo ergo apostolus diceret, nos esse electos in Christo? Breviter. *Electio facta est κατὰ πρόγνωσιν*, 1. Pet. 1, v. 2. Non argo ex absoluta DEI voluntate, quia πρόγνωσις est vocabulum relativum, et respicit res in tempore. Bucanus loco de praedest. p. 387. *vocabulum electionis in hoc dicto accipit de separatione, quae re ipsa sit in tempore per vocationem efficacem certorum hominum* etc. atque hanc significationem vocabuli electionis dicit esse propriam,

IV. 204. quando autem accipitur pro aeterno DEI ad salutem eligentis proposito, eam vocat metonymicam: quod miror homini excidisse, cum in Scriptura nuspiam occurrat illa hujus vocis significatio, quam ipse dicit esse propriam. Vide supra thes. 31. Alii, qui sequuntur Calvinum, respondent, *praescire in hoc articulo nihil esse aliud quam praedestinare*, cui interpretationi robur aliquod afferre possent ex Augustino lib. de bono perseverantiae c. 18. Atqui primo apostolus in sua gradatione Rom. 8, v. 28 et 29. diserte distinguit praescientiam et praedestinationem. *Quos praescivit*, inquit, *illos praedestinavit.* Ergo 2. in verbis apostoli erit ταυτολογία, nisi vox προγνώσεως futurarum rerum praevisionem denotet. 3. Quaecunque DEUS agit, rationabiliter agit et ut praescius futurorum. Absit ergo, ut divinae praescientiae oculum ex decreto electionis velimus submotum.

156\. Huc pertinent veterum dicta omnia, quibus in Christo et propter Christum electos nos esse testantur. Praecipue observandum est illud Ambrosii, 2. de vocat. gent. c. 10: *Docet apostolus* (Eph. 1.) *donum atque opus gratiae in aeterno semper Dei mansisse consilio, omnesque adoptionis filios non solum in eo tempore, quo jam existentes vocati sunt, sed etiam prius, quam mundus conderetur, electos: In electione quicquid hominum in Christo praecognitum non est, nulla eidem ratione sociabitur. Omnes enim, qui in regnum Dei de cujuslibet temporis vocatione venturi sunt, in ista, quae secula cuncta praecessit, adoptione signati sunt. Et sicut nullus infidelium in hac sorte numeratus, ita nullus piorum ab hac sorte secretus est, de plenitudine quippe membrorum corporis Christi praescientia Dei, quae falli non potest, nihil perdit et nullo detrimento minui potest summa praecognita atque in Christo ante secula aeterna praeelecta.*

Testimonia patrum quod i[n] Christ[o] propte[r] Christ[um] simus electi.

157\. Adversariorum quae sit in hac parte sententia, jam ante diximus, nimirum statuunt DEUM fecisse primum decretum absolutum de quibusdam salvandis, postea constituisse illis absoluto decreto electis mittere Filium, qui pro peccatis ipsorum satisfaceret. Hinc Beza part. 2. Respondemus: ad Coll. *Christus non est causa nostrae electionis.* Martyr super 9. Rom.: *Negamus Christum, quod ad ejus humanitatem aut mortem attinet, esse causam praedestinationis nostrae.* Polan. de praedest. p. 44: *Deus elegit quosdam ex mera εὐδοκίᾳ absque omni intuitu meriti Christi.* p. 45: *meritum Christi ideo non est causa electionis προηγουμένη, quia ipsius est effectum, non enim ideo nos elegit Deus, quia Christus pro nobis moriturus erat, sed contra ideo pro nobis mortuus est Christus, quia Deus nos elegerat in ipso.* Nec longe abit ab hac sententia Bellarm. lib. 2. de grat. et lib. arbit. c. 9, ubi dicit, *post factam nostram electionem Christum esse praedestinatum, qua de re suo loco.*

Antithe[sis] adversariorum.

158\. Videbimus argumenta eorum potiora. 1. *Quicquid in tempore fit, non potest esse causa electionis ab aeterno factae. Satisfactio et passio Christi in tempore demum contigerunt.* Ergo. Re-

Argumenta. 1. Satis[-]factio e[t] passio Christi.

spondemus: 1. Distinguendum est inter actum satisfactionis et ejus intuitum. Etiamsi actus satisfactionis a Christo praestitae non fuit ab aeterno: tamen Deo, quia omnia in immutabili et simplicissimo τῷ νῦν aeternitatis suae intuetur, ratione προγνώσεως fuit praesentissimus. 2. Lapsus primorum parentum in tempore demum contigit, et tamen intuitus ejus ab electionis decreto non excludendus. Etenim ratione status innocentiae omnes erant ad imaginem DEI conditi, et sic nulla potest ibi esse distinctio electorum et reproborum. Et quid aliud est electio, quam ex corrupta totius generis humani massa quorundam, videlicet eorum, qui credituri erant, ad vitam aeternam segregatio? Hinc ipse Zanch. 5. de nat. Dei c. 2. p. 672: *Elegisse nos Deus dicitur ante mundi constitutionem, quatenus scilicet nos in communi hominum perditorum massa consideravit, antequam essemus* etc. Piscat. Herborn. sup. 1. Ephes. in Schol. p. 87: *Electio proprie loquendo refertur ad genus humanam jam con-*
IV. 205. *ditum et lapsum in mortem.* Sic ergo progredimur. Quemadmodum lapsus Adae in tempore contigit, et tamen, extra ejus respectum non est facta electio; ita quoque satisfactio secundi Adae, videlicet Christi in tempore contigit, et tamen extra ejus respectum itidem non est facta electio. 3. Ac quemadmodum Apoc. 13, v. 8. dicitur, *quod Agnus (Dei) occisus sit ab origine mundi*, ratione decreti divini, ratione promissionum, ratione typorum et ratione efficaciae; ita etiam possumus dicere, quod satisfactio Christi profuerit, antequam fuerit. 4. Quid enim? inter homines saepius adversa pars futurorum pactorum certitudine placatur et reconciliatur, cum tamen *omnis homo mendax*, Psalm. 116, v. 11, quanto magis promissa illa per Christum satisfactione in plenitudine temporis praestanda Gal. 4, v. 4. placari Deus potuit, cum *Christus sit ipsa veritas* Joh. 14, v. 6. 5. Cape sic argumentum. Aut praescivit Deus illam Christi satisfactionem, aut non praescivit. Prius dicere est ἀθεόλογον. Si praescivit, aut illius πρόγνωσει placatus est, aut minime. Posterius dici nequit: quia haec victima in tempore exhibita fuit propitiatoria pro peccatis mundi. Ergo etiam ejus προγνώσις et intuitus ab aeterno ejusdem efficaciae fuit. Relinquitur ergo intuitu satisfactionis Christi in tempore exhibendae Deum fuisse placatum: ideoque ab electionis decreto intuitum istum non posse excludi. 6. Illustrari haec quodammodo possunt exemplo cujusdam in captivitate detenti, qui propter factam λύτρου promissionem liberatur, etiamsi longo demum tempore actualis ejus persolutio sequatur.

2. Christus ipse praedestinatus ab aeterno.

159. Argum. II. *Christus ipse praedestinatus est ab aeterno* 1. Petr. 1, v. 20. *Christus praecognitus ante mundi constitutionem. Ergo non potest esse causa electionis.* Respondemus: 1. Invertimus argumentum: Christus cum suo merito est praecognitus ante constitutionem mundi, et *electio facta est κατὰ πρόγνωσιν*, 1. Petr. 1, v. 2. Utique ergo intuitus meriti Christi a decreto electionis non est excludendus. 2. Christus ab aeterno praecognitus est et ordinatus ad salutem nobis promerendam, nos autem praedestinati sumus ad salutem assequendam: Haec igitur sunt distinguenda. 3. Est quidem decretum electionis aeternum, ac Deus uno simplicissimo actu omnia ab aeterno praescivit: Nobis tamen considerandus ordo, quem Scriptura infirmitati nostrae συγκαταβαίνουσα describit, de quo diximus supra. Primum de homine decretum illud est: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Alterum: De omni arbore comedas, praeterquam de arbore scientiae boni et mali, quacunque die comederis de illa, morte morieris: Hoc subsequitur tertium, quo homo lapsus cum omnibus posteris morti aeternae adjudicatur: tum demum sequitur decretum evangelicum de semine mulieris contrituro caput serpentis, in quod qui credit, sit servandus. Decretum ergo electionis substernit decretum creationis, πρόγνωσιν lapsus et decretum de missione filii, in quem qui credit, eum salvare Deus decrevit. 4. Dilucidius res sic potest proponi. Constituit Deus ab aeterno ex mera bonitate, hominem ad sui imaginem creare, ut esset, a quo agnosceretur et celebraretur, et qui cum ipso aeterna beatitudine perfrueretur. Praevidit autem hominem lapsurum et cum omni sua posteritate, quae erat in ipsius lumbis, se a creatore aversurum: constituit igitur homini per fraudes satanae decepto vicissim auxiliari et sic invenit remedia, quibus amissa salus ipsi restitui posset, proinde fecit decretum de mittendo filio in carnem et de beneficiis ejus obedientia et satisfactione partis per evangelii praedicationem toti mundo offerendis. Praevidit autem quosdam per illud verbum efficacia Spiritus s. credituros, reliquos sua culpa incredulos mansuros; illos elegit, hos reprobavit. 5. Referri huc possunt, quae disputat Thomas p. 3. qu. 24. art. 4: *Praedestinatio Christi* (i. e. ordinatio ista aeterno Dei decreto facta de incarnatione, passione et satisfactione filii) *est causa nostrae praedestinationis, non quidem secundum actum, cum uno et eodem actu Deus praedestinaverit Christum et nos, sed secundum terminum. Sic enim Deus praeordinavit salutem nostram, ut per Christum compleretur.* Haec ille.
Monemus tamen vocem praedestinationis καταχρηστι- IV. 206.
κῶς ita usurpari, quod enim Rom. 1, v. 4. Christus dicitur praedestinatus Dei filius, id ex Graeco rectius vertitur, quod certo demonstratus ac declaratus sit Dei filius. 6. Observa igitur, quando dicitur intuitum meriti Christi esse causam nostrae praedestinationis, non agi de ordine temporis, quia omnia hic aeterna; nihilo tamen minus, quo ad naturae ordinem salvandi prius secundum propositum salvari praesciti sunt, quam ad salutem electi. Rom. 8, v. 29: *Quos praescivit, eos pradestinavit,* superior itaque electione praescientia; utraque superius est propositum. Atqui propositum salvandi includit Christum fide apprehendendum: alias DEUS aliter salvaret, quam salvare decrevisset. Ergo et praescientia et electio, quae secundum propositum

fiunt, Christum includunt, Zanch. 5. de nat. Dei c. 2. p. 625: *Praedestinatio supponit electionem, electio dilectionem, dilectio praescientiam, praescientia beneplacitum divinae voluntatis.*

3. Christi meritum non est per se sufficiens ad satisfactionem.

160. Argum. III. scribit Calvin. 2. Instit. c. 17. §. 1: *Equidem fateor, si quis simpliciter et per se Christum opponere vellet judicio Dei, non fore merito locum, quia non reperiretur in homine dignitas, quae possit Deum promereri.* Argumentum ejus videtur esse tale: *Christi meritum per se non est tantae dignitatis, ut iratum Deum placare possit: Ergo non est causa nostrae electionis.* Respondemus: 1. Jam tandem apparet, quanti intersit doctrinam de persona Christi sanam atque integram haberi; et quam periculosum sit, a veritate in isto articulo exorbitare. Dicit Scriptura et veritas, et cum illa etiam nos dicimus, Christi meritum esse infinitae virtutis et efficaciae, quia praestitum est a persona infinita. Neque enim actiones et passiones Christi debemus intueri ut humanae tantum naturae actiones et passiones, sed ut actiones θεανδρικάς, quia Λόγος hanc naturam assumsit in unitatem personae. Sic Vigilius lib. 2. contr. Eutych.: *Actiones et passiones sunt personae.* Sic Aristot. 1. de anal. c. 3: *Compositae substantiae insunt omnes actiones et passiones, sed propter naturas, e quibus est composita.* Sic Thomas 22. q. 58. art. 8: *Actiones sunt suppositorum et totorum, non autem proprie loquendo partium et formarum seu potentiarum* etc. 2. Sic ergo habendum, cum naturam humanam et omnia ejus idiomata Λόγος sibi appropriaverit assumendo eam in personae unitatem; ideo passio et mors Christi, quamvis per naturae conditionem divinitati non competant, tamen propter intimam illam et ineffabilem naturarum communionem ex unione ortam, non minus ad filium Dei pertinent, quam si illas in ipsa sua natura divina sustinuisset. Quo pertinet egregius ille locus D. Lutheri tom. 7. Jen. Germ. p. 264: *Si in una lance appendantur peccata nostra et ira Dei peccatis debita, ac in altera lance ponatur tantum naturae humanae mors, aut homo tantum pro nobis passus, tunc altera lanx deprimit nos ad infernum usque. Quodsi vero in adversa lance ponatur Dei passio, Dei mors, Dei sanguis, seu Deus pro nobis passus et mortuus, tunc gravior et ponderosior fiet ista lanx, quam omnia peccata nostra et universa Dei ira* etc. Vides unde pendeat infinita illa virtus et efficacia meriti Christi, quod sit ἰσόρροπον λύτρον pro peccatis mundi, nimirum quia est filii Dei passio, quia est Dei sanguis, qui profunditur. Hoc fundamentum evertitur, quando dicitur nominetenus Deum esse passum. Cons. orthod. p. 18. *tantum humanam naturam esse mortuam.* Martin. Spic. p. 184. *passionem dialectica tantum praedicatione Deo tribui absque reali communicatione.* Dan. contra Chemn. p. 321: *Quid ergo mirum, si postea dicatur passionem et meritum Christi non posse simpliciter et per se opponi judicio Dei?* quod pronuntiatum omnium piorum odio dignum est. 3. Cogitetur autem, quantum absit haec Calvini speculatio a sententia Jesuitarum, qui disputant, Christum esse mediatorem, ut est homo justus; non autem ut est Deus et homo; et a disputationibus Scholasticorum quorundam Biel 3. sent. dist. 19. art. 3. dub. 2. quaerit, *quomodo per Christi passionem liberati simus?* et postea subjicit, *remissio fit per passionem Christi, nam plus placuit Deo haec voluntas Christi secundum hominem voluntarie mori eligentis ex tanta caritate elicita, quam omnium hominum displicuere peccata.* Rectius autem scribit Thomas p. 3. q. 22. art. 3: *In quantum Christi humanitas operabatur in virtute deitatis, illud sacrificium erat efficacissimum ad delenda peccata* etc. Cogitetur insuper, si meritum Christi simpliciter et per se non possit opponi Dei judicio, quomodo in tentationibus pia mens erigi possit, praesertim si conjungas cum hoc pronuntiato dogma de absoluta quorundam reprobatione? 4. Sic ergo debemus procedere: Filius Dei homo factus, sive Christus θεάνθρωπος est aequalis Patri et unius essentiae cum Patre; is in assumta natura humana fuit obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis. Ergo per se et simpliciter in ipsius merito est infinita dignitas, scilicet propter personae infinitatem.

IV. 207.

CAPUT IX.

INTUITUM FIDEI INGREDI ELECTIONIS DECRETUM.

Fidei intuitum ingredi electionis decretum.

161. Atque ita confirmatum dedimus, quod Christi meritum sit causa electionis nostrae. Cum vero Christi meritum nemini prosit absque fide, ideo dicimus, etiam fidei intuitum decreto electionis esse includendum. Sonora voce profitemur, nos statuere, quod Deus nihil boni in homine ad vitam aeternam eligendo invenerit, quod nec bona opera nec liberi arbitrii usum neque adeo ipsam etiam fidem ita respexerit, ut hisce motus, vel propter ea quosdam elegerit: sed unicum et solum Christi meritum illud esse dicimus, cujus dignitatem Deus respexerit et ex mera gratia decretum electionis fecerit. Quia tamen Christi meritum non nisi per fidem in hominibus locum habet, ideo docemus, electionem factam intuitu meriti Christi per fidem apprehendendi. Illos ergo omnes et solos ab aeterno a Deo ad salutem electos esse dicimus, quos efficacia Spiritus sancti per ministerium evangelii in Christum redemtorem vere credituros et in fide usque ad vitae finem permansuros praevidit.

Argumenta. 1.

162. Argumenta hujus sententiae nostrae proponemus brevissime. *Electio facta est in Christo,* Ephes. 1, v. 4. *In Christo non sumus nisi per fidem,* Ephes. 3, v. 17. Ergo μέλλοντες πιστεύειν 1. Tim. 1, v. 16. sunt electi. Ulterius: Electio est decretum

2. Dei aeternum de justificandis et salvandis hominibus. Atqui Deus in tempore non nisi *per fidem justificat et salvat homines*. Rom. 3. et 4. Gal. 2. et 3. Ephes. 2. etc. Ergo etiam ab aeterno decrevit non nisi credituros justificare et salvare, et per consequens, illos solos et omnes elegit, quos per fidem in Christo mansuros praevidit. Extra Christum
3. nemo electus est. Homines peccatores absque fidei intuitu sunt extra Christum. Ergo homines peccatores sine fidei intuitu non sunt electi. Ideo ut Paulus dicit, Ephes. 1, v. 4: *Deum nos elegisse in Christo.* Ita 2. Thess. 2, v. 13. dicit, *Deum elegisse nos in fide*, quia in Christo eligi non potuimus, nisi sub fidei Christum apprehendentis intuitu.
4. *Impossibile est placere Deo absque fide*, Hebr. 11, v. 6. Electi placuerunt Deo ab aeterno: *quia paratum illis coeleste regnum ante constitutionem mundi.* Matth. 25, v. 34. Non ergo, nisi sub fidei
5. Christum apprehendentis intuitu. Atque hinc profluunt illae descriptiones electorum in Scripturis usitatae. 1. Tim. 1, v. 16: *Christus ostendit in me* (inquit Paulus) *omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt ad vitam aeternam.* Joh. 17, v. 20: *pro iis rogo*, (dicit Christus) *qui sermonem apostolorum in me credituri sunt.* Jacob.
IV. 208. 2, v. 5: *Elegit Deus pauperes, divites in fide.* Tit. 1, v. 1: *Fides Christi vocatur fides electorum.*
6. 163. Observetur locus apostolicus 2. Thess. 2: *Elegit nos Deus ab initio* (id est, ab aeterno) *ad salutem in sanctificatione Spiritus et fide veritatis:* Cum quo conferimus 1. Pet. 1, v. 1. et 2: *electio facta κατὰ πρόγνωσιν Dei Patris in sanctificatione Spiritus in obedientiam et adspersionem sanguinis Christi per fidem:* Inde colligimus: Quos Deus praescivit per evangelii praedicationem (quae est Spiritus illa sanctificatio) credituros et ad fidei obedien-
Exceptio Keckerm. tiam perventuros, eos in Christo elegit. Excipiunt quidam: *Sanctificationem Spiritus notare inchoatam vitae sanctitatem.* Atqui illa nec electionis nec salutis est causa: praeterea sanctitas illa inchoata est consequens et effectum fidei. Rectius ergo ei postponeretur: ideo per ἁγιασμὸν τοῦ πνεύματος intelligimus ministerium evangelii, quod est *ministerium Spiritus.* 2. Cor. 3, v. 8: *qui in verbo veritatis nos sanctificat.* Joh. 17, v. 17. Pulcherrime igitur organa salutis offerentia et recipientia describuntur: offert Deus salutem in sanctificatione Spiritus, eam recipimus nos vera fide, sive obedientia fidei sanctificationis reddimur participes. Rom. 1, v. 5. cum alias non prosit sermo auditus fidei non ad-
Piscat. Herborn. mistus. Hebr. 4, v. 2. Excipiunt alii, *causas salutis describi, non autem ordinem electionis.* Atqui sanctificatio Spiritus et fides veritatis referuntur ab apostolo ad electionem: non autem ad vocem salutis.
7. 164. Rom. 11, v. 20. dicitur *Judaeos per et propter incredulitatem fractos esse ex olea.* v. 22. *gentiles si non permanserint in benignitate, excidendos,* v. 23. *et Judaeos, si non permanserint in incredulitate, inserendos.* Hinc ita colligimus: Propter quod in tempore reprobantur homines, propter idem eos reprobandos esse ab aeterno est decretum. Vicissim per quod in tempore coetui electorum inserimur, per illud inserendos nos esse ab aeterno decretum: propter exactissimam decreti et executionis convenientiam. Jam vero in tempore propter incredulitatem homines reprobantur, per fidem coetui electorum inseruntur. Ergo etiam ab aeterno Deus tale fecit decretum, scilicet reprobandi eos, quos praevidit in incredulitate mansuros, et eligendi eos, quos in vera fide permansuros praevidit. Vide plura in hanc sententiam Tom. 1. Disp. Gissens. Disputat. 14. th. 137. et seqq. in analysi D. Schröderi super 9. Rom. th. 121. et seq.

165. Ad haec argumenta responderi solent, *non aliter fidei rationem in decreto electionis haberi,* Exceptio adversariorum.
quam quod sit medium, per quod Deus electos ad salutem perducere decrevit. Atqui ostendimus, ipsum electionis decretum ingredi fidei intuitum. Justificatio, quae fit in tempore, est speculum electionis factae sine tempore. Certo ordine eligimur, justificamur, glorificamur. Justificamur ordine fidei praesentis: Glorificamur ordine fidei perseverantis: Ergo etiam eligimur ordine fidei futurae tum conferendae, tum praevisae a Deo. Datur fides in tempore ex gratia Dei eligentis: nihilominus intuitus fidei in tempore per verbum conferendae ingreditur electionis decretum ab aeterno factum.

166. Sententiam veterum quod attinet, novimus Augustin. scribere lib. de praedest. Sanct. c. 17. *elegisse Deum fideles, sed ut sint, non quia jam erant: non credere homines ut eligantur, sed potius eligi, ut credant*, c. 19. *non quia credidimus, sed ut credamus, elegit nos, ne priores eum elegisse dicamur*, etc. Dicta veterum de προγνώσει τῆς πίστεως. Sed haec et similia opposita sunt Semipelagianis sive reliquis Pelagianorum. Illi enim statuebant, fidei initium esse ex nobis, ac proinde fidem esse meritoriam electionis causam; quam genuinam fuisse ipsorum sententiam, patet ex epistolis Prosperi et Hilarii ad Augustinum, quae exstant Tom. 7. Illis igitur merito sese opposuit Augustinus, et fidem esse electionis causam negavit, quin etiam quod in expositione quarundam propositionum epistolae ad Rom. scripserat, *Deum elegisse fidem in praescientia, ut quem sibi crediturum esse sciverit, illum elegerit,* illud retractat 1. Retract. c. 23.
et de praedest. sanct. c. 3. Sed enim si diserte adda- IV. 209.
tur, fidem esse donum DEI, nec de merito quodam electionis, sed de origine agi et quaeri, quo nimirum ordine misericordia divina in hominum salute opera sua exsequatur: Nec Augustinus, nec alii ex veteribus ab illis loquendi formulis adhorruerunt, quod Deus eos elegerit ad vitam, quos in Christum credituros praesciverit. Sic enim Ambros. 2. de vocat. gent. c. 9: *Deus sicut praescivit ante secula, quanta totius mundi hominum multitudo vel communibus usa donis, vel specialibus adjuta praesidiis, declinans tamen ab itinere veritatis et vitae, ingressura esset latitudinem erroris et mortis: ita semper praecognitum habuit, quantus piorum numerus per opem gratiae et per*

servitutem obedientiae ad aeternam beatitudinem pertineret, ut nullo excidente de plenitudine promissorum (qui nec provectu erat fallendus nec auxilio defuturus) eos glorificaret prae omnibus, quos eligit ex omnibus. Idem c. 21. super verba c. 8. Rom. 8. *Quos praescivit, hos praedestinavit: Istos, quos praescivit sibi devotos futuros, ipsos eligit ad promissa praemia capessenda, ut hi qui credere videntur et non permanent in fide coepta, a Deo electi negentur, quia quos Deus eligit, apud se permanent.* C. 26. super verba c. 9. Rom. *Miserebor cujus misertus ero. Ejus miserebor, cujus praescius eram, quod misericordiam daturus essem, sciens conversurum illum et permansurum apud me.* C. 34. super verba c. 11. Rom. *Non repulit Deus plebem, quam praescivit. Quos praesciit Deus credituros, nemo ex his a promissione repulsus est, quia sic factum est, sicut praesciit Deus futurum.* Idem super 1. Eph. *praescius Deus omnium scit, qui credituri essent in Christum, sicut dicitur,* Rom. 8: *Quod praesciit et vocavit nos, non solum ex Judaeis, sed etiam gentibus. Quos ergo Deus vocare dicitur, perseverant in fide, hi sunt, quos elegit ante mundum in Christo.* August. tract. 24. in Joh. *Ideo dicit Dominus, qui ex Deo est, verba Dei audit, quoniam praescierat, qui fuerant credituri, ipsos dixit ex Deo, quoniam regenerationis adoptione nascerentur ex Deo: quod sequitur; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis, eis dictum est, qui non solum peccato vitiosi erant, nam hoc malum commune erat omnibus, sed etiam praecogniti, quod non fuerant credituri ea fide, qua sola possent a peccatorum obligatione liberari, quapropter praesciebat illos, quibus talia dicebat, in eo permansuros, quod ex Diabolo erant, i. e. in suis peccatis atque impietate permansuros* etc., *secundum hanc praedestinationem locutus est Dominus.* De praedest. et grat. c. 5: *antequam faceret nos Deus, praescivit nos et in ipsa nos praescientia, cum nondum fecisset, elegit.* De bono perseverant. c. 14. *An quisquam dicere audebit, Deum non praescisse, quibus esset daturus, ut crederent? aut quos daturus esset filio suo, ut ex eis non perderet quenquam? quae utique si praescivit, profecto beneficia sua, quibus nos dignatur liberare praescivit: Haec praedestinatio sanctorum nihil aliud est quam praescientia scilicet et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur.* Idem de praescientia fidei sentiunt et scribunt Hieronym. in comment. super Rom. 8, v. 28. c. 9, v. 10. c. 11, v. 5. et 7. sup. Eph. 1, v. 5. sup. 2. Thess. 2, v. 13. Fulg. lib. 1. ad Monim. Theophyl. sup. Rom. 8. et 11. Eph. 1. et 2. Thess. 2. Item 2. Tim. 2. Theodor. sup. 8. Rom. Sedul. sup. Tit. 1. Haymo sup. 1. Eph. etc. quos vide.

Antithesis adversariorum.

167. Adversarii hanc sententiam rejiciunt ac statuunt, *Deum certos aliquos absoluto decreto prius ad vitam aeternam elegisse, ac tum demum istis absolute electis fidem in tempore se daturum decrevisse.* Beza part. 2. Respons. ad Colloq. Mompelg. p. 233. *Tertium medium electionis,* dicit IV. 210.
Bucan. de praedest. p. 399, *est fides in Christum* etc. Tossan. etiam *Pelagianismi accusat nostram sententiam.* Piscat. de praedest.: *Valeant qui sibi imaginantur, fidem esse causam electionis; Deus non spectavit in homine, an fidem esset praestiturus evangelio necne.* Polan. de praedest p. 26: *Nec fides est instrumentalis causa electionis, quemadmodum justificationis, quia ipsa tota est effectum electionis, quia non est ab aeterno, quia suo demum tempore sequitur electionem; quia non eadem ratio justificationis et electionis* etc.

Argumenta contra πρόγνωσιν fidei. 1. Fides datur in tempore.

168. Videamus argumenta quaedam, quibus contra nos pugnant. *1. Fides in tempore datur. Ergo non ingreditur electionis decretum.* Respondemus: 1. Haec non pugnant invicem, fidem in tempore dari electis, ac fidei intuitum decretum electionis ingredi. Lapsus Adae contigit in tempore, et tamen respectus ejus in electione habet locum. Satisfactio Christi praestita est in tempore, et tamen intuitus ejus ingreditur decretum electionis. 2. Quin imo vi hujus argumenti ipsorum electorum hominum non potuisset haberi respectus; nascuntur enim illi in tempore, electio ab aeterno facta est. 3. Repetimus ergo, quod apostolus dicit, *nos esse electos κατὰ πρόγνωσιν* 1. Petr. 1, v. 2. Quae πρόγνωσις ibidem refertur ad adspersionem sanguinis Christi, quae fit per fidem. Proinde etsi fides in tempore per ordinaria media datur, tamen electionis decreto ab aeterno facto fuit inclusa, quatenus Deus exactissime cognovit, qui per verbum virtute Spiritus s. essent credituri, et ab aeterno constituit illos omnes et solos, qui in Christum vere et perseveranter credunt, salvos facere.

2. Crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam aeternam Act. 13.

169. Argum. II. Actor. 13, v. 48. *Crediderunt, quotquot ordinati erant ad salutem. Ergo ab electione pendet fides tanquam effectum a sua causa.* Respondemus: 1. Si fideles sunt ordinati ad salutem, id est, certo ordine electi, ergo electio non est absoluta neque absoluto decreto facta. 2. Describitur ergo in his verbis manifestatio in tempore facta decreti sine tempore facti. Quaeritur, quinam crediderint? respondet Lucas, qui in aeterno decreto erant ordinati ad salutem, qui inclusi erant ordini mediorum, per quae Deus ab aeterno decrevit homines perducere ad salutem. Quomodo enim ordinati fuerint, ostenditur verbis antecedentibus: audientes gentes gavisae sunt et glorificabant verbum Domini, ex quibus tale exstruimus theorema. Illi sunt ordinati ad vitam aeternam ab aeterno et in tempore credunt, qui beneficia evangelii per verbum oblata non repudiant, sed verbum audiunt et dant ei gloriam veritatis. 3. Cave inferas, ex hac nostra sententia consequi, quod homines se ipsos ordinent ad vitam aeternam: qui ad solum Deum referimus hanc ordinationem. Nisi Deus ipse sic ordinasset quosdam ad vitam aeternam, nemo crederet, nemo salvaretur. Deus est, qui ab aeterno constituit hunc ordinem, ut, qui verbum audiunt et discunt, per hunc ipsum verbi auditum ad fidem perveniant et

salventur. Si esset absque hoc Dei ordine, nemo vel audiret, (quia ipse omnem nostrum auditum patefactione verbi praevenit) vel crederet, (quia, nisi Deus per verbum constituisset esse efficax in cordibus hominum, nemo perveniret ad fidem. etiamsi vel per centum annos audiret) vel salvaretur (quia electio ad salutem dependet ex sola miserentis Dei gratia). 4. Declarari potest explicatio nostra antithesi, quam textus proponit in exemplo Judaeorum v. 45. *Videntes turbas Judaei repleti sunt zelo et contradicebant his, quae a Paulo dicebantur blasphemantes.* Quemadmodum illi suis contradictionibus et blasphemiis et verbi repulsu ostendebant, quod non erant ordinati ad salutem, sive quod non erant in numero electorum: ita gentes audientes cum gaudio et glorificantes verbum Domini credebant, et sic reipsa manifestabatur, quod erant ad vitam aeternam ordinatae. 5. Addimus etiam ex v. 46. *Judaei repellendo verbum se ipsos indignos judicarunt vita aeterna;* non ergo absoluto decreto erant exclusi e regno coelorum: sed quia verbum, salutis medium, repellebant. Deus absoluto quodam odio non judi-
IV. 211. caverat eos vita aeterna indignos, sed ipsi pertinaci suo contemtu se ipsos ita aeterna indignos judicarunt. Simpliciter igitur ordinationem illam ad vitam aeternam de electione accipimus, perinde ac si dictum esset: crediderunt, quotquot erant electi ad vitam aeternam. Nec tamen inde sequitur: ergo absolute et proprie loquendo electio est causa fidei. Nam 1. dicuntur ordinati, non ad fidem, sed ad vitam aeternam. 2. Ordinatio illa seu electio non est absoluta. 3. Quia alia causa fidei ibidem assignatur, scilicet auditus verbi. 4. Evangelista non vult isto verbo reddere rationem, quamobrem hi crediderint, alii non crediderint, sed declarare quomodo Deus ordinationem suam in hisce, qui credebant. exsequi instituerit, et quis fructus vi ordinationis divinae fidem illorum sit insecuturus, nempe vita aeterna.

3. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, Joh. 15.

170. Argum. III. Joh. 15, v. 16: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Ergo fide nostra non praevenimus electionem Dei.* Respondemus: 1. Nemo nostrum dicit, quod fide nostra electionem praeveniamus: fides ex gratia Dei eligentis datur in tempore: electio ab aeterno facta est. 2. Sed neque hoc sequitur. si intuitus fidei electionis actum ingreditur, ergo Deus non eligit nos, sed ipsimet nos eligimus; neque enim dicimus, quod fides sit causa meritoria vel efficiens electionis, aut quod propter fidem Deus nos elegerit. 3. Perinde ut in articulo justificationis non licet inferre: Deus in Christum credentes justificat. Ergo non Deus sed ipsi se justificant: ita quoque in decreto electionis non procedit haec collectio: DEUS intuitu fidei in Christum nos elegit. Ergo ipsimet nos elegimus. 4. Fidem nostram expresse dicimus, nos non habere ex viribus nostris, sed ex sola DEI miserentis gratia, qui per verbum, efficacia Spiritus s., eam in cordibus nostris accendit. Ideoque ipsam fidem operationi DEI eligentis transscribimus: non autem fidei electionis meritum vel operationem acceptam ferimus. 5. Quin imo etiam nostro auditui non adscribimus hanc vim, quod ejus merito aut virtute concipiamus fidem, sed agnoscimus in eo summam DEI misericordiam, quod *placuerit ipsi per stultam praedicationem salvos facere credentes*, 1. Cor. 1, v. 21. Remota DEI misericordia nemo vel conciperet fidem vel salvaretur: Breviter, in hoc et similibus dictis causa electionis et justificationis adimitur viribus ac meritis humanis et electio gratuita asseritur, non autem tollitur ordo divini istius decreti.

3. Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis Joh. 10.

171. Argum. IV. Joh. 10, v. 26: *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* Ergo. *Pater coelestis illis solum vult dare fidem, qui sunt absoluto decreto electi, reliquis non item.* Resp.: 1. Contextus integer sic habet: Christus dicit ad Judaeos: *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis; sicut dixi vobis: oves meae vocem meam audiunt* etc. His ergo verbis Christus revocat Judaeos ad id, quod paulo ante dixerat v. 3. *Oves suas audire vocem ejus*, utpote pastoris: quae nota cum ipsis desit, ideo eos non esse ex ovium suarum numero. 2. Hic ergo est sensus verborum Christi: *Non creditis*, quia repellendo mea verba re ipsa ostenditis, deesse vobis veram illam et propriam ovium mearum notam, ideoque vos non esse ex meis ovibus. Erasm. in parap.: *Vos ideo non cognoscitis meam vocem, quia non estis de numero mearum ovium, quarum simplicitas docilis est, cum vos habeatis animos ambitione turgidos, odio fermentatos, livore corruptos, avaritia infectos, variisque mundi hujus cupiditatibus vitiatos.* Lyran.: *Vos non estis ex ovibus meis, i. e. innocentes et humiles, sed superbi et maligni, et ideo Dei judicio excaecati.* 3. Hanc interpretationem probant etiam consequentia: *Vos non creditis, quia ex ovibus meis non estis.* v. 27. *Oves meae vocem meam audiunt. Qui audit a Patre et discit, ille venit ad Christum et fit ovis Christi.* Joh. 6, v. 45. Quia igitur Judaei nec verbum audiebant, nec miracula curabant, ideo dicit Christus, *eos non esse ex suis ovibus.* 4. Potest huc collationis gratia referri locus Joh. 8, v. 47. *propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Quemadmodum enim ibi Christus probat, Judaeos licet DEUM Patrem suum esse gloriarentur, non esse ex DEO, argumento eo, quia non audiant verbum DEI; ita hoc loco probat Judaeos non esse ex IV. 212.
ovibus suis, quia non audiant vocem pastoris.

5. Rom. 9. Non est volentis nec currentis.

172. Argum. V. Rom. 6, v. 16: *Non est volentis, nec currentis*; 1. Joh. 4, v. 10: *In eo est dilectio, non quod nos dilexerimus Deum etc. Ergo fidei intuitus non ingreditur electionis decretum.* Respondemus: 1. Hoc tantum ex illis et similibus dictis sequitur, DEUM non elegisse nos propter nostrum conatum, vel propter bona opera, vel etiam propter fidem. Omne justificationis, salvationis et electionis meritum sive vis adimitur operibus nostris, et DEI misericordiae in solidum tribuitur: non autem ex illis inferri potest, sub fidei intuitu non esse factam electionem. 2. Ut enim in doctrina de justificatione

non licet inferre: Omne meritum atque omnis vis justificandi nobis adimitur; ergo non justificamur fide: ita quoque non potest inferri: Electio est gratuita; proinde absoluta. 3. Sed nec Pelagianismus sententiae nostrae tribui potest; quia ipsam fidem sola DEI miserentis gratia donari, non viribus liberi arbitrii concipi dicimus: nec docemus, propter fidei dignitatem nos eligi; sed ex Scriptura docemus: misericordiam DEI eligentis in Christo non nisi fide apprehendi: omnia omnino in nobis bona, omnes vires in spiritualibus divinae gratiae transscribimus, et contra Pelagianos toto pectore amplectimur dictum Fulgentii super illud Psalmi 23. *Misericordia tua subsequetur me per omnes dies vitae. Praevenit impium, ut fiat justus; subsequitur justum, ne fiat impius. Praevenit caecum, ut videat; subsequitur videntem, ut lumen, quod contulit, servet; praevenit elisum, ut surgat; subsequitur elevatum ne cadat; praevenit donans homini bonam voluntatem; subsequitur bene volentem operando in illo boni operis facultatem.* Hoc igitur ista misericordia DEI in homine subsequitur, quod praeveniens ipsa largitur, et ideo non solum errantem justificando ad vitam revocat, sed etiam bene ambulando custodit et adjuvat, ut ad donum glorificationis aeternae perducat.

6. Praedestinavit nos Deus ad adoptionem, Eph. 1.

173. Argum. VI. *Praedestinavit nos Deus ad adoptionem.* Eph. 1, v. 5. *Quod perinde est, ac si diceretur: praedestinavit nos εἰς πίστιν, quippe cum illa adoptio constet fide. Si praedestinavit nos Deus ad fidem, i. e. ut crederemus. Ergo non propter praevisam fidem, i. e. quia credituri eramus.* Ita Herborn. Piscat. sup. 9. Rom. p. 194. Resp.: non dicimus propter praevisam fidem nos esse electos; sed fidei intuitum ingredi electionis decretum. Cum quo non pugnat pronuntiatum apostoli, DEUM praedestinasse nos εἰς υἱοθεσίαν, quod sic ostendimus. Fecit DEUS decretum de quibusdam ex perdito genere humano in filios recipiendis et actu salvandis; (cum illa enim υἱοθεσίᾳ arctissimo nexu conjuncta est vita aeterna, Rom. 8, v. 17.) quale hoc decretum fuerit, ostendit exsecutio. Sicut in tempore per fidem homines participes fiunt υἱοθεσίας: ita quoque intuitus fidei a decreto υἱοθεσίας et salutis excludi nequit. Quos DEUS in tempore adoptat in filios, eos ab aeterno adoptare decrevit: et quomodo DEUS in tempore quosdam adoptat, eo etiam modo ab aeterno decrevit adoptare: proinde tum conferendae, tum praevisae fidei respectus ingreditur electionis decretum. Apostolus notanter dicit, *Deum praedestinasse nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum,* et v. 4. *elegisse nos in ipso:* jam vero in Christo non potuit DEUS homines eligere absque fidei intuitu: quippe quae sola Christo nos conjungit et cum ipso unit. Conferimus proinde cum hoc dicto apostolico locum Joh. 1, v. 12: *Quotquot receperunt Christum, illis dedit Deus ἐξουσίαν filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Ut ergo in tempore DEUS hominibus beneficium adoptionis offert per fidem: sic ab aeterno fecit decretum de adoptandis in filios et vitae aeternae haeredibus instituendis, quos praevidit efficacia Spiritus sancti per verbum in Christum perseveranter credituros.

174. Argum. VII. *Vocatio et justificatio sunt effecta electionis.* Rom. 8, v. 29. 30. Ergo *etiam fides ex vocatione dependens; et per consequens fides non est causa electionis.* Resp.: 1. Denuo repetimus, fidem non esse causam meritoriam, vel efficientem electionis, sed electionem κατὰ πρόγνωσιν τῆς πίστεως factam esse asserimus. 2. Id confirmat ipsum illud apostoli dictum, quod probationis loco in argumento offertur. Quos DEUS praescivit (inquit apostolus), illos praedestinavit. Ergo praedestinatio praesupponit DEI πρόγνωσιν: πρόγνωσις illa respicit Christum fide apprehendendum, *quia Christus est ille προεγνωσμένος, in quo Deus suos praecognovit.* 1. Petr. 1, v. 20: *et praedestinavit.* Eph. 1, v. 4. Respondere solent, quod πρόγνωσις hoc loco nihil aliud significet, quam propositum et decretum salvandi; sed ostendimus supra, hanc explicationem non posse subsistere. 3. Quos enim in Christo praecognitos DEUS praedestinavit; illos etiam vocavit, ubi intelligitur vocatio conjuncta cum hominis vocati assensu et obedientia. 4. Quos in Christo praecognitos et praedestinatos vocavit et convertit, illos etiam justificavit (scil. per fidem) et glorificavit; quam glorificationem Anselmus de profectu virtutum, Chrysostomus de donorum largitionibus exponit: alii commodius de communicatione aeternae gloriae et beatitudinis, ita ut propter certitudinem praeterito apostolus fuerit usus. 5. Describitur ergo in hac gradatione apostoli et decretum electionis factum κατὰ πρόγνωσιν et exsecutio illius decreti: quia tales κατὰ πρόγνωσιν praedestinatos DEUS in tempore vocat, justificat, glorificat. IV. 213.

7. Vocatio et justificatio sunt effecta electionis. Rom. 8.

Argumenta Zanch. contra πρόγνωσιν τῆς πίστεως.

175. Praecipue vero inimicus est huic sententiae nostrae Zanchius 5. de nat. Dei c. 2. p. 630, ubi pro absoluta electione his utitur argumentis. *1. Scriptura cum loquitur de praedestinatione, nunquam addit conditionem ullam, sed simpliciter et absolute pronuntiat, Deum dilexisse Jacobum, Esavum autem odisse* Rom. 9, v. 13. *Deum praedestinasse nos secundum consilium et propositum voluntatis suae* Eph. 1, v. 5. *Ergo praeter Scripturam non est addenda quaedam conditio.* Resp. de praedestinatione Esavi et Jacobi dictum est suo loco. Scriptura manifeste dicit: DEUS elegit nos in Christo, et electio facta est κατὰ πρόγνωσιν. Ipsum illud divinae voluntatis beneplacitum includit Christum, quia non aliter DEUS ab aeterno homines servare decrevit, quam in tempore servat. *2. Praedestinatio non est ex praevisis meritis ullisve operibus. Ergo nec ex praevisa fide.* Resp. non dicimus ex praevisione fidei esse praedestinationem, sed intuitum fidei ingredi electionis decretum; inter quas propositiones IV. 214.
magna est differentia, prior causam meritoriam vel προκαταρκτικὴν exprimit, posterior saltem ordinem denotat. Esse autem magnam differentiam inter fidem et opera in hoc negotio, id vel ex unico justi-

ficationis exemplo patet. Excluduntur opera nostra ab actu justificationis, non autem fides *3. Praedestinatio certa est. Ergo non cum conditione fidei.* **Resp. quae vero haec illatio? Salus nostra certa est, interim tamen, si fideles erimus usque ad mortem. Nimirum non absoluta quaedam certitudo electionis et salutis asserenda est, ita enim fores patefierent carnali securitati, nec incertitudo et dubitatio propugnanda, ita enim fores patefierent desperationi, sed media insistendum est via; de salute nostra certos nos fecit DEUS, non autem securos (intellige securitatem carnalem).** *4. Conditio illa nec mala nec bona esse potuit, ex qua nos Deus elegit: non mala, quia propter malum nemo ad vitam eligitur: neque etiam bona: quia omnia bona, fides et fidei opera sunt effecta praedestinationis. Est enim praedestinatio,* ut ait August., *futurorum Dei beneficiorum praeparatio, quibus certissime liberantur quicunque liberantur. Quomodo igitur supponit aliquid in nobis praedestinatio, si est praeparatio omnium beneficiorum Dei? proinde pugnantia sunt, nos esse praedestinatos non tantum ad finem, sed etiam ad omnia media, quibus ad finem perduci possumus, et praedestinatos esse ad finem, vitam scilicet aeternam aliqua lege et conditione, nempe si crediderimus.* Resp. non negatur DEUM ex mera gratia salvandos ad finem et media praedestinasse, sed in eo consistit nervus controversiae, an DEUS primo absoluto quodam beneplacito ad finem quosdam praedestinaverit, quibus ita absolute electis demum constituerit dare media et per illa ad finem eos deducere. Nos dicimus respiciendum hic esse ordinem illum, quem Scriptura nobis proponit. Primo DEUS Adamum et in eo omnes homines creavit ad imaginem suam, et sic ad vitam aeternam. Deinde Adamus sponte propria culpa se a DEO avertit, se et posteros aeternae morti mancipavit. Tertio ex his perditis et damnatis hominibus DEUS quosdam elegit ad vitam aeternam: num vero absolute? minime vero, sed quemadmodum in tempore salvat eos, qui salutis media oblata per fidem efficacia Spiritus s. mediante verbo accensam accipiunt, et in vera fide usque ad finem perseverant, ita ab aeterno salvare decrevit, i. e. elegit, illos omnes, quos praescivit in Christum perseveranter crederituros. Non ergo, ut vides, negatur praedestinatio ad media et finem; sed de horum ordine quaeritur: An nimirum DEUS absolute quosdam elegerit et illis solis media salutis offerre decreverit? id quod affirmant Calviniani. An vero omnibus in evangelio suam gratiam et Christi beneficia offerre decreverit et illos demum reprobaverit, quos praevidit media illa repudiaturos et se ipsos vita aeterna indignos
IV. 215. reddituros, quod affirmat Scriptura sacra et nos ex ea. 5. *Deus secundum propositum voluntatis suae duntaxat nos praedestinavit, non igitur ex conditione ulla vel bonae voluntatis nostrae vel fidei vel operum. Si enim a solo Dei pendet proposito et voluntate, non potest ergo ab ulla re, quae a nobis exigatur, pendere.* Resp. illud ipsum divinae voluntatis de salute nostra propositum includit Christum et proinde etiam fidem, unde in Christo electio facta est. Verum quidem est non pendere salutem a quadam conditione, quae in nostris liberi arbitrii viribus sit, interim tamen fidei intuitus ab illo salvandi proposito excludi nequit, ut suo loco latius ostendimus. 6. Denique concludit Zanchius *hanc sententiam esse magis blasphemam quam Pelagianorum et Sophistarum* (Scholasticorum), *qui contendunt, praedestinationem ex praevisa fide et praevisis operibus esse factam. Illi enim etsi sua doctrina tollant gratiam Dei, saltem relinquunt Deo praescientiam: at isti et gratiam tollunt et praescientiam. Quid enim est Deum nos ad vitam aeternam praedestinasse ex conditione, si crediderimus, nisi ex fide nostra eaque Deo ignota et incerta? conditionalis enim nihil ponit in esse.* Respondemus: Imo vero quid est calumniari, si hoc non est? fatemur, imo toto pectore asseveramus, fidem esse opus DEI, non nostrarum virium, fatemur DEO ab aeterno constitisse quinam in Christum credituri, quomodo ergo vel gratia vel praescientia DEI a nobis negatur? Quo sensu, quove modo dicamus, fidei intuitum ingredi electionis decretum, satis ostensum est. Et merito miramur p. 629. *nos vocari a Zanchio nec impios nec imperitos*, cum hoc loco sententiam nostram impiam et blasphemam esse pronuntiet.

176. Porro quae de fidei electionem ingredientis intuitu diximus, ea de fide ad finem perseverante sunt intelligenda; non enim nisi perseveranter credentes sunt et dicuntur electi ad vitam aeternam Matth. 24, v. 13. Marc. 13, v. 13. *Qui perseveraverit usque ad finem, salvus erit.* Apoc. 1, v. 20: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae.* Quicunque igitur non perseverant in vera fide, *qui non retinent fidem, bonam conscientiam.* 1. Tim. 1, v. 18. hoc est, qui in errores contra fundamentum et peccata contra conscientiam ita prolabuntur, ut per veram poenitentiam non resurgant ante finem vitae, illi non sunt in numero electorum; neque enim renatum et electum esse sunt termini convertibiles; cum multi ex renatis iterum finaliter excidant, ut in articulo de peccato evidenter demonstrabimus. **Perseverantem fidem hic intelligi.**

CAPUT X.

REPROBATIONEM NON ESSE ABSOLUTAM.

177. Hactenus ostendimus electionem non esse absolutam, hoc est, non pendere ex voluntate et decreto quodam Dei de certorum hominum salute absoluto: ex quo colligitur, etiam reprobationem non esse absolutam, hoc est, non pendere ex absoluto quodam Dei odio vel decreto de certorum hominum damnatione. Dicimus multos ab aeterno esse reprobatos, non tamen ex absoluto quodam Dei odio vel decreto, sed quia praevidit Deus illos in **Reprobationem non esse absolutam.**

sua incredulitate et impoenitentia finaliter permansuros. Causam reprobationis quaerimus et statuimus in ipsis hominibus; non in decreto quodam Dei absoluto. Fulgentius lib. 1. ad Mon. *Deus ad supplicium destinavit, quos a se praescivit voluntatis malae vitio discessuros.* Sejungimus igitur nos a Calvino et ipsius asseclis, quos absolutum de certorum quorundam hominum reprobatione decretum ab aeterno a Deo factum propugnare ex propriis eorum verbis superius ostendimus.

178. Absolutum illud decretum negat, Deum ullo modo velle omnes salvos fieri: negat, Christum esse mortuum pro omnibus: negat, Spiritum s. per verbum omnes velle convertere. Atqui probatum dedimus
IV. 216. superius, universalem esse misericordiam Dei Patris diligentis, universale esse meritum Christi patientis, universalem esse gratiam Spiritus s. vocantis.

Causa reprobationis in homine.

179. Scriptura in homine statuit causam interitus. Ergo ea non referenda in absolutum aliquod reprobationis decretum. Antecedens confirmabimus Hoseae 13, v. 9: *Perditio tua ex te, Israël.* Agitur quidem eo loco de poenis temporalibus; interim tamen de aeterna etiam perditione rectissime id accipi potest: Si enim poenae temporales non infliguntur a Deo ex absoluto et libero quodam odio, multo minus aeternae, quippe quae incomparabiliter graviores. Luc. 14, v. 24: *vocati ad coenam, ideo excluduntur, quia venire renuunt.* Actor. 13, v. 44: *Judaei contradicendo illis, quae praedicabant apostoli, et blasphemando.* v. 46: *se ipsos reddunt indignos vita aeterna.* Rom. 11, v. 20: *Judaei incredulitate ex olea sunt fracti.* 2. Thess. 2, v. 10: *quia caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent.* v. 11: *ideo misit illis Deus efficaciam erroris, ut credant mendaciis, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati.* Hoseae 4, v. 6: *quia scientiam repulisti, etiam ego repellam te.*

Exceptio adversariorum nitens distinctione inter reprobationem et damnationem.

180. Ad haec et similia dicta, quae magno numero ex Scriptura afferri possunt, *respondere solent quadam distinctione inter reprobationem et damnationem. Etsi peccata* (ait Bucanus in loco de praedest. p. 402.) *non sunt causa reprobationis, quae fuit ab aeterno; sed justa Dei voluntas: sunt tamen causa damnationis, quae sequetur ultimo tempore.* Ita et reliqui distinguunt. Respondemus: 1. Propter quas causas Deus in tempore hominem damnat, propter easdem ab aeterno eum damnare constituit, id est, reprobavit: atqui in tempore damnationi adjudicat homines, non ex absoluto aliquo odio; sed propter finalem ipsorum incredulitatem et impoenitentiam. Ergo ab aeterno constituit propter easdem causas illos damnare, quod decretum nihil aliud est, quam reprobatio. Fundamentum hujus nostri argumenti consistit in ista regula, quam superius tradidimus: Quod decretum et exsecutio decreti sibi exactissime respondeant. 2. Sic ergo progredimur. Si alia est causa reprobationis, videlicet absolutum Dei odium; alia damnationis, videlicet finalis hominum impoenitentia, mutabilis constituitur Dei voluntas, quod absit. Connexio patet, quia reprobatio est Dei voluntas de hominum quorundam perditione: reprobatio ex sententia adversariorum est absoluta. Ergo Deus ab aeterno ex absoluto quodam odio voluit homines damnari. Vicissim damnatio in tempore est voluntas Dei de quorundam hominum perditione: illa ex sententia adversariorum causam habet positam in hominum incredulitate, ideoque non est absoluta. Ergo Deus in tempore vult propter incredulitatem homines damnari. Vides mutabilem introduci voluntatem DEI. Ab aeterno voluit absolute quosdam damnari: in tempore propter incredulitatem vult homines damnari. 3. Vidit hoc Beza, *ideo concedit, Deum ad causas damnationis homines quoscunque libuerit praedestinasse.* Quaeramus ergo: quare damnantur homines? Respondent, *quia in finali impoenitentia manent:* quare autem manent in peccatis? Respondent, *quia DEUS ad hoc eos destinavit, idque ex absoluto odio;* ita coguntur procedere adversarii. Jam colligamus. Quod est causa causae, est etiam causa causati. Absoluta Dei voluntas est causa reprobationis: reprobatio est causa finalis impoenitentiae: finalis impoenitentia est causa damnationis. Ergo absoluta Dei voluntas erit etiam causa damnationis. Inde Bucan. loco de praedestinat. p. 403. *numerat sex media, quibus decretum reprobationis DEUS exsequatur, quod scilicet sint: I. peccatorum actualium infinita soboles. II. ἀπιστία, infidelitas, alienatio et separatio in Christo. III. Desertio, sive nulla aut inefficax per verbi praedicationem vocatio, aut ad vocationem interna responsio. IV. Pertinacia sive induratio et excaecatio in peccatis. V. Perpetua DEI aversatio: contemtus et progressio ex peccato in peccatum. VI. Tandem justissima eorum condemnatio inde sequitur.* Hactenus Bucanus. 4. Sed IV. 217.
nec satis fit hac distinctione dictis Scripturae, quae testantur, Deum nolle mortem peccatoris, nec delectari absolute hominum interitu etc. Atqui in hac distinctione asseritur DEUM absoluto odio et εὐδοκίᾳ libera quosdam reprobasse. 5. Intuemur nos emphasin dicti Joh. 3, v. 18: *qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomen unigeniti filii Dei.* Increduli sunt judicati, id est, aeterno exitio adjudicati, utique in decreto reprobationis. Num vero absolute ex odio quodam libero? minime vero, sed quia non credunt in nomen unigeniti filii Dei, id quod omniscium Deum latere non potuit. v. 19: *Hoc autem est judicium,* id est, haec est causa istius judicii et damnationis, *quia lux venit in mundum,* id est, Christus vera lux in mundum venit, *ut illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joh. 1, v. 9: *sed dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Vides causam istius judicii aeterno decreto facti tribui hominum incredulitati. 6. Invertimus denique hanc distinctionem. Si Deus non vult absolute et simpliciter hominum damnationem, utique etiam non voluit absolute et simpliciter ipsorum reprobationem; finis enim reprobationis secundum adversarios est, ut in damnatis justitiam suam DEUS ostendat. Quicunque autem

non vult absolute et simpliciter finem, is etiam absolute et simpliciter non vult ordinata ad finem, Deus absolute et simpliciter non vult finem, videlicet hominum damnationem. Ergo etiam absolute et simpliciter non voluit medium ad finem ordinatum, videlicet reprobationem.

Absolutae reprobationis dogma adimere hominibus consolationem.

181. Utamur etiam hoc argumento. Legitima interpretatio Scripturae eo debet esse directa, ut spectet hominum doctrinam et consolationem Rom. 15, v. 4. At si introducitur absolutum aliquod reprobationis decretum, adimitur hominibus consolatio. Ergo illa Scripturae interpretatio, quae tale quid introducit, non est sana nec legitima. Majorem propositionem non arbitramur indigere confirmatione: minor ab adversariis negatur, quam hoc modo probamus. Sit aliquis, qui dubitet an sit electus. Quomodo hic erigendus? Respondet Zanchius in Miscell. p. 323: *Quicunque cernit in se praedestinationis effecta, hoc est, qui videt se efficaciter vocatum, qui sentit, se justificatum, donatum fide atque studio bonorum operum, is certissime sibi persuadere debet, se esse ex numero praedestinatorum.* Haec Zanchius. Respond. Non quidem ex toto improbamus, quod certitudo electionis ex interno fidei testimonio petitur, sed dicimus, hoc esse insufficiens. Quid enim? si tentatus fidem actu non sentiat? Ille sic procedet: Fidem actu non sentio. Ergo nec habeo. Fidem non habeo datam a Deo. Ergo is dare noluit. Quod autem noluit in tempore, ab aeterno dare noluit. Fidem mihi dare absolute Deus noluit. Ergo etiam ab aeterno me reprobavit. Quomodo tunc erigendus est talis homo? Respondet Zanchius 5. de nat. Dei c. 2. p. 648: *Quisque tenetur credere, se ad salutem aeternam in Christo esse electum; neminem hic excipimus ne reprobos quidem.* Respondemus: Sed hoc nihil est. Nemo tenetur credere quod falsum est: atqui omnes esse electos falsum est. Ergo id nemo tenetur credere. Si dicas, in Christo omnes sunt electi; quilibet ergo, et sic etiam tentatus, tenetur credere se in Christo esse electum. Respondebit tentatus ex doctrina adversariorum, non esse eos Christo redemtori datos, qui non prius absoluto decreto sunt a DEO ad id electi: jam vero qui in tempore non credunt, illos non esse Christo redemtori datos: se non sentire fidem, ergo nec credere, ergo nec Christo datum esse. Quomodo tunc erigendus est talis homo? nimirum absolutum decretum ita perstringet ipsius oculos, ut nullam consolationem videre vel invenire possit? Nos igitur respondemus ex verbo Dei: *Si cor nostrum nos condemnat, tamen Deus est major corde nostro,* 1. Joh. 3, v. 20. De electione igitur dicimus cogitandum tum ratione causarum, tum ratione signorum. Causae electionis sunt gratia Dei et meritum Christi. Gratia illa Dei ex se est universàlis, nemo hominum absoluto quodam decreto ab ea exclusus: Meritum
IV. 218. illud Christi ex se est universale: nemo hominum absoluto quodam decreto ab ejus fructu exclusus. Signa electionis sunt vel interna, vel externa. Interna: 1. Inhabitatio Spiritus s., *qui est arrha haereditatis nostrae* Ephes. 1, v. 14. *et testimonium fert Spiritui nostro, quod simus filii Dei,* Rom. 8, v. 16. 2. Fides, *qui enim credit, testimonium habet in se ipso.* 1. Joh. 5, v. 10. 3. Vera invocatio, quam excitat Spiritus gratiae et precum. *Qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Rom. 10, v. 13. 4. Studium sanctitatis: *Elegit nos Deus, ut essemus sancti.* Ephes. 1, v. 4: *firmum stat fundamentum Dei, habens signaculum hoc: Cognovit Dominus, qui sint ejus; et discedat ab iniquitate, qui invocaverit nomen Domini* 2. Tim. 2, v. 21. Externum electionis signum est crux. Rom 8, v. 29: *Quos praescivit, hos praedestinavit conformes fieri imagini Filii Dei.* Si quis jam dubitet, an gratia illa Dei et meritum Christi ad se quoque pertineat, illum deducimus ad vocationem et promissiones universales. Matth. 11, v. 28: *Venite ad me omnes.* 2. Petr. 3, v. 9: *Deus non vult ullos perire:* et ad Sacramenta, videlicet ad baptismum, *qui est stipulatio bonae conscientiae.* 1. Petr. 3, v. 21: *quotquot baptizantur, Christum induunt.* Gal. 3, v. 27. et usum sacrae coenae, quo tanquam sigillo de promissione gratiae et remissione peccatorum confirmamur. Accipimus enim illud ipsum corpus, quod in mortem pro peccatis nostris traditum. Accipimus illum ipsum sanguinem, qui pro peccatis nostris in ara crucis est effusus.

182. Atque hic jam apparet causa, quare absolutum decretum reprobationis rectissime dicatur funis desperationis. Sit enim quispiam, qui dubitet, an ad se quoque pertineat gratia Dei et meritum Christi: ad fidei internum testimonium talis non potest ablegari; quia sensui fidei fortissime adversatur ista dubitatio. Ad verbum et sacramenta itidem talem non possunt adversarii ablegare; *quia hominibus absoluto decreto reprobatis eo fine dicunt offerri verbum, non ut convertantur; sed ut ipsorum damnatio augeatur.* Ita Beza p. 2. respons. ad Colloq. p. 96: *Quos Deus non elegit, etiamsi milies baptizentur externo aquae baptismo, illis tamen nunquam fidem aut Christum donari,* ait iterum Beza in Colloq. p. 469: *Indignos ac reprobos non accipere Christi corpus; quippe quod pro illis non est in mortem traditum: nec Christi sanguinem; quippe qui pro illis non est effusus,* scribit Calvinus contra Heshusium. Quid ergo restat misero isti tentato, quo se sustentet ac erigat, si dicat se non sentire fidem, ergo ad se non pertinere gratiam Dei et meritum Christi, ac proinde se esse in numero reproborum? Respondemus nos ex verbo Dei, Deum velle ut credat, atque eo fine ipsi obtulisse in verbo gratiam suam et Christi meritum, idque sacramentorum sigillo confirmasse. Adversarii autem non poterunt eum consolari, quia statuunt incredulitatem pendere ex illo decreto absoluto; ideo aliquos non credere, quia sunt absolute reprobati: nos contra procedimus, ideo aliquos esse reprobatos, quia nolunt credere: serio igitur velle Deum, ut etiam tentatus iste credat, ne propria culpa reproborum numero sese aggreget. Ubi probe obser-

vandum, quod Piscator in disput. de praedestinat. circa finem ita jubet concludere. *Gratia Dei nonnullis offertur animo communicandi: Ergo fieri potest, ut ego sim in illo numero.* At talis syllogismus nihil concludet, cum sit ex meris particularibus. Idem th. 85: *Reproborum animis nulla consolatio instillari potest, quia illi non possunt credere evangelio.*

Tentatio de perseverantia.

183. Sit alius quispiam, qui conflictetur cum tentatione de perseverantia, an scilicet perseveraturus sit usque in finem? Adversarii eum iterum deducent ad sensum fidei: *qui vera fide semel est illuminatus, illum dicunt non posse excidere gratia Dei.* Sed quid, si quis dubitet, an fides illa, quam in sese sentit, sit vera electorum fides? statuunt enim absolute reprobatis non dari veram fidem: Semper igitur dubitare quis cogitur, an sit in numero istorum absolute electorum. Neque hic potest recurri ad effecta fidei, quasi ex illis quis certo statuere possit, se habere illam electorum fidem; quia omnia illa in reprobis quandoque locum habere dicunt, secundum ipsorum reproborum et aliorum opinionem.
IV. 219. Declaremus rem exemplo. Leprosi a Christo sanati (Luc. 17, v. 14.) secundum sententiam Calvini in Comment. non habuerunt veram et vivam fidem electorum propriam. Quid vero in tua fide mihi ostendes, quod non in istorum fide ostendere possim? exprimam id verbis Calvini: *Apparet,* (inquit) *omnes fide quadam* (scilicet temporali, non autem vera, ut postea explicat) *fuisse imbutos, non solum quia Christi opem implorant, sed magistri titulo eum insigniunt. Porro ex animo, non ficte sic locutos esse, ex promta eorum obedientia colligitur, quamvis enim foetidam adhuc scabiem in carne sua conspiciant: simul tamen, ac jussi sunt se ostendere sacerdotibus, parere non detrectant. Adde, quod nunquam nisi fidei impulsu profecti essent ad sacerdotes* etc. Haec Calvinus. Vides signa fidei satis conspicua: confugiunt ad Christum, opem ipsius implorant, certi sunt, et velle et posse ipsum auxiliari, prompte obediunt ejus praecepto: et tamen secundum Calvinum novem ex illis non habuerunt veram fidem electorum propriam. quid vero mihi ostendes in tua fide, quod hanc novem leprosorum fidem praecellat, et quomodo jam de electione ac de perseverantia ex solo fidei sensu poteris esse certus.

184. Nos vero tentatum hominem deducimus ad divinas promissiones, et jubemus in tentatione de perseverantia eum niti his tribus columnis. 1. Dei omnipotentia. 2. Tim. 1, v. 12: *Scio cui credidi, et certus sum, quod is possit meum depositum conservare usque ad diem illum.* 2. Dei fidelitate. 1. Cor. 10: *Fidelis est Deus, qui non sinet vos tentari supra vires.* 3. Dei bona voluntate. Phil. 2, v. 13: *Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere pro sua bona voluntate.* Quo pertinet pulcherrimus locus Bernhardi serm. 3. de fragm. 7. mis: *Tria considero, in quibus tota mea spes consistit; caritatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. Murmuret jam, quantum volet cogitatio mea, dicens: quis tu es, aut quanta est illa gloria, aut quibus meritis hanc obtinere speras? et ego fiducialiter respondebo: Scio cui credidi, et certus sum, quia in caritate nimia adoptavit me; quia verax est in promissione; quia potens in exhibitione.* Haec Bernh. Hoc ergo est, quod dicimus, eum qui tentatur de perseverantia non posse firma aliqua consolatione erigi ab illis, qui defendunt absolutum reprobationis decretum. Si enim dicant, illos, qui vera fide imbuti sunt, non posse perire, aut ex manibus DEI eripi; respondebit homo tentatus, unde scio mihi donatam illam veram electorum fidem? Quaecunque fidei signa ipsi proferes, ostendet ea etiam in illis, qui tandem perierunt, et per consequens ex adversariorum sententia veram fidem electorum propriam non habuerunt. Sic ergo procedet tentatus: illi habuerunt omnia ista signa et effecta fidei, quae in me deprehendo, et tamen postea perierunt, scilicet absoluto quodam Dei decreto rejecti. Ergo nec ego certus esse possum ex fidei sensu, me esse ex numero absoluto electorum, aut perseveraturum. Quid hic respondendum? Nos dicimus Deum ex se et decreto quodam absoluto non moveri, ut quosdam vera fide praeditos vicissim deserat et perire sinat: quia *dona ejus sunt ἀμεταμέλητα.* Rom. 11, v. 29. Sed quicunque vera fide praediti postea vicissim gratia Dei excidunt, illos propria culpa, non autem necessitate absoluti cujusdam decreti perire; quia scilicet libera voluntate se a Deo averterunt. Breviter: causam illius aversionis et finalis interitus quaerimus in propria hominum voluntate: adversarii reducunt eam ad absolutum quoddam DEI decretum, ac proinde non possunt firma consolatione erigere eum, qui de perseverantia tentatur.

Congeries argumentorum contra absolutum decretum.

185. Concludimus ergo, quod absoluto isti reprobationis decreto opponere debeamus misericordiam Dei, qui non vult aliquos perire: satisfactionem Christi pro toto genere humano praestitam: lacrymas Christi, quibus testatur se non delectari hominum interitu; juramentum DEI, quo confirmat se nolle mortem morientis: ministerium verbi, quo Deus etiam illi offert suam gratiam et beneficia Filii, qui damnantur: hominis creationem, quia in Adamo Deus omnes condidit ad vitam aeternam: hominis redem- IV. 22[illegible]
tionem, quia quod in Adamo periit, per Christum iterum est restitutum: Dei vocationem, qua manus suas expandit tota die ad populum etiam incredulum: baptismum, quo regenerat et renovat etiam illos, qui postea propria culpa regenerationis et renovationis gratia excidunt atque pereunt. Sacram coenam, in qua Christus etiam indignis offert corpus suum manducandum pro peccatis ipsorum in mortem traditum et sanguinem suum pro peccatis ipsorum effusum: denique omnes poenas temporales, quibus Deus peccatores ad poenitentiam revocare cupit, atque uno verbo totum Christianismum.

Argumenta pro absoluta reprobatione.

186. Videamus unum atque alterum argumentum, quo absolutam reprobationem stabilire cupiunt. *1. Si peccata essent causa reprobationis, nullus electus esset, cum Deus omnes homines peccatores esse prae-*

1. Peccata non sunt causa reprobationis, quia omnes peccant.

viderit. Ita Bucanus in loco de praedestin. p. 401. Respondemus: 1. Peccata non simpliciter et absolute, sed ratione finalis impoenitentiae et incredulitatis dicimus esse causam reprobationis: invertitur ergo status quaestionis. 2. Pari ratione inferri posset: Si Deus propter peccata damnaret, omnes demnaret, quia in omnibus sunt peccata: et tamen concedunt adversarii, peccata esse causas damnationis. 3. Repetimus igitur dictum D. Lutheri de libert. Christ. et captiv. Babylon. *peccata, in quantum talia, non sunt proxima damnationis causa; sed in quantum haec peccata sub incredulitate manent;* et consideramus emphasin dicti Joh. 3, v. 36: *Qui non credit in filium, ira Dei manet super ipsum. Post lapsum omnes nascuntur natura filii irae.* Eph. 2, v. 3: Soli credentes inveniunt gratiam Dei in Christo, super reliquos manet ira Dei, (Joh. 3, v. 36) quae ad infernum eos tandem deprimit. Colligimus hoc modo: Propter quae in tempore Deus irascitur hominibus, propter id ab aeterno eis irasci constituit: jam vero non absolute, sed propter finalem impoenitentiam et incredulitatem manet super damnatos ira Dei. Ergo etiam non absolute, sed propter finalem impoenitentiam et incredulitatem ab aeterno iis irasci constituit, id est, eos reprobavit. Consideramus etiam dictum Christi Joh. 16, v. 9: *Spiritus s. arguet mundum de peccato, quia non credunt in Christum:* ex quo colligunt D. Augustinus et D. Lutherus, *incredulitatem esse peccatum capitale, qua manente etiam maneant reliqua peccata, qua remota removeantur etiam reliqua peccata et damnatio ipsa.*

2. Confiteor tibi, Pater, quod haec abscondisti sapientibus, Matth. 11.

187. Argum. II. Matth. 11, v. 24. dicit Christus: *Confiteor tibi, Pater, id est, publico praeconio gratias ago, quod abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* V. 25: *ita Pater, quoniam sic fuit beneplacitum* (εὐδοκίᾳ) *coram te. Ergo causa reprobationis est mera Dei εὐδοκία.* Resp.: 1. Christus in praecedentibus v. 20. 21. 22. 23. conquestus erat, evangelium suum a majore parte, et quidem ab illis, qui aliqua sapientiae, dignitatis et potentiae opinione clari erant, contemni: paucos vero et illos quidem quasi ex vulgari plebis faece, ut idiotas, pauperes, simplices, obscuros, contemtos homines, item publicanos et notoriis flagitiis olim infames illud amplecti: hinc demum erumpit in illam gratiarum actionem, ut ostendat fieri hoc non ex imbecillitate et impotentia evangelii, sed bona Dei voluntate. 2. Hinc colligimus, agi hoc loco de consequente seu judiciaria Dei voluntate. Pater per Filium mysteria evangelii proposuit etiam Pharisaeis et reliquis: Sed quia *illi magis dilexere tenebras quam lucem* Joh. 3, v. 19. *quia spreverunt consilium Dei adversus semet ipsos* Luc. 7, v. 30. *quia prae opinione sapientiae propriae stultam evangelii praedicationem contemserunt* 1. Cor. 1, v. 21: ideo Deus justo judicio contemtum illum vindicans abscondit ipsis sua mysteria. 3. Quam expositionem confirmat nativa vis verborum, νήπιος hoc loco opponitur sapientibus et prudentibus; notat igitur non tam aetatem, quam animum puerilem et simplicem. Varinus: νήπιοι sunt μὴ κατὰ βαθεῖαν σύνεσιν γινόμενοι. LXX. usi sunt hoc vocabulo, quando voluerunt reddere Hebraeum Pethi, quod significat simplicem ac credulum, cui facile persuaderi potest. Christus IV. 221.
igitur hoc loco eos vocat νηπίους, *qui captivant omnem intellectum sub obsequium fidei* 2. Cor. 10, v. 5. *Qui fiunt stulti, ut sint sapientes.* 1. Cor. 3, v. 18: perinde sicut alibi jubet, *ut conversi efficiamur sicut parvuli* Matth. 18, v. 3. *non quidem stulta credulitate, crassa ignorantia.* 1. Cor. 14, v. 20. *aut puerili inconstantia* Eph. 4, v. 14. *sed pia simplicitate* et promto affectu verbis Dei credendi, etiam si nostrae rationi videantur stulta; vitae insuper integritate et sancta humilitate etc. Vicissim σοφοὶ καὶ συνετοὶ intelliguntur *sapientes hujus mundi, qui quaerunt sapientiam* 1. Cor. 1, v. 21. *et sunt sapientes secundum carnem* v. 26, id est, qui opinione sapientiae humanae inflati secure contemnunt Dei sapientiam in verbo revelatam, *qui nolunt fieri stulti, ut sint sapientes* 1. Cor. 3, v. 18. Lyranus: *qui confidunt in sapientia humana, illos privari mysteriorum divinorum revelatione, est bona et Dei justa voluntas,* atque inde fit, quod non multos sapientes secundum carnem, nec multos potentes, nec multos nobiles Deus elegerit, ut hac ratione *confundat et stultam faciat sapientiam hujus mundi, et ne glorietur in conspectu ejus omnis caro* 1. Cor. 1, v. 29. Est enim hoc judicium manifestissimum, neminem esse dignum vel idoneum coelestibus thesauris, quos Deus offert per evangelium: sed Deum ex gratuita bonitate sine respectu meritorum et dignitatis praedicatione et Spiritus s. homines illuminare. 4. Proinde etsi ex consequente beneplacito, respiciente evangelii contemtum, Deus nolit sapientes et prudentes evangelii cognitione illuminari, inde tamen non est inferendum, quod absoluta voluntate eos absolute excluserit. Chrysost. in Comm. *primum expendit, quod Christus adspiciens Hierosolymam nolentem agnoscere tempus visitationis suae non laetatur aut exsultat, sed seriis lacrymis testatur, se non delectari interitu impiorum: deinde phrasin hujus loci confert cum dicto Pauli* Rom. 6, v. 17. *Gratia sit Deo, quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinae, in quam traditi estis. Ut ergo eo in loco Paulus non agit Deo gratias, quod Romani olim servierint horrendis peccatis, sed quod Deus illos per conversionem ad obedientiam adduxerit: ita etiam Christi gratiarum actionem non pertinere ad caecitatem sapientum, sed ad illuminationem parvulorum, ut praedicetur bonitas coelestis Patris, quod cum sapientes et prudentes hujus seculi evangelium superbe rejicerent, patefecerit illud parvulis, abjectis et contemtis.* Sed priorem explicationem textui magis consonam esse dicimus.

3. In homine non est causa electionis. Ergo nec reprobationis.

188. Argum. III. *Si causa reprobationis in homine, utique etiam causa electionis in ipso erit. Posterius falsum. Ergo et prius.* Repondemus: 1. est dispar ratio eorum, quae hic inter se conferuntur. Incredulitas ut finalis impoenitentia, propter quam homines a Deo reprobantur et damnantur,

sunt causae meritoriae, propriae et adaequatae istius reprobationis et damnationis; oriuntur ex corruptae nostrae naturae vitio et Diaboli impulsu, nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil Spiritus s. operatur, sed salutaris ad Deum conversio et fides, per quam participes reddimur meriti Christi ad vitam aeternam, et cujus intuitu facta est electio, illa non est causa meritoria vel electionis vel salutis aeternae, nec oritur ex liberi arbitrii viribus, sed est opus Dei. 2. Proinde electionem hominum ad vitam Deo insolidum Scriptura transscribit, a nullo enim alio principio pendet hoc summum divinae gratiae opus, quam a Deo et aeterno ejus decreto, quod in Christo fundatum et certa mediorum τάξει est ordinatum, sed eadem Scriptura reprobationis causam in hominibus ipsis statuit. 3. Et quamvis juxta modum agendi ordinarium Deus non convertat illos, qui verbum non audiunt, qui ministros verbi contemnunt et persequuntur, qui verbum blasphemant et Spiritui s. resistunt, tamen inde non sequitur, in homine situm esse ut convertatur, siquidem quod homo per verbi auditum convertitur, Spiritus s. opus est, non autem humanarum virium. Quod removet prohibens, non statim est causa afficiens.

4. Judaei IV. 222. sunt ex olea defracti, ut gentes insererentur, Rom. 11.

189. Argum. IV. *D. Apostolus* Rom. 11, v. 19. et 20. *videtur per concessionem probare illud objectum: Defracti sunt rami, ut ego insererer; subjungit enim χαλῶς, bene. Ergo necessarium fuit defringi ramos, id est, populum Judaicum absoluto decreto Dei reprobari, ut possent gentes inseri, hoc est, ad regnum Christi et consortium salutis vocari.* Respondemus: plus est in consequente, quam ex antecedente colligi potest. Nam 1. totus capitis istius contextus absolutae reprobationi repugnat, sic enim apostolus v. 20. τῇ ἀπιστίᾳ ἐξεκλάσθησαν, *sua incredulitate*, per et propter incredulitatem *fracti sunt.* v. 22. *vide ergo bonitatem et severitatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt severitatem, in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris.* v. 23: *sed et illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur.* 2. Rejectionem Judaeorum non constituit apostolus causam insertionis et assumtionis gentium, diserte enim scribit v. 11. *nunquid sic offenderunt* (Judaei), *ut caderent? absit, sed ipsorum delicto salus* (obtigit) *gentibus, ut illi aemularentur*, hoc est, Judaeorum lapsus occasionem praebuit vocationi gentium, ne quis vero existimet, si in fide perstitissent Judaei, non fuisse ad evangelii consortium admittendos gentiles, ideo sujicit apostolus argumentum a comparatis minoribus. v. 12: *quod si delictum* (lapsus) *illorum* (Judaeorum) *divitiae sunt mundi, et diminutio eorum divitiae gentium, quanto magis plenitudo eorum*, hoc est, si lapsus Judaeorum exstitit salutaris gentibus; multo magis restitutio eorum fuerit eis salutaris, videlicet sublato scandalo, quod ex Judaeorum apostasia et odio adversus evangelium oriebatur. 3. Non ergo causa, sed tantum occasio vocationis gentilium in propbetis praedicta fuit Judaeorum lapsus et rejectio, quod declarari potest parabolis Christi et pronuntiatis apostolicis. Matth. 21, v. 41: *Dominus vineae malos colonos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent fructum temporibus suis.* v. 43: *auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.* Matth. 22, v. 9: *dum renuunt invitati venire ad nuptias, mittit rex servos suos ad exitus viarum, ut vocent quoscunque invenerint.* Luc. 14, v. 21: *Iratus paterfamilias ob contemtum vocationis ad coenam jubet servo, ut exeat in plateas et vicos civitatis ac introducat pauperes, debiles, caecos et claudos.* Actor. 13, v. 46: *Paulus et Barnabas magna παῤῥησίᾳ Judaeos ita alloquuntur; vobis oportebat primum annuntiari verbum Dei, sed quia repellitis illud et vos ipsos indignos judicatis vita aeterna, ideo ecce convertimur ad gentes.* v. 47: *Sic enim praecepit nobis Dominus.* Ex quibus omnibus patet, voculam ἵνα non causam, sed occasionem denotare.

CAPUT XI.

DE SCHOLASTICORUM ET PONTIFICIORUM IN HOC ARTICULO SENTENTIA.

190. Hactenus copiose et ut spero manifeste ostendimus, nec electionis nec reprobationis decretum statuendum esse absolutum, quod utrumque cum faciant illi, qui Calvinum sequuntur, multis se involvunt difficultatibus atque erroribus aliis. Restat ut Scholasticorum et Pontificiorum hac de re sententiam examinemus. Praedestinationem definiunt Scholastici, *quod sit praeordinatio alicujus creaturae rationalis ad gratiam in praesenti et gloriam in futuro:* reprobationem, *quod sit praescientia culpae et praeparatio poenae.*

191. Si vero quaeratur de causa electionis et reprobationis, variae se offerunt sententiae. Quidam Scholastici fere idem cum Pelagianis sentiunt, quidam ab eis discedunt. Pelagiani olim docuerunt, praevisa hominum merita esse causam vel electionis vel reprobationis, statuerunt enim in hominis esse potestate, gratiam, qua creditur et bene vivitur, vel accipere vel respuere; ergo prout praeviderit DEUS homines vel bene vel male suo libero arbitrio in gratia vel accipienda vel respuenda usuros, ita eum vel ad augmentum gratiae et tandem ad gloriam aeternam illos praedestinasse, vel ad subtractionem prioris etiam gratiae et tandem ad mortem aeternam reprobasse. Augustinus de praedest. sanct. c. 18: *Praesciebat Deus, ait Pelagianus, qui futuri essent sancti et immaculati per liberae voluntatis arbitrium, et ideo eos ante mundi constitutionem in ipsa sua praescientia, qua tales futuros esse praescivit, elegit; elegit ergo, inquit, antequam essent, praedestinans filios, quos futuros sanctos immaculatosque prae-*

Schol stico dispu tione praed stina tione IV. 2

scivit. Idem epist. 105. ad Sixtum: *Pelagiani dicunt Deum spectasse opera praevisa.* Semipelagianorum sententiam describit Prosper in epistola ad August., quae exstat tom. 7. operum August.: *Haec ipsorum definitio ac professio est, omnem quidem hominem Adam peccante peccasse, et neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione salvari; universis tamen hominibus propitiationem, quae est in sacramento sanguinis Christi sine exceptione esse propositam, ut quicunque ad fidem et ad baptismum accedere voluerint, salvi esse possent: qui autem credituri sunt, quive in ea fide, quae deinceps per Dei gratiam juvanda, mansuri sunt, praescisse ante mundi constitutionem Deum et eos praedestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos dignos futuros electione et de hac vita bono fine excessuros esse praeviderit.* Breviter statuerunt, fidei initium esse ex nobis ipsis, incrementum a Deo, ideoque electionem factam juxta praescientiam illius boni motus, quo nos ad fidem et Dei gratiam acceptandam ex nobis ipsis applicamus.

Scholastici quidam in hac quaestione sequuntur Pelagium.

192. Ab hac sententia Pelagiana non multum abeunt Occam et Biel. Sic enim secutus suum Occamum scribit Biel 1. sent. distinct. 41. quaest. unic. artic. 1: *Causa quandoque denotat rem aliquam ad cujus esse sequitur aliud tanquam effectus, quandoque notat quandam prioritatem unius propositionis ad aliam secundum consequentiam: priore modo nulla est causa praedestinationis et reprobationis in homine, sed tantum posteriore.* artic. 2: *reprobationis causa est finalis impoenitentia. Alicujus praedestinationis est aliqua causa, quia aliqui ideo praedestinantur, quia praevidet Deus in eis bonum usum liberi arbitrii et merita, sed alicujus praedestinationis nulla est causa vel ratio totalis, quia aliqui ex gratia speciali ordinantur ad vitam aeternam, ita quod sibi ipsis non sint derelicti, sed praeventi, ne ponere possint obicem, et ne possent peccare vel in peccatis permanere, ut Beata Virgo, Paulus: in illis non est bonus usus liberi arbitrii, quia gratia praevenit usum liberi arbitrii.* artic. 3: *proprie effectus praedestinationis est vita aeterna, si tamen etiam ad media extendas, dic quod in multis praecedit gratiam bonus usus liberi arbitrii tanquam meritum de congruo.* artic. 4: *In potestate est hominis bene vel male uti suo arbitrio, ponere obicem gratiae et positum removere. Sicut Deus praecognovit electi salvationem, ita et omnes actus meritorios, quibus salvabitur, et cognatos.* Haec Biel.

Contra praevisionem operum.

193. Huic sententiae Pelagianae de praevisione meritorum, propter quam facta sit electio, graviter in plurimis locis adversatur Augustinus, praesertim in libro de praedestinatione sanctorum, et in libro de bono perseverantiae, in quibus 1. ostendit, ipsum initium fidei esse ex Dei gratia, perseverantiam esse donum Dei, imo ipsam vitam aeternam esse donum gratuitum. 2. Profert exemplum infantum, qui ex gratia per baptismum regeniti absque meritis salutis fiunt participes. 3. In Christo tanquam electorum capite et mediatore exemplar gratuitae electionis propositum esse docet. 4. Urget multa Scripturae loca contra Pelagianam illam sententiam. 1. Reg. 19, v. 18: *reliqui mihi septem milia, non ait, reliquerunt se mihi, sed ego reliqui.* Joh. 15, v. 16: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Rom. 9, v. 11: *Cum nondum nati fuissent* (Jacobus et Esau) *aut aliquid boni vel mali fecissent, ut secundum electionem propositum DEI maneret; non ex operibus, sed ex vocante dictum est, major serviet minori.* IV. 224.
Epes. 1, v. 5: *elegit nos Deus in Christo ante jacta mundi fundamenta, ut essemus sancti et immaculati,* (non quia futuri eramus sancti.) Augustinum sequuntur Prosper et Fulgentius.

Argumenta ex cap. 1. Ephes.

Possunt addi multa argumenta ex primo cap. Ephes., quod est propria sedes hujus articuli. 1. ipsa vox eligendi notat gratuitam dilectionem, ut ostendimus thesi 26. §. 2. *Natura sumus omnes filii irae* Ephes. 2, v. 3. *2. Elegit nos Deus in Christo* Ephes. 1, v. 4. Ergo in nobisipsis nihil invenit, propter quod nos eligeret. Si propter nostram dignitatem eligi potuissemus, quid opus fuisset Christo? 3. Finis non ingreditur rei actum; bona opera sunt ex parte finis electionis, Eph 1, v. 5: *elegit nos, ut essemus sancti. 4. Elegit nos Deus ante jacta mundi fundamenta.* Ergo opera nostra non moverunt eum, ut nos praedestinaret. *5. Deus praedestinavit nos in se ipso* Ephes. 1, v. 5. Ergo in nobis ipsis nihil invenit, propter quod nos praedestinaret. *6. Praedestinavit nos secundum propositum voluntatis suae* Ephes. 1, v. 5. Ergo illud est causa praedestinationis, non propositum voluntatis nostrae. *7. Elegit nos DEUS in laudem gloriosae et praedicandae gratiae suae* Ephes. 1, v. 6. Ergo non propter opera nostra: *Si enim ex gratia, jam non ex operibus* Rom. 11, v. 6. 8. Illa Dei gratia est electionis nostrae causa, *qua nos Deus sibi gratos habuit in dilecto filio suo* Eph. 1, v. 6. Atqui ille Dei favor est plane gratuitus. *9. Elegit nos Deus ab aeterno, καθὼς, sicut in tempore nobis benedicit in Christo* Eph. 1, v. 7. Atqui benedicimur in tempore ex mera et gratuita Dei gratia. Justificatio non pendet ex operum merito. Ergo nec electio. Nec opera ante justificationem, nec opera post justificationem possunt esse causa electionis, non illud, quia opera non placent DEO, antequam persona Deo placeat: nec hoc, quia illa opera sunt dona gratiae, non merita gratiae.

Dictum Scripturae pro stabilienda operum praevisione, 2. Tim. 2. explicatur.

194. Proferri solet locus 2. Tim. 2, v. 20: *In magna domo non tantum sunt vasa aurea et argentea, sed etiam lignea et testacea, et alia quidem ad decus, alia ad dedecus. Si quis igitur se ipsum emundaverit ab illis, erit vas ad decus, sanctificatum et usibus domini accommodatum; ex quo colligere nituntur, esse in hominis potestate positum, a peccatis se emundare, et ab emundatione illa pendere, ut simus vasa ad decus, h. e. electi.* Respondemus: 1. emundationem illam in hominis nondum regenerati potestate positam esse apostolus non dicit, neque operibus nostris causam electionis transscribit,

sed de effectis atque τεκμηρίοις electionis agit, ex quibus scilicet signis manifestum fiat, qui sint vasa ad decus, qui sint in electorum numero, videlicet qui a doctrinae ac vitae immunditie Spiritus s. efficacia se emundant. 2. Quod enim jubemur nos ipsos emundare, nondum probat ex nobis id nosmet ipsos posse, *siquidem non sumus idonei cogitare aliquid boni ex nobis, tanquam ex nobis.* 2. Cor. 3, v. 5: *Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere* Phil. 2, v. 13, *sed possumus illud ex novis illis datis a Deo viribus.* 3. Vox ergo *ERIT* idem denotat, quod declarabitur, cognoscetur, manifestabitur. Matth. 5, v. 44: *diligite inimicos vestros,* v. 45: *ut sitis filii Patris coelestis.* Joh. 8, v. 31: *si in sermone meo manseritis, vere discipuli mei eritis.* Nota est regula, multa tunc fieri dicuntur, quando facta esse manifestantur. 4. Totus contextus hanc expositionem confirmat; occurrere voluit apostolus scandalo ex apostasia Hymenaei et Phileti magni nominis doctorum orto, dicit ergo: neminem debere ea offendi, cum in ecclesia sint non soli electi, sed reprobi, sicut in domo magna vasa non solum aurea et argentea, sed etiam lignea et testacea: ac Deum quidem a priori et simpliciter nosse, qui sint sui, nos vero non posse eos cognoscere, nisi ex effectis, videlicet eos esse electos, qui se per Spiritus s. gratiam ab impia doctrina et vita emundant.

Scholastici quidam a Pelagio videntur discedere. IV. 225.

195. Atque haec dicta sint de sententia Occami et Bielis, quae ad Pelagianam proxime accedit, quam nostro seculo secutus est Alb. Pighius: reliqui Scholastici videri possunt modestiores. Lombard. 1. sent. dist. 41. Sect. 1. *obdurationis meritum invenimus, misericordiae autem meritum non invenimus, quia nullum est misericordiae meritum, ne gratia evacuetur, si non gratis donatur, sed meritis redditur* etc. *Cum gratiae, quae apponitur homini ad justificationem, nulla sint merita, multo minus et ipsius praedestinationis, qua ab aeterno elegit DEUS, quos voluit, aliqua praeexsistere possunt merita: ita nec reprobationis, qua ab aeterno quosdam praescivit futuros malos et damnandos, sicut elegit Jacob et reprobavit Esau, quod non fuit pro meritis ipsorum, quae tunc habebant, quia nulla habebant; quoniam nec ipsi exsistebant, nec propter futura merita, quae praevideret, vel illum elegit vel illum reprobavit.* Thom. p. 1. qu. 23. art. 5. *Quare hos Deus eligat, et non illos, non habet rationem nisi divinam voluntatem, neque est hic iniquitas, quia praedestinatio est ex gratia. Ratio praedestinationis et reprobationis sumitur ex ipsa bonitate divina, necesse enim est, quod divina bonitas, quae in se est una et simplex, multiformiter repraesentetur in rebus, quia res creatae ad simplicitatem divinam attingere non possunt, requiruntur ergo diversi gradus rerum; ut multiformitas graduum servetur, Deus permittit aliqua mala fieri, ne multa bona impediantur.* Idem: *Si consideretur genus humanum velut universitas quaedam, voluit Deus quosdam salvare per misericordiam, quosdam reprobare per justitiam.* Ad quaestionem an praescientia meritorum sit causa reprobationis, ibidem respondet: *Effectum praedestinationis considerari posse. 1. in particulari et sic aliquem effectum praedestinationis esse causam et rationem alterius; posteriorem prioris, secundum rationem causae meritoriae, sicut si dicamus, quod DEUS praeordinaverit se daturum alicui gloriam ex meritis, et quod praeordinaverit se daturum gratiam, ut mereretur gloriam; 2. in communi et sic impossibile esse, quod detur causa totius praedestinationis effectus ex parte nostra, quia quicquid comprehenditur sub effectu praedestinationis, fiat per auxilium divinum, etiam ipsa praeparatio ad gratiam.* Thren. ult. *Converte nos, DOMINE, et convertemur; habet tamen hoc modo praedestinatio pro ratione divinam bonitatem.* Haec Thomas. Bonaventura 1. sentent. distinct. 41. quaest. 1. ad quaestionem: Utrum praedestinatio vel reprobatio in nobis habeat causam meritoriam? Sic respondet: *Notandum quod in praedestinatione tria intelliguntur: Primum est propositum aeternum; secundum est temporalis gratificatio; tertium vero aeterna glorificatio. Similiter in reprobatione intelliguntur tria, scilicet aeternum odium, temporalis obduratio, et aeterna damnatio. Quantum ad primum et ultimum similiter est judicandum, nam ultima scilicet poena et gloria simpliciter cadunt sub merito. Primum vero, scilicet propositum aeternum, eo ipso, quo aeternum est, meritum habere non potest. Quantum vero ad medium, quod est gratificatio et obduratio, differenter est judicandum; nam obduratio simpliciter cadit sub demerito, sive sub malo merito: gratificatio vero nec simpliciter sub merito, nec simpliciter extra meritum. Est enim meritum congrui digni et condigni. Meritum congrui est, quando peccator facit, quod in se est et pro se. Meritum digni, quando justus operatur pro alio. Meritum condigni, quando justus operatur pro se ipso, quia ad hoc ordinatur gratia ex condigno. Gratia autem alteri promerenda non est omnino ex condigno, quia peccator omni bono est indignus; nec solum ex congruo, quia justus dignus est exaudiri: Gratificatio ergo sub merito congrui potest cadere, quoad ipsum gratificandum; sub merito digni quantum ad alium virum sanctum; sub merito congrui, quantum ad neutrum, et hoc proprie loquendo est meritum.* Ibidem quaest. 2. Bonaventura quaerit: Utrum praedestinatio et reprobatio habeant in Deo rationem motivam? ad quam sic respondet: *cum quaeritur, utrum aeternum Dei propositum sive electio vel reprobatio in Deo motivam rationem habeat, hoc non intelligitur quantum ad voluntatem divinam vel ejus actum, qui Deus est; sed quantum ad ordinationem voliti ad ejus voluntatem. Et si quaeratur ratio causalis vel meritoria, respondetur,* IV. 2
quod dari non possit; si autem quaeratur ratio congruitatis et decentiae, respondent quidam, quod ipsa Dei voluntas sibi ipsi est ratio, nec est alia ratio, quare istum elegit, nisi quia placet etc. *Sed*

cavendum est (ait Bonavent.), *ne, dum voluntatem Dei magnificare volumus, potius voluntati ejus derogemus* etc. *Propter hoc dicendum, quod propositum illud aeternum et voluntas illa est rationabilissima et rationem habet, et sicut ab aeterno fuit, ab aeterno rationem habuit, non aliam propter essentiam, sed propter connotatum. Quid autem sit illud in electione hominum vel reprobatione, nobis non est omnino notum, nec omnino ignotum. Propter hoc notandum, quod quaedam sunt opera, quae exeunt a voluntate divina cum alio ad hoc ordinato ordine necessitatis, sive necessitatem sumamus in causando, sive in merendo vel disponendo, et respectu talium divina voluntas rationem habet in generali et speciali. Sic si quaeratur, quare Deus magis vult salvare Petrum quam Judam, respondetur, quia iste habuit bona merita, ille mala: quaedam autem sunt opera, quae sunt a voluntate divina cum alio ad hoc ordinato ordine congruitatis, sicut est nostra gratificatio vel justificatio, quae est a divina voluntate cum operatione et praeparatione liberi arbitrii: attamen quandoque Deus sine praeparatione et cooperatione justificat, ut patet de sanctificatis in utero, et respectu talium operum habet rationem voluntatis in generali et in speciali, sed in generali certam, in speciali occultam. Si enim quaeritur, quare Deus vult justificare,* resp. *ad misericordiae suae ostensionem: et si quaeritur, quare non vult omnes homines justificare voluntate beneplaciti; dicendum, quod est hoc propter justitiae suae ostensionem. Si quaeratur in speciali, quare magis vult justificare unum, quam alium duobus similibus demonstratis, quia multae possunt esse rationes congruentiae, ideo non est certitudo a parte rei et ideo cum cognitio nostra pendeat a certitudine rei, nullus potest invenire certam rationem, nisi habeat per revelationem.* Haec omnia Scholastici, qui quoquo se vertant, coguntur ex suis hypothesibus statuere electionem factam esse ex praescientia meritorum, cum statuant homines ex congruo mereri justificationem et ex condigno glorificationem.

Bellarmini sententia de praedestinatione.

196. Quid vero de praedestinatione statuunt Jesuitae? Bellarminus postquam aliquot propositiones formaverat de auxilio gratiae Dei, tandem subjungit lib. 2. de grat. et libero arbitr. c. 9. Col. 603: *Quamvis gratia sufficiens omnibus detur, tamen praedestinationis divinae nullam rationem ex parte nostri assignari posse. Per nomen rationis dicit se excludere non solum merita proprie dicta, sed etiam bonum usum liberi arbitrii, aut gratiae, aut utriusque simul a Deo praevisum, etiamsi non dicatur esse meritum, sed tantum conditio, sine qua non praedestinaretur is, qui praedestinatur.* Addit etiam, *licet ex parte nostra non possit assignari ratio, tamen ex parte DEI assignari posse causam in genere, scilicet ut ostendatur misericordia et justitia ejus, in particulari quoque dubitari non posse, quin DEO non desit sua ratio, quare istum potius quam illum praedestinare voluerit ad vitam, quamvis ea nobis sit occulta.* Haec Bellarminus, qui in eo primum peccat, quod praedestinationem sive electionem (fatetur enim ipse esse hos terminos reciprocos) sumit pro nuda intentione dandi vitam aeternam, ut ex sequentibus patebit clarius: at scriptura hoc propositum, hanc voluntatem, hanc εὐδοκίαν DEI ab ipsa electione distinguit, dum dicit, *DEUM praedestinasse nos secundum propositum voluntatis suae.* Eph. 1, v. 5. *juxta beneplacitum suum, quod proposuit in semet ipso.* v. 9. *praedestinatos nos esse secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae,* v. 11. dum electos ita describit; *quod sint secundum propositum vocati* Rom. 8, v. 28. Ergo electio non est ipsum illud Dei propositum, sed juxta propositum facta. Fatemur esse meram et absolutam gratiam, quod Deus ab aeterno decrevit homines salvare, quia si maxime nullos salvasset, (id est, si vel homines non condidisset ad vitam aeternam, vel ex lapsis IV. 227.
hominibus nullos elegisset ad vitam) tamen perfectus et beatus permansisset in se ipso, (quo spectant omnia illa, quae speciose Bellarminus profert, de exclusis meritis et bono usu liberi arbitrii vel gratiae ab actu praedestinationis) sed hanc benevolam Dei voluntatem, hoc propositum Dei solum, Scriptura nuspiam vocat electionem, vel praedestinationem, sed dicit nos electos esse in Christo, electionem factam κατὰ πρόγνωσιν, electos esse τοὺς μέλλοντας πιστεύειν etc.: ex quibus et similibus locutionibus apparet, electionis actui τάξιν mediorum et praescientiam fidei in Christum includi, quod clarius sic ostendo. Voluit Deus ab aeterno omnes homines salvos fieri, quia adhuc in tempore illud vult. 1. Timoth. 2, v. 4. (Sed haec Dei voluntas nondum est ipsa electio), creavit ergo omnes in Adamo ad vitam aeternam; praevidit autem Adamum cum omni posteritate lapsurum, decrevit ergo in remedium lapsus mittere Filium, qui omnibus vicissim hominibus vitam repararet; sed quia medicina non prodest absque applicatione, decrevit etiam beneficia Filii per verbum toti mundo offerre, et Spiritus sancti efficacia fidem in cordibus hominum accendere; praevidit autem quosdam furenter verbum et oblata bona repudiaturos, quosdam tantum efficacia Spiritus sancti per verbum perseveranter in Christum credituros; hanc praescientiam demum secuta est reprobatio; illos enim reprobavit, hos vero in Christo elegit.

Ordo decretorum divinorum in praedestinatione juxta Bellarm.

197. Ex hac delineatione ordinis in decretis divinis facile colligi potest, quid statuendum sit de ordine praedestinationis in mente divina, quem Bellarminus in hoc ipso c. 9. Col. 605. nobis describit. *Primum* (inquit) *praevidit Deus, si hominem conderet, eum lapsurum cum omni posteritate, et simul vidit, posse se variis modis liberare vel omnes vel aliquos pro arbitratu suo.* 2. *Voluit hominem condere ac ut laberetur permittere et quosdam ex numero lapsorum misericorditer liberare, aliis in massa perditionis juste relictis.* 3. *Excogitavit remedia salvandis electis idonea, in quibus primum locum*

habuit incarnatio et passio Salvatoris. 4. *Approbavit ea remedia et tunc elegit Christum, et nos in ipso, ante mundi constitutionem.* 5. *Disposuit, ordinavit et quomodo* (forte legendum quodammodo) *imperavit, ut ita fieret.* Hactenus Bellarminus, qui sibi ipsi et Scripturae fortiter adversatur. Quod sibi ipsi adversetur, sic ostendo: lib. 2. de grat. et lib. arbitr. c. 5. col. 583. dum probare vult, auxilium sufficiens ad salutem pro loco et tempore mediate vel immediate omnibus dari, profert locum 1. Timoth. 2. Deus vult omnes homines salvos fieri atque eum secutus Augustinum sic exponit: Deum velle omnes homines salvos fieri, quia det omnibus unde possint velle credere et salvari, concedit etiam Christum pro omnibus hominibus pretium redemtionis solvisse, et quidem ex consilio Dei, quod si voluntas Dei benevola de salvandis omnibus hominibus universalis est, si meritum Christi universale, cur hoc loco dicit Bellarminus: *Deum voluisse quosdam tantum ex numero lapsorum misericorditer liberare, aliis in massa perditionis juste relictis?* imo vero omnes voluit liberare et salvare, quia omnibus CHRISTUM redemtorem misit. Quod Scripturae adversetur, ex superioribus facile intelligi potest, illa enim alium ordinem nobis describit: Primum et antiquissimum decretum DEI de homine illud est: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* alterum: *De omni arbore comedas praeterquam de arbore scientiae boni et mali, quacunque die comederis de illa, morte morieris;* propter transgressionem hujus praecepti homo lapsus cum omnibus posteris morti aeternae subjectus est: tum demum sequitur decretum evangelicum de semine mulieris contrituro caput serpentis, in quod qui credit, sit salvandus, ex quo talis ordo praedestinationis in mente divina colligitur: 1. Decrevit Deus ab aeterno ex mera bonitate hominem ad sui imaginem et vitam aeternam condere. 2. Praevidit autem hominem lapsurum et cum omni sua posteritate aeternae mortis reum futurum; iterum ergo ex mera bonitate constituit homini ferre auxilium
IV. 228. ac decrevit mittere Filium in carnem, ejusdemque beneficia per verbum hominibus offerre ac fidem in cordibus eorum operari, per quam beneficiorum Filii et aeternae salutis fiant participes. 3. Praevidit autem quosdam tantum per illud verbum efficacia Spiritus sancti credituros, reliquos sua culpa in impoenitentia et incredulitate permansuros: illos elegit, hos reprobavit. Decretum ergo electionis substernit decretum creationis et πρόγνωσιν lapsus, decretum de missione Filii et πρόγνωσιν fidei. Peccat ergo Bellarminus in hisce capitibus: 1. quod praetermittit primum Dei decretum de omnibus in Adamo ad vitam aeternam creandis; 2. quod statuit Deum variis modis potuisse liberare vel omnes vel aliquos: nos secuti Scripturam statuimus, nullum aliud remedium homini lapso inveniri potuisse, quam incarnationem et passionem ipsius Filii Dei; 3. quod statuit, Deum absolute quosdam prius elegisse, ac illis demum postea remedia salutis excogitasse, cum tamen Scriptura dicat nos in Christo electos esse; 4. quod inter remedia solis electis destinata refert incarnationem et passionem filii, cum tamen Christus toti mundo sit missus et sanguinem suum pro omnibus effuderit; 5. quod nullam faciat mentionem fidei, cum tamen in Christo elegi non potuissemus absque fidei intuitu.

198. Sed enim ne videatur Bellarminus praescientiam meritorum ab electione plane excludere, profert novam distinctionem libr. 2. de grat. et lib. arbitr. c. 14. col. 627. *Electio aeterna* (inquit) *duobus modis considerari potest; primo modo, ut est intentio dandi gloriam; secundo modo, ut est dispositio executionis et quasi executio in mente divina. Priore modo electio est mere gratuita, et nullam praerequirit operum praevisionem; posteriore modo praeexigit meritorum praevisionem, non enim vitam aeternam sub ratione praemii Deus dare disposuit, nisi iis quos bene operaturos esse praevidit.* Addit etiam col. 628: *DEUM prius voluisse electis gloriam quam bona opera, quoad intentionem, sed quoad voluntatem executionis, quae respicit gloriam, ut effectum meritorum, prius voluisse Deum electis dare bona merita quam gloriae coronam et hoc modo elegisse Deum ad gloriam ex praevisione meritorum bonorum.* Hactenus Bellarminus, qui 1. adversatur Scripturae, quae nunquam et nuspiam electionem accipit pro nuda intentione dandi gloriam. 2. Diserte comprobat eorum sententiam, qui ex praevisione meritorum electionis rationem deducunt, et sic una litura tollit, quicquid copiose hactenus contra eos disseruit. Non illi tam injurii sunt in Dei gratiam, ut statuant, Deum praevisis hominum meritis motum, ut bonam illam voluntatem de hominum salute conciperet, sed causam, quare Deus hos, non illos elegerit, quaerunt in praevisione meritorum, quod cum Bellarminus diserte ipsis concedat, quid est, quod eos ulterius oppugnet? 3. Quin imo non potest salvis suis hypothesibus Bellarminus aliter statuere, quam electionem esse factam ex meritorum praescientia. Quomodo Deus in tempore homines actu salvat, eo etiam modo ab aeterno eos salvare constituit, quam regulam probat immutabilitas divinae voluntatis et sequentia Scripturae dicta: Roman. 8, v. 29: *Quos praedestinavit, hos et vocavit; quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, hos et glorificavit.* Ephes. 1, v. 3: *Benedixit nobis DEUS in Christo.* v. 4: καθώς, *sicut elegit nos in ipso.* 2. Timoth. 1, v. 9: *DEUS liberavit et vocavit nos vocatione sancta secundum propositum suum et gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia.* Atqui ex sententia Bellarmini propter merita bona Deus in tempore homines salvat. Ergo etiam ab aeterno propter bona merita eos salvare constituit, hoc est, ad vitam aeternam eos elegit. Suis proinde cruribus asciam illidit Bellarminus, quando operose et copiose disputat, electionem non esse factam absque ulla operum praevisione. Si enim gratuita electio est, utique etiam gratuita est nostra

An Bellarminus excludat praevisionem meritorum ex election decreto.

salus. Quod ab aeterno non movit Deum, ut nos elegerit, illud etiam in tempore non movet eum, ut nos salvet. Quod Deus ab aeterno non respexit, ut propter illud nos eligeret, illud etiam in tempore
IV. 229. non respicit, ut propter illud nos salvet. Non est *quod distinguatur inter decretum et executionem electionis*, quasi illud gratuitum, non autem haec ipsa, quia decretum et executio sibi exactissime omnino correspondent, ut suo loco uberius ostendimus.

Bellarmini sententia de reprobatione.

199. De reprobatione ita scribit Bellarminus lib. 2. de grat. et lib. arbit. c 16. col. 635: *Reprobatio comprehendit duos actus, alterum negativum, cujus nulla est causa ex parte hominum; alterum positivum, cujus causa est peccati originalis actualisve praevisio.* col. 636. *Reprobi opponuntur electis contradictorie et contrarie. Primum enim non habet, Deus voluntatem illos salvandi, deinde habet voluntatem damnandi. Quod attinet ad priorem actum, nulla datur ejus causa ex parte hominum, sicut neque praedestinationis; posterioris autem datur causa praevisio peccati.* Haec Bellarminus. Respondemus: 1. hoc Bellarmino quidam ex discipulis Calvini non inviti concedent. Sic enim Perkinsus de praedest. p. 25: *Reprobationis actus duplex est: Prior est propositum deserendi quosdam homines, justitiamque in eis declarandi; hic oritur ex mero Dei beneplacito, nullo habito respectu vel boni vel mali in creatura; nam voluntas Dei est causa causarum, et proinde Deus pro summo jure suo vasa ad iram facit, non invenit. Secundus actus est ordinatio ad poenam sive justum exitium, quam ordinationem facit aliam simplicem, aliam comparatam.* Sic Keckerm. in system. Theol. p. 208: *Prior actus reprobationis est propositum Dei deserendi quosdam homines et sibi relinquendi: hic actus est absolutus pendens a solo et absoluto Dei arbitrio; alter actus est decretum damnandi propter peccata. Hic actus non est absolutus, sed continet respectum ad conditionem peccati.* Sic Trelcatius in locis p. 29. *vocat primum actum praeteritionis, quem Scholastici vocant reprobationem passivam et negativam; alterum praeparationis poenae seu praedamnationis ab aeterno, quem Scholastici vocant reprobationem affirmativam et activam; priorem dicit esse absolutum, non posteriorem;* hi certe facile transigent cum Bellarmino. 2. Distinctio haec extra Scripturam, imo contra eam est excogitata, quia illa praeteritio, illa non-electio, illud propositum deserendi, nihil aliud est quam ipsum decretum damnationis, Deus enim neminem praeterit in sua ad vitam aeternam electione, qui non sit propter suam impoenitentiam et incredulitatem damnationi adjudicatus. Confer descriptiones reproborum ex Scriptura proprositas thesi 44. 3. Distinctio haec non satisfacit Scripturae dictis, quae ostendunt causam exitii tantum in homine ipso quaerendam. Si enim quaeras, cur Deus aliquos non elegerit, aliud responderi nequit, quam quia constituit eos damnare, omnia enim agit Deus certo fine, proinde non potest dici, quod ex absoluto odio quosdam praeterierit sive non elegerit; sed sicut in tempore propter finalem impoenitentiam et incredulitatem damnat, ita ab aeterno propter easdem causas quosdam damnare constituit, hoc est, reprobavit, sive actum negativum non eligendi, sive actum positivum poenis adjudicandi nomine reprobationis intelligas. 4. Distinctio haec ipsi Bellarmino adversatur. Si enim ex animo statuit, Deum omnibus hominibus sufficiens auxilium ad salutem dare; si ex animo credit, Christum pretium redemtionis pro omnibus obtulisse, quomodo potest dicere, Deum absoluto odio quosdam praeterire, ita ut reprobationis illius negativae non detur causa ex parte hominum? Quod attinet locum Rom. 9, v. 11. *antequam boni vel mali quippiam egissent* etc., quem potissimum urget Bellarminus, is suo loco uberrime est expositus.

CAPUT XII. IV. 230.

DE ORIGENIS, PRAEDESTINATORUM ET HUBERI IN HOC ARTICULO SENTENTIA.

Origenis de praedestinatione sententia.

200. Egimus hactenus de sententia Pelagianorum, qui causam electionis in praevisis hominum meritis quaerunt, cum quibus idem vel certe propemodum idem sentire coguntur Jesuitae, si velint θέσιν suam de meritis operum φυλάττειν, et nomine electionis non intelligere nudam intentionem dandi gloriam, sed ipsam executionis dispositionem, prout Scriptura hac voce utitur. In scriptis veterum praeter Pelagianam hujus articuli depravationem mentio fit aliarum duarum erronearum sententiarum, videlicet primo *Origenis, qui statuit, omnes omnium hominum animas initio simul fuisse creatas in coelo, ibique alias peccasse, alias non peccasse, pro diversitate autem praeteritorum meritorum bonorum vel malorum diversa etiam corpora et diversos status animas illas in hoc mundo sortiri, Deum igitur merita cujusque animae antequam uniatur corpori in coelo praeexsistentis praevidisse, atque ita secundum cujusque animae ante unitionem cum corpore merita alios ad vitam alios ad mortem praedestinasse; quin etiam addebat, omnes tam reprobos quam electos tandem servatum iri.* Hujus erroris mentionem facit August. tom. 10. serm. 7. de verbis apostoli: *Multi de isto profundo quaerentes reddere rationem, in fabulas vanitatis abierunt. Alioqui dixerunt quia animae sursum in coelo peccant, et secundum sua peccata ad corpora pro meritis diriguntur, et dignis sibi quasi carceribus includuntur. Ierunt post cogitationes suas, loqui volentes de DEI profundo mersi sunt in profundum. Occurrit enim illis apostolus volens gratiam commendare, et elegit illos geminos in utero Rebeccae et dicit:*

nondum enim natis, nec quia aliquid egerunt boni aut mali. Vide quemadmodum tulit vanis hominibus phantasias conversationis animarum ante corpus in coelo. Si enim ibi jam conversatae sunt, jam aliquid boni egerunt vel mali, et pro meritis suis ad corpora terrena detrusae sunt etc. Deinde apud Sigebertum in chronicis an. 415. mentio fit haereticorum quorundam, quos ipse vocat ex dogmate suo praedestinatos. *Praedestinatorum haeresis* (inquit) *hoc tempore coepit serpere, qui ideo praedestinati vocantur, quia de praedestinatione et divina gratia disputantes asserebant, quod nec pie viventibus prosit bonorum operum labor, si a Deo ad mortem reprobati fuerint: nec impiis obsit, quod impie vivant, si a Deo praedestinati fuerint ad vitam: quae assertio et bonos a bonis avocabat et malos ad mala provocabat. Haec haeresis ex libris Augustini male intellectis initium sumsisse dicitur.* Hactenus Sigebertus. Qui ab hac haeresi praedestinatorum prorsus alieni esse volunt, non debent docere, quosdam homines absoluto Dei decreto esse ad aeternum exitium immutabiliter destinatos; non debent docere esse quosdam absolute electos, ita ut per peccata contra conscientiam ne quidem ad tempus gratia Dei excidere possint.

Praedestinatorum sententiae apud Sigebertum.

Huberi de praedestinatione dogma.

201. Nostro tempore Samuel Huberus Helvetius anno 1592. universalem omnium hominum electionem docere et propugnare coepit. Quamvis enim etiam ante ipsum quidam Augustanae Confessioni addicti theologi phrasi ea sint usi, universalem esse omnium hominum electionem, tamen mentem suam recte exposuerunt, se nomine electionis beneficam Dei erga omnes homines voluntatem καταχρηστικῶς intelligere; et controversia haec in libro Concordiae luculenter est exposita ac sopita: Ipse vero Huberus contendere coepit, sensu proprio omnes esse dicendos electos. Atqui 1. Scriptura nuspiam dicit omnes electos esse. 2. Sed contra pronuntiat, *paucos electos esse* Matth. 20, v. 16. c. 22, v. 14. 3. Ipsa vox eligendi notat quandam separationem, ut suo loco ostendimus. 4. Scriptura electionem manifeste distinguit ab universali Dei misericordia, universali merito Christi et vocatione universali, eamque κατὰ πρόγνωσιν fidei in Christum factam esse asserit. 5. Non nisi illi, qui scripti sunt in librum vitae, qui vocantur, justificantur et tandem glorificantur, dicuntur in Scriptura electi. Plura argumenta ex superioribus formari possunt, idque a nostrae partis theologis abunde factum, uti etiam ad Huberi objectiones responsum.

IV. 231.

Argumentum prius: Causae electionis sunt universales.

202. Novitius quidam Huberi defensor potissimum duobus hisce nititur fundamentis: 1. *Cujus omnes causae sunt universales, id ipsum etiam est universale: (unde enim esset determinatio effecti?) At omnes causae electionis sunt universales: nempe dilectio Dei et meritum Christi. Ergo et ipsa electio universalis erit. Si quis excipere velit contra majorem, etiam fidem esse electionis causam, quae universalis non est, tribus rationibus occurrit: 1. negat fidem esse electionis causam, cum non solum tempore, sed etiam ordine sit posterior electione. Nam in ipso electionis decreto, ratione praescientiae Dei posterior est dilectione et merito Christi, siquidem nullo prorsus respectu fides est causa vel dilectionis vel meriti Christi, posterius autem non potest determinare prius. 2. Si fides electionis causa dicatur, aut erit ratione exsistentiae, aut ratione praevisionis. Prius dici non potest, quia electio ab aeterno, fides actu exsistens in tempore. Si posterius, etiam fides universalis erit, propterea quia Deus omnes omnino credere voluit. 3. Si maxime admittatur, fidem esse electionis causam, nihilominus causa instrumentalis tantum erit: at omne instrumentale sequitur suum principale, seu omnis causa instrumentalis sequitur naturam causae principalis efficientis, nec instrumentale tanquam imbecillius determinare poterit principale tanquam fortius. Jam vero dilectio et meritum Christi sunt causae principales, et quidem universales, fides vero instrumentalis tantum. Ergo fides principales causas universales determinare non poterit. Manebit itaque electio universalis, cum a nulla causa determinetur ad particularitatem.*

Post[...] Omn[...] Adam[...] creat[...] sunt vitae [...]tern[...]

203. Secundum argumentum desumitur a comparatione creationis et electionis: *Quotquot Deus creavit ad imaginem suam, atque adeo ad vitam aeternam, tot etiam ad vitam elegit. Atqui omnes homines ad imaginem Dei atque adeo ad vitam aeternam creavit. Ergo omnes ad vitam elegit. Major sic confirmatur: Quicquid in priori Adamo habuimus et amisimus, illud ipsum in secundo Adamo recuperatum. Jam si omnes homines in primo Adamo ad vitam sunt creati, sequitur etiam omnes homines ad vitam esse electos, siquidem consilium electionis nihil est aliud quam consilium de reparatione eorum omnium, quae in Adamo, et sic in integritatis statu et habuimus et amisimus. Concidit ergo distinctio inter statum integritatis et corruptionis.*

Cata[...] sis d[...] univ[...] salit[...] elect[...] nis [...] mod[...] plic[...] poss[...]

204. Respondemus: Electionis vocula καταχρηστικῶς accipi potest: 1. pro benefica Dei erga omnes homines voluntate, quam quidam vocant nudam intentionem dandi gloriam aeternam. Deus elegit omnes, hoc est, ab aeterno voluit omnes salvos fieri, ut enim hodie *Deus vult omnes salvos fieri* 1. Tim. 2, v. 4, ita etiam ab aeterno id voluit propter immutabilitatem voluntatis; 2. pro negatione absoluti decreti reprobatorii. Deus elegit omnes, i. e. neminem absoluto quodam odio vel decreto a salute exclusit; 3. pro Dei proposito omnes in primo Adamo ad vitam aeternam creandi, et omnes in secundo Adamo ad vitam reparandi. Deus elegit omnes, hoc est, constituit ab aeterno omnes in Adamo ad vitam condere et in Christo ad vitam aeternam reparare; 4. pro oblatione mediorum salutis. Deus elegit omnes, id est, constituit ab aeterno beneficia Filii sui per verbum omnibus offerre. His et forte pluribus modis propositio de universalitate electionis explicari et ad bonum sensum reduci potest, sed Scriptura hoc termino non utitur in ulla ex prae-

dictis significatione, verum dicit, *nos electos esse in Christo* Ephes. 1, v. 4. *κατὰ πρόγνωσιν* 1. Petr. 1, v. 2. *et in fide* 2. Thess. 2, v. 13.

IV. 232. An causae electionis universales sint et quomodo.

205. Hisce diligenter observatis, facile potest responderi ad proposita argumenta: 1. *Causae electionis sunt universales; ergo et ipsa electio.* Resp.: Nego antecedens simpliciter et nude acceptum. *At*, inquis, *dilectio Dei est causa electionis*, *meritum Christi est causa electionis*, *utraque haec sunt universalia.* R. ex se sunt universalia, sed propter hominum incredulitatem fiunt particularia, accurate igitur hic distinguendum. Est quaedam dilectio generalis, quae movit Deum ab aeterno, ut consilium de hominibus in Adamo ad vitam creandis et in Christo ad vitam reparandis susciperet. Joh. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum daret* etc.; est etiam specialis quaedam dilectio, qua complectitur Deus credentes in Christum. Propria et adaequata causa electionis (si termino isto juxta Scripturae loquelam uti velimus), non est generalis illa dilectio, sed specialis, quod sic ostendo. Illa est propria et adaequata causa, qua posita ponitur effectus. Atqui posita universali illa Dei dilectione nondum ponitur electio. Illa igitur universalis Dei dilectio non est propria et adaequata electionis causa. Minor indiget confirmatione, quae talis esto. Nullus electorum perit Matth. 24, v. 24: *si fieri posset*, *etiam electi inducerentur in errorem.* Rom. 8, v. 30: *Quos praedestinavit*, *hos etiam glorificavit.* Rom. 11, v. 7: *Electio assequitur suum finem.* Atqui multi eorum, quos generali illa dilectione Deus complectitur, pereunt, videlicet impoenitentes et increduli, quos tamen in Adamo ad vitam aeternam creatos et in Christo ad vitam reparatos fuisse constat. Ergo aliqui eorum, quos Deus generali dilectione complectitur, non sunt electi, et per consequens generalis Dei dilectio non est propria et adaequata electionis causa. Urges: *Dilectio DEI est sola et unica causa, propter quam homines salvantur.* Respondemus: Propositum DEI de salvandis hominibus, hoc est, de offerendis salutis mediis (ad quae pertinet creatio, redemtio, vocatio) est universale et nullam aliam habet causam, quam generalem illam Dei dilectionem; sed hoc propositum nondum est ipsa electio, *sed electio facta est juxta hoc propositum* Ephes. 1, v. 5. 2. Tim. 1, v. 9. ac respicit non solum oblata media, sed etiam personas eorum, qui his mediis utuntur, et in quorum cordibus per haec media Deus efficax est. Proinde illi soli sunt electi, qui efficacia Spiritus sancti per verbum operantis credunt, reliqui autem sunt rejecti. Clarius: Electio non est nudum propositum dandi gloriam aeternam, sed est decretum dandi vitam aeternam his et non aliis; jam vero propter quam causam Deus in tempore hos et non alios actu salvat, propter eandem hos et non alios salvare ab aeterno constituit, hoc est, hos et non alios elegit. Generalis dilectio non est causa, propter quam hos et non alios in tempore Deus actu salvat (illa enim complectitur Deus tum eos qui salvantur, tum etiam eos qui non salvantur). Ergo generalis illa dilectio non est causa, propter quam Deus hos et non alios ab aeterno salvare constituit, hoc est, elegit. Idem judicium esto de merito Christi, quod in hoc negotio non est spectandum tantum ratione acquisitionis, sed etiam ratione applicationis. Christi meritum universale est ratione acquisitionis, hoc est, Christus omnibus acquisivit justitiam et vitam aeternam, non autem est universale ratione applicationis, id est, Christi meritum non omnes sibi applicant vera fide; demonstrandum jam erit meritum Christi esse causam electionis non ratione acquisitionis tantum, sed etiam ratione applicationis, quod sic ostendo: Eaedem sunt causae salutis et electionis (quod immutabilitas divinae voluntatis probat). Meritum Christi est causa salutis non ratione solius acquisitionis, sed ut applicatur nobis per fidem. Ergo etiam meritum Christi est causa electionis non ratione solius acquisitionis, sed ut nobis applicatur. Concurrit autem meritum Christi ad electionem non ratione exsistentiae, ut apparet, sed ratione praevisionis, quo sensu Scriptura testatur, nos *κατὰ πρόγνωσιν* electos 1. Petr. 1, v. 20. atque eos esse electos, quos *ὁ θεὸς προέγνω.* Rom. 8, v. 30, nimirum in Christo Ephes. 1, v. 4. Ex his apparet, quid ad prius argumentum sit respondendum, ut non sit opus descendere ad quaestionem, an et quomodo fides sit causa electionis; an et quomodo instrumentalis causa determinare possit universalem principalem etc.

IV. 233. An electio sit ipsum decretum instaurationis.

206. Posterius argumentum nititur hac hypothesi, *quod electio nihil aliud sit, quam decretum instaurationis:* atqui hoc cum debita distinctione accipiendum. Instauratio generis humani accipitur dupliciter: primo pro redemtione per Christum praestita, quae universalis est, ac propterea quicquid in primo Adamo habuimus et amisimus, id ipsum in secundo Adamo est reparatum. Deinde pro actuali quorundam ex lapso genere humano salvatione et glorificatione: quo sensu non omnes, qui in Adamo pereunt, per Christum instaurantur, h. e. salutis aeternae actu participes fiunt: quia vero ratio hujus particularitatis non pendet vel ex absoluto quodam decreto Dei reprobatorio, vel ex insufficientia quadam meriti Christi, sed ex sola hominum culpa, videlicet voluntaria ipsorum impoenitentia et incredulitate, ideo ex eo nihil decedit apostolico pronuntiato, *quod gratia exuberet supra peccatum, et quod sicut per unius inobedientiam injusti, ita per unius obedientiam justi constituti sint multi* Rom. 5, v. 19. Porro electionis nomine non intelligi decretum de instauratione generis humani tantum respectu redemtionis, sed respectu actualis glorificationis et salvationis quorundam tantum ex perdito genere humano, testantur omnia Scripturae dicta, quae de electione agunt et loquuntur.

CAPUT XIII.

RESPONSIONEM AD QUASDAM QUAESTIONES IN HOC MYSTERIO EXPEDIT.

Ἀνακεφαλαίωσις praecedentium.

207. Atque haec dicta sint de arduo electionis et reprobationis mysterio, quorum summa est, non esse statuendum absolutum aliquod vel electionis vel reprobationis decretum, neque ex praevisis hominum meritis electionem deducendam, neque universalem omnium hominum electionem introducendam esse; ex quibus omnibus facile intelligi potest, quid ad quaestiones alias, quae de hoc mysterio moveri solent, respondendum sit, earum enim ἐργασία ac λύσις ex superioribus pendet. Sic quaeritur primo: *An de electione quispiam in hac vita certus esse possit?* Respondemus: Renatos et vere in Christum credentes de gratia Dei ac remissione peccatorum certos esse posse ac debere, suo loco docebimus; illud solum hoc loco demonstrandum, etiam de perseverantia firmam in cordibus ipsorum fiduciam concipi posse ac debere, quae scilicet nitatur Dei omnipotentia, Dei fidelitate et Dei bona voluntate. Vide thesin 184. Sic ergo debemus procedere. Quicunque per veram fidem Christo adhaerent, illos non patietur bonus ille Pastor ex manibus suis eripi; atqui ego sum renatus et adhaereo Christo per veram fidem. Ergo non patietur me bonus ille Pastor ex suis manibus eripi. Si obmurmuret tentatio, multos vere renatos vicissim gratia Dei excidisse, respondeat fides, illi semetipsos sponte ac destinata malitia a Christo averterunt, non ex absoluto quodam odio a Deo sunt rejecti, ego vero constanter adhaerebo Deo meo, non delinquet me in aeternum, nitor enim istis Dei promissionibus: Rom. 11, v. 29: *ἀμεταμέλητα sunt dona et vocatio Dei.* 1. Cor. 1, v. 9: *Fidelis est Deus, per quem vocati sumus. v. 8: ipse confirmabit nos usque in finem.* 1. Cor. 10, v. 13: *Fidelis Deus, qui non sinit nos tentari supra id quod possumus ferre.* Phil. 2, v. 13: *Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere juxta bonam suam voluntatem.* 2. Timoth. 1, v. 12: *Potens est Deus depositum nostrum nobis servare.*

Quaest. 1. An de electione quis possit esse certus.

208. Concil. Trident. sess. 6. c. 12: *Statuit neminem quamdiu in hac mortalitate vivitur de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debere, ut certo statuat se esse omnino in numero praedestinatorum; nam non nisi ex speciali revelatione sciri posse, quos Deus sibi elegerit.* At hac ratione in perpetuis dubitationum fluctibus misere cogeremur laborare, et metuendum esset, ne ex fluctibus dubitationis in vorticem desperationis obrepti tandem periremus. Fatemur libenter, cum fide timorem filialem conjunctum esse debere, ne pro fide et securitate Spiritus carnalis securitas animis nostris obrepat, ideo probe perpendenda illa Spiritus s. pronuntiata: 1. Cor. 10, v. 12: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Phil. 2, v. 12: *Cum timore et tremore salutem vestram operemini:* interim tamen fidei certitudo per timorem istum minime labefactanda est vel evertenda. *Studete fratres,* ait Petrus 2. Ep. 1, v. 10. *firmam facere vocationem et electionem vestram,* utique ergo ea nobis firma fieri potest. *Explorate vos ipsos,* ait apostolus 2. Cor. 13, v. 5, *an sitis in fide;* utique ergo scire quis potest, se verae fidei et per consequens etiam beneficiorum Christi esse et usque ad finem fore participem?

IV. 234.

209. Ad excludendam securitatem carnalem et corrigendam temerariam praesumtionem veteres saepe videntur negare, de praedestinatione nos certos esse posse vel debere; sed recte suam sententiam explicant, se non fidei certitudinem, sed carnalis securitatis praesumtionem excludere. Ambr. lib. 2. de vocat. gent. c. 9: *Non hujus, sed alterius vitae est vere perfecta et secura felicitas: in praesentia autem agonis incerta, ubi tota vita tentatio est et ab insidiante superbia nec ipsa est tuta victoria, mutabilitatis periculo non caretur, et licet innumeris sanctis suis donet virtutem perseverandi usque in finem divina protectio, a nullis tamen aufert, quod ipsis repugnat ex ipsis, ut in omnibus studiis eorum atque conatibus semper inter se velle et nolle concertet.* Addit autem Ambros. se ipsum explicans: *Merito igitur non solum ab incipientibus, verum etiam a provectissimis sanctis uniformiter Deo supplicatur et dicitur, ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo: universis enim, qui in fide et dilectione permanent, ab ipso donatur, ne in tentatione superentur, ut qui gloriatur, in Domino glorietur,* etc. *Quod Pater Filio dedit, filius non amittit, neque quisquam potest de manu ejus eripere quod accepit: firmum fundamentum Dei stat, et mansuri in aeternum templi aedificatio non vacillat praetenta super omnes veritate et misericordia Dei, a quo (quod et nemini negatur et nulli debetur) in iis, quos promisit, efficitur.* Sic August. in lib. de corept. et gratia c. 13: *Quis ex multitudine fidelium quamdiu in hac mortalitate vivitur in numero praedestinatorum se esse praesumat?* Sed recte se ipsum explicat: *Quod persevaturis Sanctis ista dicuntur, quasi eos perseveraturos habeatur incertum, non aliter hoc audire debent, quibus expedit non altum sapere, sed timere etc. Hinc apostolis dicebatur, si manseritis in me, dicente illo, qui illos utique sciebat esse mansuros. Et similia multa dicuntur propter hujus utilitatem secreti, ne forte quis extollatur, sed omnes, etiam qui bene currunt, timeant, dum occultum est quo perveniant* etc. *Si nemini contigisset (gratia Dei vicissim excidere), tam diu haberent homines istum saluberrimum timorem, quo vitium elationis opprimitur, donec ad Christi gratiam, qua pie vivitur, pervenirent, deinceps jam securi, nunquam ab illo se casuros, quae praesumtio in isto tentationum loco non expedit, ubi tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas.* Vide Augustinum securitatem carnalem et termerariam praesumtionem, per quam studium pietatis et precum labefactetur, excludere, fidei autem certitudinem et securitatem non tollit;

Dicta veterum de electionis certitudine.

sic enim scribit in comm. Ps. 148: *Erigat se humana fragilitas, non desperet, non se collidat, non se avertat, non dicat, non ero cui promisit* etc. *promisit nobis, quod ibi futuri simus, ubi ipse est, erimus cum illo. Quid tibi Deus promisit, o homo mortalis? quia victurus es in aeternum: non credis? crede, crede, plus est jam quod fecit, quam quod promisit: quid fecit? mortuus est pro te, quid promisit? ut vivas cum illo, incredibilius est, quod mortuus est aeternus, quam ut in aeternum vivat mortalis, jam quod incredibilius est, tenemus etc.* Sic Bernh. serm. 1. Septuag. *Quis potest dicere: Ego de electis sum, ego de praedestinatis sum ad vitam, ego de numero filiorum* etc. Sed recte se
IV. 235. ipsum explicat, in eodem enim sermone addit: *data sunt signa quaedam et indicia manifesta salutis, ut indubitabile sit, eum esse de numero electorum, in quo ea signa permanserint.* Idem serm. 2. in octav. Pasch.: *Quando sine testimonio electos suos deserat Deus? quaenam consolatio inter spem et metum, si nullum omnino electionis suae habent testimonium? fidelis proinde sermo et omni acceptatione dignus, quo salutis testimonia commendantur.* Egregium locum ex serm. de fragment. sept. miser. produximus supra thesi 184.

Qualis sit piorum de electione certitudo.

210. Ita ergo propugnamus fidei certitudinem de electione contra Pontificios, ne patefaciamus fores carnali securitati, quod faciunt illi, qui docent semel renatos et Spiritu sancto donatos non posse iterum per peccata contra conscientiam, fidem et gratiosam Spiritu sancti inhabitationem amittere. Non est fingenda talis absoluta certitudo electionis et salutis, ut dicatur, renatos, etiamsi atrocibus peccatis contra conscientiam sese involvant, tamen non amittere fidem, Spiritum sanctum et salutem; certos nos fecit Deus de salute nostra, non autem carnaliter securos. Promissiones Dei infallibiles liberant nos a dubitatione; comminationes et exhortationes Dei liberant nos a carnali securitate, ac proinde inter scyllam perpetuae dubitationis et inter charybdin absolutae securitatis medium tenet navicula fidei nostrae verbi cynosuram secuta. Confidimus Deo propter egregias et infallibiles promissiones nobis datas, interim tamen etiam timemus Deum propter carnis nostrae infirmitates et tentationes, ideoque seriis gemitibus perseverantiae donum a Deo petimus, nosque illud certo impetraturos confidimus, interim tamen securitate carnali abjecta fidem verbi meditatione et sacramentorum usu confirmari rogamus, atque in cursu pietatis quotidie proficere studemus.

Quaestio 2. Unde scire possimus, nos esse in electorum numero.

211. Quaeritur secundo: *Unde possimus scire nos esse in numero electorum?* Respondemus: *Qui credit in filium Dei, habet testimonium in semet ipso* 1. Joh. 5, v. 10. *quos praedestinavit Deus ab aeterno, hos in tempore vocat per verbum et justificat per fidem* Rom. 8, v. 29; illa fides exserit se per veram Dei invocationem, per patientiam in cruce et per studium sanctitatis. Quod si fides in tentationibus redditur infirma, et sensus fidei in nobis fere extinguitur, respicere debemus ad promissiones universales, in quibus Deus suam gratiam omnibus offert; ad meritum Christi, quod omnes concernit; ad ministerium verbi et sacramentorum, in quo Deus beneficia Filii omnibus offert; ad baptismum, qui est stipulatio bonae conscientiae: recurrendum est ad usum sacrae coenae, in qua Christus illud ipsum corpus, quod pro nobis in mortem tradidit; illum ipsum sanguinem, quem in ara crucis pro nobis effudit, manducandum ac bibendum offert, ex quibus omnibus colligere debemus, Deum serio velle, ut peccatis agnitis in Christum credamus ac per fidem salutis aeternae participes reddamur.

Quaestio 3. An certus sit electorum numerus?

212. Quaeritur tertio: *An certus sit electorum numerus?* Respondemus: Utique August. de corrept. et gratia c. 13: *Praedestinatorum ad regnum Dei certum esse numerum, Joh. Baptista significat: potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahae; ostendit sic istos (Judaeos) amputandos, si non fecerint fructum, ut non desit numerus, qui promissus est Abrahae; id apertius in Apocalypsi dicitur, tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam* etc. Thom. p. 1. q. 23. art. 7: *Certus est electorum numerus non solum formaliter, ut quod centum salvandi, sed etiam materialiter, ut quod hi centum salvandi. Certus etiam est non solum ratione cognitionis, sed etiam ratione cujusdam definitionis.* Haec Thomas. *Si electorum nomina in coelis scripta* Luc. 10, v. 20: *Si novit Deus, qui sint sui.* 2. Tim. 2, v. 19: *Si capilli capitis nostri etiam in numerato sunt apud Deum* (Luc. 12, v. 7.) quomodo non et certus apud ipsum electorum numerus? Intelligenda autem illius numeri finitas et certitudo non de absoluto decreto, IV. 236.
quo reliquos ex illo numero absoluto quodam odio Deus excluserit, sed de certitudine τάξεως in hoc decreto, fecit enim Deus hoc certissimum et immutabile decretum: Quicunque in Christum perseveranter crediderit, salvabitur; uti etiam de certitudine praescientiae divinae, novit Deus ab aeterno, qui et quot in Christum per Spiritus s. efficaciam credituri.

Quaestio 4. An electorum numerus nec augeri nec minui possit?

213. Quaeritur quarto: *An ita certus electorum numerus, ut nec augeri nec minui possit?* id disertis verbis asserit Augustinus loco proxime citato. Monendum autem quaestionem intelligi posse duplici modo, videlicet absolute et ex suppositione. Absolute, si nimirum quaestionem hoc sensu intelligamus, non potuisse plures eligi vel reprobari, quocunque modo se habeant, et sic falsum est, electorum numerum non potuisse augeri vel minui, si enim plures Spiritus sancti per media operantis gratia credidissent, utique et illi fuissent electi, sicque numerus electorum fuisset auctus; vicissim, si qui beatorum spontanea malitia a fide recessissent, utique et illi inter reprobos fuissent a Deo omnium praescio numerati. Ex hypothesi vero et suppositione rectissime dicitur, electorum numerum nec augeri nec minui posse, ibi enim consideratur numerus ut actu est; omne autem quod est, eo ipso quod est, impossibile est non esse, vel aliter esse, juxta Boëtii regulam.

Quaestio 5. An electi possint fieri reprobi et contra.

214. Quaeritur quinto: *An electi possint fieri reprobi et vicissim ex reprobis electi?* Responsio ex praecedentibus facile potest colligi, quia quaestio potest itidem intelligi duplici modo, videlicet absolute et ex hypothesi, sive, quod idem est, in sensu diviso et composito. Lombard. 1. sent. dist. 40. sect. 2. Non potest utrumque simul esse, scilicet ut aliquis salvetur et non sit praedestinatus, vel ut aliquis sit praedestinatus et damnetur. Intelligentia enim conjunctionis implicitae veritatem facit in dicto et impossibilitatem in vero. Si vero simpliciter intelligatur, impossibilitas non admittitur, ut cum dicitur: Praedestinatus potest vel non potest damnari, et reprobus potest salvari. In his enim et hujusmodi locutionibus ex ratione dicti dijudicanda est sententia dictionis. Alia namque fit intelligentia, si per conjunctionem haec accipiuntur dicta, atque si per disjunctionem. Si enim, cum dicis: Praedestinatus non potest damnari, intelligas ita, id est, non potest esse, ut praedestinatus sit et damnetur, verum dicis, quia conjunctim intelligis; falsum autem, si disjunctim, ut si intelligas istum non posse damnari, quem dico praedestinatum; potuit enim non esse praedestinatus et ita damnaretur. Eodem modo quaestionem explicat Socin. 1. sent. dist. 39. quaest. 2. concl. 3.

Quaestio 6. An electi finaliter possint perire.

215. Quaeritur denique: *An electi finaliter possint perire?* Negat hoc diserte Christus Matth. 24, v. 24: *Seducerentur, si fieri posset, electi.* Joh. 10, v. 28: *Oves meas nemo rapiet ex manibus meis;* negat apostolus Rom. 11, v. 7: *Electio assecuta est*, scilicet finem et terminum suum; negant veteres. Aug. 13. de Trin. c. 16: *Praedestinatorum nemo cum diabolo peribit, nemo usque ad mortem sub diaboli potestate erit.* tract. 45. in Joh.: *Si praedestinatus est, ad tempus erravit, in aeternum non periit.* Intelligenda vero iterum quaestio in sensu composito, nec describendi sunt electi ex absoluto quodam decreto; sicut Deus per verbum et Spiritum fidem in electis inchoat, ita quoque per media in fide et sanctificatione ad vitam aeternam eos conservat, qui destinata malitia a fide et pietate deficiunt, in numero electorum non esse agnoscuntur.

CAPUT XIV. IV. 237.

USUM HUJUS DOCTRINAE ET DEFINITIONEM ELECTIONIS EXPLICAT.

Usus doctrinae de electione.

216. Coronidis loco usum hujus doctrinae de electione breviter attingemus. Sobria et Scripturae consona mysterii hujus tractatio monstrat nobis abyssum divinae misericordiae, cui soli electio nostrûm ad vitam aeternam in solidum tribuenda; deprimit omnem de nostris meritis gloriationem atque in nobis ipsis confidentiam; confirmat salutis nostrae certitudinem in omnipotente ac beneficentissima Dei manu repositam; exstimulat nos ad sinceram Dei amorem, qui prior ante jacta mundi fundamenta nos dilexit; alit mutuam dilectionem ac φιλαδελφίαν erga eos, quos itidem ex mera gratia electos in aeterna vita speramus habere socios: excitat nos ad verbi divini ardens studium et frequentem sacramentorum usum, per quae media Spiritus s. fidem in nobis vult accendere, conservare et augere, inflammat nos ad preces et serium pietatis studium, *electi enim sumus, ut sancti et inculpati simus* Eph. 1, v. 4. Denique ad omnia adversa aequo animo perferenda nosmet munit, *quos enim praescivit Deus, hos etiam praedestinavit conformes fieri imagini Filii Dei, scimus quod diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti* Rom. 8, v. 28. 29.

Definitio electionis et reprobationis.

217. Postremo potest electionis et reprobationis ex ante dictis omnibus talis colligi definitio. Electio sive praedestinatio est unius ac solius veri Dei actio, qua ante jacta mundi fundamenta ex immensa misericordia in Christo juxta propositum et praescientiam ad vitam aeternam ordinavit homines efficacia Spiritus s. per verbum in Christum perseveranter credituros in laudem gloriosae gratiae suae. Reprobatio est eorum, quos Deus in finali impoenitentia et incredulitate propria culpa perseveraturos praevidit, justo judicio facta aeternae morti adjudicatio. Deus, qui elegit nos in Christo ante jacta mundi fundamenta et vocavit nos ad aeternam suam gloriam in Christo Jesu, ipse nos instauret, confortet, roboret ac fundet, ipsi sit gloria et honor in secula.

LOCUS OCTAVUS

DE IMAGINE DEI IN HOMINE ANTE LAPSUM.

I.

Connexio cum loco praecedente.

Praedestinationis decretum ante jacta mundi fundamenta in aeterno Dei consilio factum subsecuta est in tempore hominis creatio. Postquam enim in principio totius universi architectus distinctis sex diebus coelum, terram, mare et omnia, quae in eis sunt, verbo omnipotente condiderat, ultimo demum ad creationem hominis non sine praemissa deliberatione accessit.

IV. 228. Deliberatio Dei in hominis creatione.

2. Quod Deos novo et hactenus insolito more de hoc thaumaturgemate deliberationem quasi suscipit, non opificis infirmitatem, sed operis praestantiam arguit: *Homo est a Deo conditus, non imperiali verbo, ut caetera animalia, sed familiari manu, etiam praemisso blandiente illo verbo, faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Tertull. lib. 2. adv. Marc. *ut non per jussionis vocem, sed per dignitatem operationis exsisteret, qui ad conditoris sui imaginem fiebat.* Greg. 9. mor. 27.

3. Vides a Tertulliano et Gregorio, quibus addi etiam potest Basil. homil. 10. hexaëm. dignitatem quandam hominis in eo constitui; quod non fuerit terrae demandatum, ut produceret hominem, sed quod Deus suis manibus hominem fecisse dicatur; improbat tamen id ipsum August. 6. de Gen. ad lit. c. 12: *Nec illud audiendum est* (inquit), *quod nonnulli putant, ideo praecipuum DEI opus esse hominem, quia caetera dixit, et facta sunt, hunc autem ipse fecit, sed ideo potius, quia hunc ad imaginem suam fecit: nam illa quae dixit et facta sunt, ideo sic scriptum est, quia per verbum ejus facta sunt, sicut per hominem hominibus dici potuit verbis, quae temporaliter cogitantur et voce proferuntur, non sic autem loquitur Deus, nisi cum per corporalem creaturam loquitur, et certe etiam coelum Deus verbo fecit, et tamen scriptum est: opera manuum tuarum sunt coeli, et de hoc uno quasi fundo mundi scriptum est, quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et aridam manus ejus finxerunt. Non igitur hoc in honorem hominis deputetur, velut caetera Deus dixerit, et facta sint; hunc autem manibus fecerit, sed hoc excellit in homine, quod Deus ad imaginem suam hominem fecit* etc., *nec dicendum est, hominem ipse fecit, pecora vero jussit et facta sunt; et hunc enim et illa per verbum suum fecit, per quod facta sunt omnia. Sed quia idem verbum et sapientia et virtus ejus est, dicitur et manus ejus non visibile membrum, sed faciendi potentia.* Haec Augustinus.

Faciamus hominem.

4. Cui vero dicit Deus, *faciamus? Non sibi utique, quia non dicit, faciam, sed faciamus; non angelis, quia ministri sunt, servi autem cum Domino, et opera cum auctore non possunt operationis habere consortium: Sed Filio dicit, per quem (et Spiritui sancto, in quo omnia) sunt condita.* Ambros. lib. 6. hexaëm. c. 7.

5. Facessant ergo Rabbini et eorum asseclae, quorum aliqui tradunt, Deum honoris causa de se plurali numero locutum; quidam de מִדּוֹת et attributis; quidam de animabus justorum aliquid somniant, quidam absurdissime statuunt, Deum quatuor elementa allocutum esse. Ad quos non pertinet operis communio, ad eos non trahenda est de opere deliberatio. Repetimus igitur decretum synodi Syrmiensis descriptum a Socrate libr. 2. c. 25. *εἴ τις τὸ ποιήσωμεν ἄνθρωπον, μὴ τὸν πατέρα πρὸς υἱὸν λέγοι, ἀλλὰ αὐτὸν πρὸς ἑαυτὸν τὸν θεὸν εἰρηκέναι, ἀνάθεμα ἔστω.*

6. In eo quod dicit, *faciamus*, una operatio trium personarum ostenditur, in hoc vero quod dicit, ad imaginem et similitudinem nostram, una et aequalis essentia trium personarum indigitatur. Et sic mysterium Spiritus s. trinitatis in primi Adami creatione obscuriuscule promulgatum est, quod postea in secundi Adami, Christi, inquam, baptismo ad nostri regenerationem et *ἀνάπλασιν* per ipsum sanctificato aperte declaratum.

Consilium Dei de homine.

7. Magnum plane consilium in illo sapientiae concilio, in illo trium personarum, Patris et Filii et Spiritus sancti non tam senatu, quam soliloquio

venerando de nobis peccatoribus est habitum. An putas quicquam eorum, quae circa nos acta vel agenda sunt, illic defuisse? Plane ibi omnis nostra in medio causa posita, mors vel perditio nostra, quae futura erat, illic perspecta, et in totum consilium habitum, ut unaquaeque persona suam operis partem susciperet, ut scilicet tunc quidem Pater
IV. 239. conderet, postea in plenitudine temporis Filius perditum redimeret, Spiritus sanctus remissionem peccatorum et carnis resurrectionem perficeret, atque ita communi trinitatis consilio reaedificarentur in homine deserta seculorum, et fundamenta generationis et regenerationis suscitarentur: *Laus sapientiae creatoris, honor gratiae liberatoris, gratiarum actio potentiae illuminatoris, adoratio uni indivisae creatrici, liberatrici et gubernatrici omnium trinitati.* Rupert. lib. 2. de Trin. et ejus operibus in princ.

Quo tempore homo creatus.

8. Conditus est homo post completum coeli ac terrae opificium, post absolutas reliquas creaturas omnes, est enim earum veluti quaedam epitome; עוֹלָם קָטוֹן ut vocat eum Kimhi super 2. Zachar. *μικρόκοσμος* 8. phys. acroas. text. 17. Quae in creaturis divisim, in homine conjunctim inveniuntur, cum spiritualis et corporalis naturae communione participet. Augustinus libro 10. de civitate Dei c. 12. *in homine omnis propemodum creatura: Breviter, creationis et naturae centrum est.*

Omnia propter hominem condita.

9. Etenim sicut factus homo propter Deum, ut Deo serviret; ita mundus factus propter hominem, ut homini serviret. Positus ergo homo in medio, ut et ei serviretur, et ipse serviret, ut acciperet utrumque, et refluerèt totum ad bonum hominis, et quod accipit obsequium, et quod impendit. Ita enim voluit Deus sibi ab homine serviri, ut ea servitute non DEUS, sed homo serviens juvaretur, et voluit, ut mundus serviret homini, et exinde similiter juvaretur homo. Totum ergo bonum hominis erat, et quod factum est propter ipsum, et propter quod ipse factus est.

Homine creato Deus quievit.

10. Post hominem quievit Deus ab operibus, quia homo Spiritus s. trinitatis quietissimum futurum erat habitaculum. In Deo quaerat homo veram cordis quietem et inveniet. Creaturis utatur, sed non abutatur; utatur eis ad obsequium, ad servitium, non autem finem desiderii in illis constituat; rivuli ad fontem deducant, via ad terminum.

Homo creatus ex pulvere terrae.

11. Ex terrae pulvere formatus homo, ut hic ortus esset *φυλακτήριον καὶ ὑπόμνημα ταπεινώσεως*, et testimonium ferret, quod homo coram Deo velut lutum in manibus figuli. Sumus omnes coram Deo עָפָר וָאֵפֶר, *cinis et pulvis*, Gen. 18, v. 27. fimus et fumus. Idem qui potuit corpus hominis ex limo formare, poterit ex pulvere terrae istud suscitare, non diminuta est annorum numero ejus potentia.

Anima hominis unde.

12. Corpus hominis ex pulvere terrae formatum, sed anima essentiale illud vitae spiraculum *ἔσωθεν* per inspirationem Dei ipsi contigit. Lactant. lib. 2. Inst. divin. c. 12. Facto corpore spiravit Deus homini animam de vitali fonte Spiritus sui, qui est perennis, ut ipsius mundi ex contrariis constantis elementis similitudinem gereret. Ut autem finxit Deus corpus hominis absque manibus: ita inflavit ei Spiritum creatum absque pulmonibus. Inspiratio Dei in faciem hominis traditio est animae rationalis. Non ex intimo ore suae essentiae spirat Deus animam hominis, sicut Spiritum sanctum ab omni aeternitate intra divinam essentiam Pater cum Filio spirat, qui ex eo dicitur *Spiritus oris Domini*, Psalm. 33, v. 6: *Spiritus oris Christi*, 2. Thess. 2, v. 8. *Spiraculum omnipotentis*, Job. 33, v. 4, sed animam in tempore extra suam essentiam creatam homini inspiravit. Spiraculum illud vitae a Deo factum, non ex Deo.

Homo creatus est ad Dei imaginem.

13. Factus autem homo ad imaginem et similitudinem Dei, quod prae corporeis creaturis reliquis omnibus ipsi peculiare et proprium summam dignitatem et praeeminentiae ἀκμὴν ipsi conciliavit. Imago illa Dei in homine utinam tam obvia nobis ad sui notitiam, quam praeclara olim fuit ad summam homini conciliandam gratiam! Sed in illis ipsis, IV. 240.
in quibus ad imaginem Dei conditi sumus, eandem per peccatum amisimus, ita quidem, ut vix tenues quaedam illius supersint reliquiae, imo vix magni nominis umbra. Quid ergo mirum, si intellectum nostrum plena ejus effugiat cognitio, cujus jamdudum periit possessio! Sequemur in his tenebris nostris Scripturae facem.

CAPUT I.

IN QUO CONSISTAT IMAGO DEI, AD QUAM HOMO CONDITUS.

Vox imaginis quid notet.

14. Notat Flacius part. 1. Clavis Script. col. 541: *quod imago Latinis ferme tantum quippiam umbratile ac vanum, et quod tantum qualicunque specie repraesentaret ipsam, significet; at Hebraeis etiam realissimam convenientiam et summam substantiae ipsius similitudinem hac voce indicari.* Haec observatio in quibusdam Scripturae dictis locum habet, utpote quando ὁ *Λόγος* dicitur imago aeterni Patris; interim tamen nimis large inde concluditur, quando homo dicitur conditus ad imaginem Dei, illud de essentiali similitudine accipiendum esse. Hebr. 10, v. 1. opponuntur sibi invicem *σκιὰ καὶ ἡ εἰκών*, prima lineamenta, umbratilis pictura, tenuis *σκιαγραφία*: et expressa pictura, effigies absoluta, imago perfecta. Apoc. 13, v. 14. et 15. c. 19, v. 20. per imaginem bestiae intelligitur qualiscunque externa species Romanae monarchiae. Thomas p. 1. q. 93. art. 6: *Imago dicitur quasi imitago, est enim de ejus ratione quod fiat ratione prototypi.* Et propriissime est substantia formata ab artifice ad similitudinem alterius secundum aliqua accidentia conformia. Deinde sumitur pro tali formato, sive fiat ad imitationem alterius sive non: Sic quando duo homines sibi similes sunt,

alter dicitur alterius imago. Denique pro omni univoce producto ab alio, quod secundum rationem suae productionis producitur ut simile. Sic filius est imago patris.

Quis sit sensus dicti: Faciamus hominem ad imaginem nostram.

15. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, dicit Elohim; monet Pererius lib. 4. in Gen. p. 472. sensum hujus divini effati: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram constitui posse geminum; etenim posse intelligi vel de imagine, quae est in Deo, ita ut Dei natura statuatur tanquam exemplar, ad cujus similitudinem homo sit conditus; et sic emergere hunc sensum divini illius scripti; faciamus hominem talem, quales nos sumus; vel de imagine creata, quae est in homine, ut sit sensus: faciamus hominem adeo similem nostri, ut si ipse velut quaedam nostra imago et effigies, nostram naturam, vim, sapientiam etc. repraesentans.* Sed utraque explicatio eodem redit, quia enim bonitas, sapientia et justitia sunt ipsa Dei essentia, ideo homo creatus in bonitate, sapientia et justitia, ad imaginem Dei fuit factus: vicissim, quia in homine relucet imago divinae bonitatis, sapientiae et justitiae, ideo ad imaginem Dei factus recte dicitur et creditur.

Idem an diversum quid notetur vocibus imaginis et similitudinis.

16. An vero idem, an diversum quid, notant voces imaginis et similitudinis? Multi ex veteribus statuunt, hominem factum ad imaginem Dei, quoad essentiales animae facultates, scilicet mentem, voluntatem et memoriam, etc. Similitudinem autem spectari in qualitatibus animae, quod intellectus illuminatus fide, memoria confirmata spe, voluntas caritate. Hos sequitur Bellarmin. de grat. primi hominis c. 2. Unde etiam haereseos notam illis asscribit, qui per peccatum in spiritualibus amissam et obliteratam esse Dei imaginem sentiunt. 4. de notis Eccles. c. 9.

17. Sane error magnus et haeresis est, si imago Dei in homine ad ipsam animae essentiam referatur, et tunc perdita dicatur: Siquidem tunc homo lapsu
IV. 241. suo ipsam animae essentiam amisisset, ac dicendum esset, novam in homine animam peccato obnoxiam post lapsum creatam; id vero nec diabolo tribui posset, quia anima illa, ex hypothesi, creata est, nec Deo, quia peccato obnoxia est.

18. Nos imaginem et similitudinem non ita distinguimus, ut illam ad animae essentiam, hanc ad sanctitatem, justitiam, Dei cognitionem etc. in homine referamus, sed idem utroque vocabulo exprimi, et similitudinis vocem ἐξηγητικῶς accipiendam esse statuimus. Qua in parte sententiam nostram propugnat Pererius, qui a reliquis Pontificiis hic discedit libr. 4. in Genes. p. 474, cujus argumenta haec sunt: 1. Ut Gen. 1, v. 26. dicitur *homo factus ad imaginem et similitudinem Dei; sic infra* Genes. 5, v. 3. legitur *Adam genuisse filium Seth ad imaginem et similitudinem suam, ubi distinctio illa non habet locum. 2. Paulus vocem imaginis saepe usurpat pro similitudine, quae in donis gratuitis et supernaturalibus consistit.* 1. Cor. 15, v. 50: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem coelestis.* Col. 3, v. 16: *novus homo renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus, qui fecit illum. 3. Scriptura promiscue hac in parte loquitur; aliquando ponit utrumque nomen imaginis et similitudinis in eodem casu, faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,* Gen. 1, v. 26, *aliquando ponit utrumque nomen, sed in casu diverso, creavit Deus hominem ad imaginem similitudinis suae.* Sap. 2, v. 23: *aliquando omittit nomen similitudinis, posita tantum voce imaginis, ut, ad imaginem DEI factus est homo.* Genes. 9, v. 6. Haec Pererius.

19. Addimus haec ex Scriptura: Cum Deus creaturus hominem dicit. Genes. 1, v. 26: *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,* confestim v. 27. subjungit Moyses: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum*, atque ibi omittit vocem similitudinis: unde colligimus, quod prius utroque vocabulo imaginis et similitudinis efferebatur, id jam sola voce imaginis enuntiari, quippe jam antea declarationis gratia dictum erat, imaginem illam fore similem prototypo.

20. Quia enim non omnis imago est similis prototypo, et ipsa ratio imaginis Dei in homine varia ac multiplex excogitari potest, ut divortia sententiarum in patribus testantur, ideo Deus ipse investigationem verae sententiae ostendit, atque addita voce similitudinis docuit, talem fuisse hominem primo conditum, ut in ipso imago per omnia similis creatori cerneretur. *Zelem*, ait Pererius libro 4. in Gen. p. 472. *significat proprie umbram vel similitudinem umbratilem, id est, deficientem et transeuntem. Demuth autem assimilationem.*

21. *Diligenti observatione deprehendi*, dicit D. Luther. super 5. Genes. p. 76, *quod Zelem proprie vocarint imaginem sive figuram, ut cum Scriptura dicit: Destruite aras imaginum vestrarum, ibi vocabulum nihil aliud significat, quam figuras et statuas, quae eriguntur. Demuth vero quod similitudinem significat, est perfectio imaginis. Exempli causa, cum loquimur de imagine mortua, quales sunt in numismatis, dicimus: Haec est imago Bruti, Caesaris, sed ea imago non refert similitudinem, non ostendit lineamenta omnia. Quod igitur Moyses dicit hominem etiam ad similitudinem Dei factum esse, ostendit quod homo non solum referat Deum in eo; quod rationem seu intellectum et voluntatem habet, sed etiam quod habet similitudinem DEI, hoc est, voluntatem et intellectum talem, quo Deum intelligit, quo vult, quae Deus vult.*

22. Inde provenit, quod duo illa vocabula imaginis et similitudinis Gen. 1, v. 26. usurpata uni postea vocabulo includuntur, Gen. 5, v. 1. *fecit Deus hominem ad similitudinem Elohim*, et haec similitudo, ad quam Adam conditus, postea v. 3. distinguitur ab illa imagine et similitudine, quam gignendo in liberos suos propagavit. *Genuit Adam Seth ad imaginem et similitudinem suam;* non ad imaginem Dei, sed ad eam imaginem, quae tum in

ipso erat, peccato, irae DEI, maledictioni legis, temporali et aeternae morti obnoxia.

IV. 242. 23. Conferimus etiam haec duo Scripturae loca. Eph. 4, v. 24: *Induite novum hominem, qui juxta Deum conditus est in justitia et sanctitate veritatis.* Col. 3, v. 10: *Induistis novum hominem, qui renovatur ad agnitionem juxta imaginem ejus, qui condidit illum.* In his dictis sunt termini aequipollentes, ad imaginem DEI, et juxta Deum, ac proponitur in eis descriptio novi hominis, qui novus dicitur, non propter essentiae mutationem, sed propter novas qualitates, cognitionem DEI, justitiam et sanctitatem veritatis sive veram. Cujus respectu homo juxta Deum conditus, et ad imaginem DEI renovatur, in eo consistit imago Dei; at ratione cognitionis Dei, justitiae et sanctitatis etc. renovatur, et eorum ratione juxta Deum conditus est ad imaginem Dei. Ergo in illis ipsis primaeva Dei imago in homine consistit.

Quid proprie fuerit imago Dei in homine sententia Rabbinorum.

24. Ex hoc ipso argumento veram et propriam imaginis Dei in homine notionem perdiscere possumus. Magna hic apud veteres doctores sententiarum varietas, ut jam nihil dicamus de Rabbinis, Origenianis et Anthropomorphitis. Rabbini imaginem Dei in homine quaerunt in hisce comparationibus: *Sicut Deus replet totum mundum, ita anima totum corpus; sicut unus Deus praeest universo mundo, ita una anima praeest toti corpori; sicut Deus non inquinatur sordibus mundi, in quo est, ita nec ulla corporis labe inquinatur anima; sicut Deus videt omnia et a nullo videtur, sic anima videt et non videtur; sicut Deus nunquam dormit, sed perpetuo vigilat, sic et anima nostra.* Atqui haec omnia etiam brutorum animabus conveniunt, ut patet. Omnium ergo optime ex Rabbinis statuit R. Moyse Aegyptius, *imaginem Dei esse formam, quae substantiam animae perficiat.*

Origenianorum.

25. Origenianis apud Epiphanium in epist. ad Joh. Episc. Hieros. tribuuntur hae opiniones, *quod alii dixerint corpus, quod Filius Dei assumturus erat ex virgine, ipsam esse imaginem Dei, ad quam homo conditus: Alii sensum; alii virtutem; alii baptisma; alii dominium in omnes creaturas.* De Anthropomorphitis constat, *quod imaginem Dei corporis humani lineamentis expressam arbitrati sint:* quos ex Joh. 4, v. 24. Luc. 24, v. 39. et natura Dei invisibilis, spiritualis, nullis παθήμασιν aut ἀλλοιώσει obnoxii refellunt August. de haeres. c. 75. 12. de Trin. c. 6. 7. de Gen. ad lit. c. 12. Socrat. lib. 6. hist. eccles. c. 7. et alii; haeresin istam Audianis tribuit Epiphanius libr. 3. tom. 1. haer. 70.

Anthropomorphitarum.

S. patrum. Tertull. Basil.

26. Patres hac in re varii et diversi: Tertull. 2. contra Marc. dicit, *eam esse imaginem Dei, quae motus et sensus eosdem habet cum Deo.* Basil. hom. 10. hexaëm. tom. 1. p. 19. dicit, *imaginem esse ipsam naturam mentis et voluntatis, quae a solo Deo fieri potuerit; similitudinem autem, quae in virtute et probitate consistat, quae a nobis ex proposito acquiratur.* Greg. Nyssen. hom. de creat. hom. *censet hominem propterea factam ad imaginem Dei, quia sicut Deus rebus omnibus, ita et homo cunctis animantibus dignitate praecellit et potestate atque imperio dominatur.* Idem in haxaëm.: *Homo factus est ad imaginem Dei, quia factus omnis boni capax, bonitatis enim plenitudo divinitas est.* Ambr. lib. 6. hexaëm. c. 7: *Imago DEI virtus est, non infirmitas: imago DEI sapientia est, et imago DEI justitia est* etc; *anima est plena sapientiae, plena pietatis atque justitiae, quia omnis virtus a Deo est. Illa anima a Deo pingitur, quae habet in se virtutum gratiam renitentem splendoremque pietatis, illa anima bene picta est, in qua elucet divinae operationis effigies, illa anima bene picta est, in qua est splendor gloriae et paternae imago substantiae; secundum hanc imaginem quae refulget, pictura pretiosa est; secundum hanc imaginem ante peccatum.* c. 8: *non caro nostra potest esse ad imaginem Dei, sed anima nostra, quae libera est, et diffusis cogitationibus atque consiliis huc atque illuc vagatur quae considerando spectat omnia.* Ambros.

August. de quant. anim. c. 2: *Deus immortalis fecit immortalem animam ad sui similitudinem.* lib. imperf. de Gen. ad lit. c. 16: *Secundum excellentiam rationis ad imaginem Dei et similitudinem efficitur homo* etc. *Omnis imago similis est ei, cujus est imago, nec tamen omne, quod simile est alicui, etiam imago est ejus; sicut in speculo vel pictura quia imagines sunt, etiam similes sunt; tamen si alter ex altero natus non est, nullus eorum imago alterius dici potest: imago enim tunc est, cum de aliquo exprimitur. Cur ergo cum dictum esset ad imaginem, additum est, et similitudinem, quasi possit esset imago dissimilis; sufficeret ergo ad imaginem dicere; an aliud est simile, aliud similitudo, sicut aliud est castus, aliud est castitas? non autem imago nostra satis proprie dicitur esse similitudo nostra, cum tamen proprie dicatur et similis nobis esse, ut in Deo sit ea similitudo, qua similia sunt quaecunque similia* etc., *expositio ergo fortasse est, cum additum esset ad imaginem, ut ostenderetur eam, quae imago dicta est, non ita similem esse Deo, quasi alicujus similitudinis participantem; sed hanc ipsam esse similitudinem, cujus participarent omnia, quae dicuntur esse similia* etc. Et postea: *Similitudo Dei, ad quam factus est homo, ipsum Dei verbum, hoc est, unigenitus Filius accipi potest.* lib. 10. de Trin. c. 12: *Illius summae et altissimae essentiae (divinae) impar imago est mens humana, sed tamen imago.* lib. 11, de Trin. c. 10: *In exteriore homine nitamur quoque indagare qualecunque vestigium trinitatis, non quia et ipse eodem modo (sicut interior) sit imago Dei; manifesta est quippe apostolica sententia, quae interiorem hominem renovari imagine Dei declarat, secundum imaginem ejus, qui creavit illum.* lib. 12. de Trin. c. 7: *Nonne b. apostolus dicit: Renovamini spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est: et alibi apertius. Exuentes vos, inquit, veterem hominem cum actibus ejus et induite novum, qui renovatur in agnitione Dei secundum imaginem ejus, qui creavit illum. Si ergo spiritu mentis nostrae*

IV. 243. August.

renovamur, et ipse est novus homo, qui renovatur in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit eum, nulli dubium est, non secundum corpus, neque secundum quamlibet animi partem, sed secundum rationalem mentem, ubi potest esse agnitio Dei, hominem factum ad imaginem ejus, qui creavit eum: secundum hanc igitur renovationem efficimur etiam filii Dei per baptismum Christi, et induentes novum hominem, Christum utique induimus per fidem. 14. de trinit. c. 4: *Si secundum hoc facta est anima ad Dei imaginem, quod uti ratione et intellectu ad intelligendum et conspiciendum Deum potest, profecto ab initio quo esse coepit ista tam magna et mira natura, sive ita absoleta sit haec imago, ut pene nulla sit, sive obscura atque deformis, sive clara et pulcra sit, semper est.* Idem de spiritu et anima c. 10: *Ille Spiritus dicitur factus ad imaginem et similitudinem Dei, in quo est cognitio veritatis et amor virtutis. Imago siquidem est in cognitione, similitudo in dilectione; imago quia rationalis; similitudo quia spiritualis.* In qu. super Deut. q. 4: *Quibusdam visum est similitudinem aliquid amplius esse quam imaginem, quod homini reformando per Christi gratiam postea servaretur.* In quaest. V. et N. T. q. 21: *Hoc est ad imaginem Dei factum esse hominem, quod unus unum fecit, ut sicut ab uno Deo sunt omnia, ita ab uno homine omne genus humanum; similitudo autem haec est, ut quemadmodum de Patre est Filius, sic et de viro mulier, ut unius principii auctoritas conservaretur.* Chrysost. Chrysost. in Gen. *rationem imaginis divinae quaerit in praecellentia et dominio hominis in creaturas reliquas.* Epiphan. Epiphan. haeres. 70: *Sicut certum est, imaginem DEI esse in homine, ita quam in parte hominis vel qua in re ea imago sit posita, incompertum est atque incomprehensibile, soli autem Deo notum; existimavit id ideo, quod statueret perfectam DEI similitudinem hic notari.* Theodor. Theodor. in Gen. q. 20. cum varias commemorasset rationes imaginem divinam explicandi, *nullam earum sibi plane satisfacere* dicit; existimavit autem *soli homini et viro hoc convenire, quod dicitur homo factus ad DEI imaginem, neque ad angelos aut feminam id pertinere.* IV. 244. Damasc. Damasc. 2. orthod. fid. c. 12: *hominem ad imaginem Dei factum esse, significat ipsum esse intellectualem et liberi arbitrii et per se potestativum.* Bernh. Bernhard. serm. 80. super Cant.: *Verbum est imago, anima ad imaginem. Verbum est veritas, est sapientia, est justitia, et haec imago: cujus? justitiae sapientiae et veritatis. Est enim imago haec justitia de justitia, sapientia de sapientia, veritas de veritate, quasi lumen de lumine, de Deo Deus; harum rerum nihil est anima, quia non est imago. Est tantum earundem capax, appetensque et inde fortassis ad imaginem. Celsa creatura in capacitate quidem majestatis, in appetentia autem rectitudinis insigne praeferens* etc. Idem tract. de libr. arbitr.: *cum triplicem in homine distinxisset libertatem, unam arbitrii, alteram consilii, tertiam complaciti; concludit in his tribus consistere DEI imaginem, sic enim scribit. Puto in his tribus libertatibus ipsam, ad quam conditi sumus, conditoris imaginem atque similitudinem contineri, et imaginem quidem in libertate arbitrii, in reliquis autem duabus bipartitam quandam consignari similitudinem; hinc est fortassis, quod solum liberum arbitrium sui omnino defectum seu diminutionem non patitur, quod in ipso potissimum aeterna et incommutabilis divinitatis substantia quaedam imago impressa videatur. Nam etsi habuerit initium, nescit tamen occasum, nec de justitia vel gloria capit augmentum, nec de peccato sive miseria detrimentum. Porro in aliis duabus libertatibus quoniam non solum ex parte minui, sed et ex toto amitti possunt, accidentalis quaedam magis similitudo sapientiae atque potentiae divinae imagini superducta cognoscitur.* Idem in medit. de hum. cond. cognit. c. 1: *Ad imaginem Dei facti sumus, hoc est, ad intellectum et notitiam Filii, per quem intelligimus ac cognoscimus Patrem, et accessum habemus ad eum. Tanta cognatio est inter nos et Dei Filium, quod ipse imago Dei est, et nos ad imaginem ejus facti sumus.* Lombard. 2. sent. dist. 16. lit. B: *Imago et similitudo in hoc loco vel increata intelligitur, id est, trinitatis essentia, ad quam factus est homo; vel creata, in qua factus est homo, et ipsa homini concreta. Increatam imaginem videtur intellexisse Beda super Genesin* etc. Lit. C: *Fuerunt nonnulli, qui ita distinxerunt, ut imaginem in hoc loco intelligerent Filium, hominem vero non imaginem, sed ad imaginem factum dicerent, quos refellit apostolus dicens; vir est imago Dei* etc. *Fuerunt autem et alii perspicacius haec tractantes, qui per imaginem Filium et per similitudinem Spiritum s. intelligerent, qui similitudo est patris et Filii.* Lit. D: *Haec distinctio licet reprobabilis penitus non videatur, tamen congruentius in ipso homine imago et similitudo Dei quaerenda est. Factus homo ad imaginem Dei secundum memoriam, intelligentiam et dilectionem: ad similitudinem secundum innocentiam et justitiam, quae in mente rationali naturaliter sunt. Vel imago consideratur in cognitione veritatis, similitudo in amore virtutis; vel imago in aliis omnibus, similitudo in essentia, quia et immortalis et indivisibilis est.* Haec Lombardus ex Hugone. Lombard.

27. Ex his sententiarum divortiis apparet, nimis audax esse pronuntiatum Bellarmini de grat. prim. homin. c. 2. col. 6, ubi scribit, *nos cogi patrum auctoritatibus, ut admittamus imaginem ad naturam, similitudinem ad virtutes pertinere.* Atqui 1. Lombardus fatetur, et res ipsa ostendit, patres sibi in hac re minime constare, nec invicem convenire, quos ergo sequemur? 2. ex Scriptura de ratione imaginis divinae disserendum est, eam ducem sequi debemus. *Solis canonicis libris hunc honorem deferre didicimus, ut cogamur eis indubitato assensum praebere, alios ita legimus, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putemus, quia ipsi ita senserunt, sed quia nobis vel per canonicos auctores, vel probabili ratione, quod a veritate non abhorreat,* Consectarium ex divortiis istis sententiarum deductum.

persuadere potuerunt. August. Epist. 19. 3. quid
IV. 245. quod quidam ex patribus nostram sententiam comprobant, dum ipsam imaginis rationem non in essentia, sed viribus animae quaerunt? 4. nec immerito urgemus, quod vis veritatis Pererium Jesuitam coëgerit, ut nobiscum statueret vocem similitudinis *ἐξηγητικῶς καὶ κατ' ἔκφρασιν* positam esse.

Recentiorum sententiae de propria ratione imaginis Dei in homine.

28. Varias recentiorum sententias enumerare nimis prolixum foret; aliquas tantum recensebimus. Pererius libr. 4. in Gen. p. 488: *Principalis ratio imaginis in eo consistit, quod homo secundum suam naturam supremum naturae gradum attingat, in quo Deus est, habet enim in se naturam rationis et intelligentiae compotem; consequuntur autem hunc gradum naturae sex proprietates: 1. esse animum nostrum incorporeum et individuum; 2. esse immortalem; 3. intellectu, voluntate ac memoria esse praeditum; 4. pollere libero arbitrio; 5. capacem esse sapientiae, virtutis, divinae gratiae et felicitatis aeternae; 6. animantibus dominari. Minus principalis ratio multiplex est. Ut in Deo omnia eminenter et causaliter, ita in homine quodammodo omnia per participationem et intellectionem. Sicut Deus revera potest omnia facere, sic homo quodammodo scilicet vel per artem imitando naturam vel imaginatione fingendo. Sicut Deus finis rerum omnium, ita homo quodammodo finis omnium rerum corporearum. Sicut animus praeest corpori, ita Deus toti mundo.* Zachar. Ursinus in Catechesi p. 1. p. 39: *Imago DEI complectitur: 1. ipsam animae substantiam incorpoream et immortalem, cum suis potentiis intelligendi et volendi; 2. omnes notitias naturales de Deo et ejus voluntate atque operibus, hoc est, perfectam sapientiam in mente; 3. justas et sanctas actiones, et motus partis volentis, hoc est, perfectam justitiam et sanctitatem in voluntate et corde, et externis actionibus omnibus; 4. felicitatem, beatitudinem et gloriam cum summa laetitia acquiescente in Deo, et copia omnium honorum conjuncta sine miseria et corruptione; 5. dominium hominis in omnes creaturas.* Guil. Bucanus in locis Theol. loc. 9, p. 84: *Imago Dei consideratur in homine: 1. ratione substantiae hominis et praecipue animae; 2. ratione donorum seu qualitatum ab ejus tamen essentia diversarum; 3. ratione attributorum seu dignitatis, ὑπεροχῆς dominii et eminentiae super reliquas creaturas: unde etiam justitiam originalem ab imagine DEI in homine ut partem a toto distinguit.* Photiniani recentiores disputant, *imaginem Dei tantum constituendam in illo dominio, quod homini erat in creaturas reliquas.* Catech. Racov. p. 23.

Ἐπίκρισις.

29. Libenter concedimus varios respectus concinne excogitari posse, quibus homo similitudinem quandam cum Deo habet, eosque omnes tolerari posse. Nec dubium, Christum esse substantialem Dei imaginem, quo ad divinam naturam, et in ipso, qua homo est, perfecte fulsisse et fulgere imaginem Dei, videlicet perfectam justitiam et sanctitatem Deo acceptissimam, sed Deum in creatione hominis ad hanc Christi in tempore incarnandi imaginem respexisse, id absque fundamento Scripturae assumitur.

Scripturae sententia.

30. Id vero potissimum hoc loco investigandum est, quid Scriptura sacra de illa Dei in homine imagine doceat et in quo Spiritus s. propriam hujus imaginis notionem constituat. Quam ad rem fundamenti loco assumimus duo illa apostolica dicta superius proposita, Coloss. 3, v. 10. Eph. 4, v. 23. atque ex illis duo theoremata exstruemus.

31. Prius hoc esto. Docet apostolus in renatis renovari novum hominem in agnitione secundum imaginem ejus, qui creavit illum. Ergo in hominibus, nisi Spiritu sancto renoventur, non est imago Dei, quod enim per renovationem acquirendum, per carnis vetustatem non habetur; quod per regenerationis donum (quam praesupponit renovatio) obtinetur, per carnalem generationem non possidetur. *Si enim id solum, quod ex Spiritu natum, Spiritus est. Ergo id quod ex carne natum, tantum caro est.* Joh. 3, v. 6: *non nascuntur, sed fiunt Christiani.* Tert. Apol. c. 7: *nec generatio, sed regeneratio facit Christianos.* August. 3. de peccat. merit. et IV. 246.
remiss. c. 9.

32. Consectarium hujus theorematis est: imaginem Dei, si Scripturae phrasin imitari velimus, non esse ipsam animae rationalis substantiam, utpote quae est etiam in hominibus non renatis; ad imaginem autem Dei renovandi sumus, quia tum demum in anima restituitur imago Dei, cum anima renovetur *εἰς ἐπίγνωσιν;* utique ergo aliud erit animae rationalis substantia, aliud imago Dei in ea.

33. Alterum theorema esto. Imago Dei, secun- Ephes. 4.
dum quam renovantur renati per Spiritum s., fit *ἀνακαινώσει εἰς ἐπίγνωσιν.* Ergo imago Dei non est definienda illis rebus, quae animae hominis etiam non renati sunt essentialia; si quidem agnitio illa, quae ex Spiritus sancti illustratione in renatis oritur, non est concreata animae humanae post lapsum proprietas, sed est lux aliunde, videlicet per Spiritus sancti *φωτισμὸν* et verbi lucem accensa. *Eratis quondam (φύσει) tenebrae, nunc autem* (per beneficium regenerationis et renovationis) *lux in Domino*, Ephes. 5, v. 8. *DEUS per Spiritum sapientiae et revelationis dat illuminatos oculos cordis*, Ephes. 1, v. 17 et 18. *ac Christus est lux mundi*, Joh. 8, v. 12. *lux illa vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* Joh. 1, v. 9. *Venit enim in hunc mundum, ut qui non vident, videant*, Joh. 9, v. 39.

34. Consectarium hujus theorematis est: imaginem Dei, si Scripturae phrasin imitari velimus, non esse quaerendam et constituendam in anima, quatenus est spiritualis, incorporea, immortalis, intelligendi et volendi facultate praedita, libera quoad electionem rerum externarum et civilium, quatenus corpori imperat, animantia dignitate praecellit, momento orbem lustrat etc.; haec enim omnia animae hominis etiam non renati conveniunt.

35. His duobus Scripturae dictis addendum etiam 2. Cor. 3.
tertium ex 2. Cor. 3, v. 18: *Nos omnes revelata*

facie gloriam Domini velut in speculo intuentes in eandem imaginem transformamur, a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu. Observa, quod imaginis divinae restitutio fiat in nobis κατὰ μεταμόρφωσιν, eo scilicet modo, ut deposita forma veteri induamus novam. Ergo non est in ipsa animae essentia divinae imaginis ratio quaerenda. Vicissim illa μεταμόρφωσις fit in nobis a Spiritu Domini. Ergo imago Dei non est in ullo istorum respectu collocanda, qui in anima hominis etiam non renati animadvertuntur.

36. Colligimus ergo hoc modo: Imago Dei in homine primo fuit justitia et sanctitas veritatis, id est, vera, juxta phrasin Hebraeam; et post lapsum ad eam homines renovari necesse est. Ergo si Scripturae phrasin sequi velimus, non est dicendum, quod anima ratione substantiae, vel ratione eorum, quae etiam post lapsum naturaliter ei insunt et in non renatis locum habent, sit imago Dei. *Renovamini*, dicit apostolus, *spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis*, Ephes. 4, v. 23. Creatus dicitur novus homo, tum respectu habito ad primam originem Adami, qui ad imaginem Dei, id est, interprete apostolo, in justitia et sanctitate vera creatus est: tum respectu habito ad alteram quasi creationem novi hominis per Spiritum sanctum et verbi ac sacramentorum ministerium. Est enim regeneratio quasi nova et altera creatio, cum qua conjuncta renovatio: per quam in renato restituitur amissa illa imago Dei, inchoative quidem in hac vita, consummative vero in altera.

Justitia et sanctitas vera quid complectatur?

37. Illa vero justitia et sanctitas vera, in qua apostolus imaginem Dei constituit, complectitur veram Dei agnitionem et sapientiae lucem in mente, conformitatem plenam cum lege Dei in voluntate, ac omnium virium animae rectitudinem. Ideo creatus est homo in summa innocentia, in summa animi ac corporis puritate, ut in ipso, tanquam vivo speculo quodam imago Dei reluceret. Sic imago divinae sapientiae fulgebat in intellectu hominis; imago bonitatis, μακροθυμίας, mansuetudinis, tolerantiae in animo hominis; imago caritatis et mi-
IV. 247. sericordiae divinae fulgebat in affectibus cordis humani; imago justitiae, sanctitatis et puritatis divinae lucebat in voluntate hominis; imago comitatis, benignitatis, veritatis in gestibus et verbis hominis; imago divinae potentiae in dominio concesso super omnia animalia.

Consequens illius rectitudinis.

38. Hinc factum, ut homo laetus, beatus et quietus in Deo creatore suo exsultaret, nullus in eo metus, nullus terror, nulla tristitia in ipso locum haberet. Breviter, per hanc imaginem fiebat, ut ratio hominis subderetur Deo, voluntas rationi, affectus atque omnes reliquae potentiae voluntati, ut omnium virium et potentiarum in homine esset pulcherrima harmonia.

39. In creaturis suam potentiam, sapientiam ac bonitatem Deus manifestaverat, ita ut κόσμος vere esset διδασκαλεῖον καὶ τῆς θεογνωσίας παιδευτήριον. Sed ne cogeretur homo extra se et e longinquo Dei cognitionem quaerere, posuit Deus intra ipsummet hominem suam imaginem, quam homo intuens cognosceret, qualis sit Deus, justus, sanctus, misericors, castus etc. Ac quemadmodum postea cum nullum animal inveniretur simile Adae, cum quo societatem, amicitiam et familiaritatem habere posset, creavit Deus Evam, adjutorium simile ipsi; ita creatis omnibus rebus corporeis, cum nulla esset similis Dei, et cum qua Deus societatem et familiaritatem inire posset, fecit hominem sui similem, ut esset, quem DEUS amaret, eumque suae beatitudinis participem redderet, et a quo vicissim agnosceretur, celebraretur, amaretur. Hinc illud Prov. 8, v. 31: *deliciae meae, esse cum filiis hominum.*

Materiale et formale imaginis divinae.

40. Sunt, qui dilucidioris explicationis gratia docent, imaginis divinae in homine partes duas esse, videlicet materiale et formale. Materiale vocant ἔμφυτον et concreatam illam omnium virium integritatem, omnium potentiarum εὐταξίαν ac totius humanae naturae rectitudinem cum lege Dei perfecte congruentem, cujus ratione subjectorum quatuor gradus constituunt: 1. in mente fuit clarissima lux divinae sapientiae, nimirum illustris notitia essentiae et voluntatis Dei immunis ab omni caligine et dubitationibus; 2. in voluntate fuit libera ad Deum conversio, summi boni ὄρεξις, et cum voluntate Dei tanquam archetypi in lege expressa plena conformitas; 3. in corde fuit dulcissima harmonia omnium affectuum cum lege, inprimis ardens dilectio Dei et perfectus amor proximi; 4. in reliquis animae viribus et omnibus corporis membris fuit summa rectitudo, summa cum imperio rationis et divina lege conformitas. Formale seu relationem imaginis divinae statuunt fuisse acceptationem personae Deo placentis, inhabitationem Dei gratiosam, et summorum bonorum communicationem largissimam.

41. Declarat hoc quadam similitudine Dn. Johan. Arndius, amicus noster parentis loco habendus lib. 1. de vero Christian. c. 2: *Absolon erat filius regis, erat pulcherrimus, in quo non erat ulla macula vel naevus a summo vertice ad imos usque calcaneos, erat etiam parenti suo dilectissimus, quod lacrymae Davidis testantur; sed honore illo contentus esse noluit, verum regiam patris coronam appetiit. Sic Adamus erat Dei filius per creationem, erat pulcherrimus inter creaturas corporeas, nullo in eo corporis vel animae macula, nullus naevus, deformitas nulla; erat dilectus Dei filius, templum et habitaculum Dei; sed honore illo contentus esse noluit, Satanae seductionibus obsecutus est, et verbum illud aedificatorium mortis, eritis sicut Dii, tanquam serpentinum semen in cordis agrum recipiens concreata rectitudine et gloria se ipsum spoliavit.*

Pererius de imagine Dei.

42. Nec inscite de hac imagine Dei in homine ita disserit Pererius lib. 4. in Gen. p. 488. et seqq.: *Homo gestat Dei imaginem ut filius sui patris, cui debet amorem et pietatem: ut servus domini sui, quem timere ac revereri debet; ut miles sui ducis et imperatoris, cui fidem et obedientiam praestare*

IV. 248. *debet; ut minister et dispensator bonorum heri et domini sui, cui rationem aliquando reddere debet.* Idem. *Homo si re aliqua excellat, velut divitiis, potentia, nobilitate, honoribus et sapientia, nollet quendam aliorum hominum sibi ea re parem aut similem esse; at Dei tanta bonitas tamque expers invidiae, ut quibus rebus excellit ipse, earum participem fecerit hominem.* Idem. *Quemadmodum rex condita a se civitate, in medio ejus loco celebri imaginem suam collocat ex materia quapiam eximia et pretiosa confectam, ut manifestum sit omnibus eam intuentibus, quis fuerit civitatis ejus conditor; ita Deus fabricato a se mundo effigiem suam posuit in medio ejus, id est, in homine, qui est medium quiddam inter res a Deo conditas, ut ex ejus aspectu et contemplatione in aperto sit omnibus, qualis fuerit mundi hujus fabricator.*

43. Ut hodie post lapsum nativa vis atque indoles mentis humanae est, Dei essentiam et voluntatem ignorare; nativus impetus voluntatis est, Deum fugere; nativa proprietas humani cordis, toto affectu in ea ferri, quae Deo displicent: ita ante lapsum naturale fuit homini, Deum creatorem nosse, timere, ei firmiter adhaerere, omnique impetu absque ullo luctu vel superioris et inferioris partis pugna moveri ad ea, quae Deo placebant. Rudis collationis gratia conferimus hominem ante lapsum monoceroti, cujus nativam indolem esse scribunt homini abblandiri, eundemque sectari; hominem post lapsum conferimus lupo, cujus nativa indoles hominem fugere et odisse; ita nativa indoles hominis ante lapsum fuit, DEUM amare, eundemque sectari; nativa ejus indoles post lapsum est eum fugere et odisse.

Ἀνακεφαλαίωσις, praecedentium.

44. Atque haec est descriptio imaginis Dei in primo homine ex Scriptura petita, nimirum quod fuerit justitia et sanctitas vera, quibus verbis (ut diximus) denotatur summa omnium animae et corporis virium rectitudo, integritas et cum lege divina conformitas, summa totius hominis perfectio, innocentia et mundities, quam nuditas hominis et paradisi inhabitatio etiam comprobat. Nudi erant primi homines; quid enim eos puderet, cum nullam legem sentirent in membris suis repugnantem legi mentis suae? Nullus erat in corpore motus, cui verecundia deberetur: *Nihil putabant velandum, quia nihil sentiebant refrenandum.* Augustinus 11. de Gen. ad lit. c. 1.

45. Ipsa proinde natura Adami, eaque tota, integra erat et recta, *fecit enim Deus hominem rectum,* (Eccles. 7, v. 30.) nullus in ea languor, nulla obliquitas, nulla curvitas, nulla superiorum et inferiorum pugna, nulla ad vitia inclinatio; et quod de totius universi opificio universaliter pronuntiat Spiritus sanctus Genes. 1, v. 31: *vidit Deus cuncta quae fecerat, et ecce erant valde bona,* id vel maxime de natura primi hominis et omnibus illi naturaliter inhaerentibus asseri debet.

Antithesis Bellarmini.

46. Confer cum hac imaginis divinae descriptione, quae Bellarminus disputat libr. de gratia primi hominis c. 5 6 et 7, primum hominem in puris naturalibus a Deo creatum, ita constitisse carne et spiritu, ut hinc ex contrariis propensionibus exstiterit in homine pugna, et ex hac difficultas agendi, dum IV. 249. una propensio alteram impediat. Hinc naturae humanae primum conditae morbum et languorem ex naturae conditione orientem tribuit, obedientiam partis inferioris erga superiorem, et hujus erga IV. 250. DEUM, non ex naturae rectitudine et integritate, sed ex dono supernaturali exsistere dicit: corruptionem naturae non ex doni alicujus naturalis carentia neque ex alicujus novae qualitatis accessu, sed ex sola doni supernaturalis ob peccatum amissione profluxisse, mortem et caeteros defectus humanos, in quos per peccatum incurrimus, esse a natura per se, a culpa vero sicut a causa removente perhibens: concupiscentiam carnis homini in puris naturalibus fuisse sine dubio conditionem naturalem, non quidem ut bonum naturae, sed ut defectum naturae, et quasi morbum ejus ex conditione materiae consequentem. Item ex materiae conditione, in homine in puris naturalibus considerato, praecipitem ad vitia inclinationem oriri etc.

47. Hinc comparationes istae, *quod justitiam originalem conferunt vesti, quae hominis corpori circumdatur, qua exutus homo nihilominus manet integer, sed tamen redditur nudus.* Item *serto, quod virginis capiti imponitur, quo amisso ipsa nihilominus manet virgo.* Bellarminus de grat. primi hominis c. 5. col. 23. affert *exemplum Sam-* IV. 251. *sonis, qui post crines resectos cum insignem illam fortitudinem divinitus acceptam amisisset, infirmus factus dicitur, non quod esset jam infirmior, quam ipsi homines ut plurimum esse soleant, sed quod esset infirmior, quam jam antea fuisset.* c. 6, col. 22. scribit, *donum justitiae non solum texisse et ornasse, sed etiam curasse et sanasse languorem illum, qui ex conditione materiae alioqui pullulasset,* ubi confert justitiam originalem forti antidoto, quod pestem in ipsis visceribus haerentem reprimit et coërcet, ne in actum erumpens hominem enecet. Hinc *πολυθρύλλητον* illud Scholasticorum: *Naturalia in hominibus post lapsum mansisse integra.* Hinc flosculi isti, quod *concupiscentia in renatis reliqua non sit peccatum, quod lex impleri possit, quod in spiritualibus etiam liberum sit hominis arbitrium, quod bona opera sint vere et proprie meritoria vitae aeternae* etc.

Quale ornamentum fuerit originis justitia.

48. Fuit utique justitia originalis Dei donum, non autem tale, quod instar externi cujusdam ornamenti naturam hominis pugna superiorum et inferiorum languentem texerit, sicut egregia vestis leprosum corpus, sed fuit intrinsecum totius naturae in Adamo ornamentum, et concreata animae humanae vis ac facultas, ita ut mens Adami naturaliter plena fuerit agnitione DEI, voluntas ejus cum divina lege ipsi naturae impressa plene consenserit, omniumque affectuum motus fuerint ordinati, sancti, integri. Creatus dicitur homo ad DEI imaginem, ergo in ipsa creatione et per ipsam creationem ipsius natura ad hanc dignitatem evecta est.

49. Quando ergo dicunt, concupiscentiam oriri ex materiae conditione, quaerendum de qua concupiscentia et de quo appetitu hoc intelligi velint? Est enim appetitus quidam bonus, quidam vero vitiosus, prior est ordinatus naturae motus, DEO placens; posterior autem non ducit originem ex materiae (bonae a DEO creatae) conditione, hoc est, corpus et anima hominis in puris naturalibus non fuerunt ita condita, ut natura illius concupiscentiae flammis arderent.

An fuerit in primo homine mala concupiscentia.

50. Digna proinde odio illa Bellarmini disputatio, quod in homine primo considerato in puris naturalibus concupiscentia mala et odio DEI digna actu primo fuerit; repressa tamen quasi per originalis justitiae frenum, ne in actum secundum erumperet. Distinguendum enim inter appetitus naturales et ἀταξίαν appetituum. Sensitivi appetitus objectum non est contrarium rationalis appetitus objecto, ergo etiam motus appetitus sensitivi, qua talis, non est contrarius rationali appetitui, sed tum demum evadit contrarius, quando limites egreditur.

Appetitus sunt duorum generum.

51. In Christo fuit appetitus *cibi*, Matth. 4, v. 2. *potus*, Joh. 4, v. 7. *somni*, Matth. 8, v. 24, qui appetitus sicut absque omni peccato in Christo fuerunt, ita quoque caeterorum organorum appetitus ordinatus fuisset in hominibus ante lapsum. Sic amor conjugis fuit in Adamo ante lapsum, Genes. 2, v. 23. Si vero de inordinatis appetitus sensitivi motibus loquamur, ut quando quis plus appetit cibi et potus, quam naturae congruum, quando illicitae libidinis flammis uritur, quando sacra fames auri et insatiabilis pecuniarum amor eum occupat etc. Respondemus, hos et similes appetitus esse malos et odio DEI dignos; sed negamus, eos ex materiae conditione oriri, hoc est, non ex ipsa hominis natura, prout a Deo condita est, sed prout per peccatum est corrupta originem eos trahere asserimus.

An concupiscentia mala ortum IV. 252. ducat ex conditione materiae.

52. Monstri simile est, quod disputat Bellarminus concupiscentiam malam et odio DEI dignam ex materiae conditione ortum ducere. Si enim ex materiae conditione, id est, ex natura hominis, prout in puris naturalibus consideratur, oritur illa concupiscentia, utique non erit mala, quia a DEO est natura hominis condita, qui vidit cuncta quae fecerat, et ecce erant valde bona. Sap. 11, v. 25: *Deus nihil eorum odit, quae fecit.*

Exceptiones:

53. Nec procedit effugium, *concupiscentiam illam ex materiae conditione ortum ducere, et tamen non esse ex DEO, sed odio DEI dignam.* Quae enim ex natura per se oriuntur, DEO auctori naturae
1. tribuenda. Quod si ergo homo in puris naturalibus ita conditus est, ut ex materiae conditione oriretur concupiscentia illa mala, utique optimum optimi creatoris opus accusatur et deformatur.

2. 54. Nec procedit effugium, *quod rebellio illa carnis ad spiritum sive mala illa concupiscentia non ex intentione auctoris naturae, sed praeter ejus intentionem ex materiae conditione consecuta sit*, hoc enim derogat divinae omnisapientiae et potentiae, quasi non potuerit DEUS inter materiam et formam, corpus et animam hominis optimum ordinem, conformitatem, ac rectitudinem efficere. In ipso DEI opere praeter ejus intentionem quippiam oriri et exsistere quis dixerit, cui infinita Dei sapientia ac potentia cognita? Certe non est sapientis dicere, non putaram. Ergo nec sapientis erit, ipsi sapientiae hoc tribuere.

55. Nec procedit similitudo, quae Bellarmino 3.
placet: *Faber ferrarius* (inquit), *qui ex ferro gladium fabricat, non est causa rubiginis in gladio, quae ex materiae conditione postea oritur; ita praeter DEI intentionem exstitit illa carnis ad spiritum rebellio.* At magna omnino diversitas. Faber ferrarius materiam suae artis invenit, non facit; si posset, talem utique gladium fabricaret, qui rubiginem non contraheret. Deus materiam sui operis non invenit, sed facit, praeter ejus intentionem in opere aliquid exsistere nequit.

56. Nec procedit effugium, *quod propterea Dei* 4.
opus sanctum ac purum sit, quia super additum fuerit frenum, quo debuissent affectus coërceri. Manet enim illa rebellio prava et mala in se, manet peccatum, ut apostolus aliquoties expresse nominat, licet ex accidente corrigatur. Equus nihilominus ferus est et recalcitrans, licet freno regatur, et carceribus prohibeatur, ne in apertum campum erumpat.

CAPUT II.

IMAGINEM DEI IN HOMINE NON FUISSE DONUM ALIQUOD SUPERNATURALE.

57. Esto proinde firmum fixum, quod justitia originalis fuerit interna et concreata totius hominis perfectio, qui absque ulla vitiosa concupiscentiae labe, absque ulla inclinatione ad vitia, absque ullo languore conditus fuit purus integer et sanctus. Id quod etiam ex reliquiis imaginis et ejusdem propagatione colligi potest.

Reliquiae imaginis divinae de ejus natura testantur.

58. *Opus legis scriptum esse in cordibus gentium*, dicit apostolus Rom. 2, v. 15; quod si reliquiae illae imaginis DEI, videlicet aliqualis legis divinae notitia, in cordibus naturaliter inscripta, utique perfecta et integra divinae legis notitia fuit in hominibus ante lapsum naturalis. Quando totum et partes sunt homogenea, tunc eadem est natura totius, quae est partis. Absurdum est, hominibus etiam non renatis supernaturale aliquod donum tribuere.

59. Ibidem apostolus asserit, *gentibus testimonium reddere conscientiam, cogitationibus invicem se accusantibus, vel defendentibus;* inde sic colligimus: testimonium conscientiae in ethnicis accusans vel defendens eorundem facta non est in eis

IV. 238. supernaturale quoddam donum, sed naturalis animae vis et particula quaedam judicii divini in mentibus hominum. Ergo etiam rectitudo primi hominis fuit ipsi naturalis; ratio consequentiae itidem pendet ex natura partium homogenearum.

Propagatio naturalis non est nisi naturalium. 60. Quae naturaliter propagantur, naturalia sunt. Jam vero imago DEI in hominibus ante lapsum, si perstitissent in integritate, fuisset ad posteros propagata. Ut Adamus post lapsum notanter dicitur *genuisse filium ad imaginem et similitudinem suam*, Gen. 5, v. 3. *unde omnes sumus φύσει filii irae*, Ephes. 2, v. 3; ita procul dubio Adamus in statu integritatis genuisset filium secundum imaginem Dei.

61. Epiphonema illud Spiritus sancti, quod descriptioni creationis subjungitur Genes. 1, v. ult. *Vidit DEUS cuncta quae fecerat; et ecce erant valde bona*, cum ad reliquas creaturas omnes, tum praecipue ad microcosmum et creaturarum omnium complementum, videlicet ad hominem referendum est; post cujus creationem Deus ab opere quievit, sicque in hoc suo opere sese delectari non obscure significavit. At quomodo cum hoc Spiritus sancti elogio conveniunt ista pronuntiata de morbo et languore naturae, de pugna carnis et Spiritus, de concupiscentia mala, non amore, sed odio digna, de rebellione praeter intentionem DEI ex materiae conditione consecuta? quae omnia naturae humanae, ut a Deo condita est, a Bellarmino tribuuntur.

Omnia erant valde bona, nihil ergo in homine mali ante lapsum. 62. *Fecit Deus hominem εὐθῆ, rectum*, Eccles. 7, v. 30. nulla ergo in ipso curvitas, obliquitas nulla. Fecit Deus hominem perfecte sanctum et justum, nulla igitur in ipso concupiscentia prava. Delectatus est Deus hoc opificio, nihil ergo in natura Adae erat, quod Deo displiceret. Adamus erat dilectus DEI filius, ergo non erat in ipso concupiscentia odio digna. Augustinus 14. de civ. Dei c. 11: *Fecit Deus hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonae; non enim rectus est bonam non habens voluntatem* etc. *Vivebat homo secundum Deum in paradiso et corporali et spirituali, neque enim erat paradisus corporalis propter corporis bona, et propter mentis, non erat spiritualis; aut vero erat spiritualis, quo per interiores, et non erat corporalis, quo per exteriores sensus homo frueretur? erat plane utrumque propter utrumque.* Et in praeced. c. 10: *An forte cupiebant (primi parentes) prohibitum lignum ad vescendum contingere, sed mori metuebant; ac' per hoc et cupiditas et metus jam tunc illos homines etiam in illo perturbat loco? absit, ut hoc existimemus fuisse, ubi nullum erat omnino peccatum. Neque enim nullum peccatum est, ea quae lex DEI prohibet concupiscere, atque ab his abstinere timore poenae, non amore justitiae. Absit, inquam, ut ante omne peccatum jam ibi fuerit tale peccatum* etc.

Statuere quod corruptio naturae ex materiae conditione orta 63. Quod si post lapsum primorum parentum naturalia manserunt integra, neque antea saniora aut puriora per se fuerunt, quam nunc sunt post lapsum, quin imo si corruptio naturae ex materiae conditione orta est, plurimum extenuabitur peccatum originale atque reatus illud consequens, ut res ipsa ostendit, et **sit, extenuat peccatum originis.** Bellarm. negare non potest, unde ex Thom. 1. 2. q. 82. art. 1. ad 3. ipse scribit c. 5. col. 17: *Ex peccato originali sequitur aliqua inclinatio in actum inordinatum, non directe, sed indirecte, scilicet per remotionem prohibentis, id est, originalis justitiae, quae prohibebat inordinatos motus;* et col. 18. disputat, *futuram fuisse in homine condito in puris naturalibus concupiscentiam transcendentem limites rationis.* Jam vero Scriptura verbis tragicis peccatum originis exaggerat, et totius naturae humanae penitissimam corruptionem esse definit, ut suo loco videbimus. Ubi etiam prodest observare subterfugium Bellarmini, quod profert c. 6. col. 22: *Natura humana* (ait) *per Adae lapsum est corrupta et vulnerata, scilicet si respiciatur status, ad quem DEI benignitate per donum supernaturale fuerat evecta; eadem autem est integra, si referatur ad eum* IV. 254. *statum, in quo esse potuisset, si in puris naturalibus a DEO condita fuisset.* Atqui ex privatione doni extrinsecus et supernaturaliter additi non potest natura aliqua corrupta dici, perinde ut Samsonis natura (quo exemplo Bellarminus utitur) privatione roboris supernaturalis non fuit corrupta: proprie igitur loquendo, natura hominis accipienda de illis, quae sunt ejus vel essentiales partes vel proprietates naturales, earumque operationes, et effecta naturalia, quae omnia sana et incorrupta esse Bellarm. docet; nos autem suo loco docebimus, Scripturam, quando de corruptione naturae humanae per peccatum originale introducta loquitur, non de donorum supernaturalium tantum privatione, sed virium naturalium destructione agere.

Testimonia veterum. 64. Pertinent huc omnia veterum dicta, quibus testantur, hominem primum omni pravitate, omni languore naturae, omni propensionum repugnantia caruisse. Tertull. de patient.: *Homo innocens erat DEO proxime amicus et paradisi colonus.* Augustin. lib. de Contin. c. 7: *Languorem istum culpa meruit, natura non habuit.* Macar. homil. 12: *Adam transgressus mandatum duobus modis periit, uno quidem, quod perdidit possessionem puram naturae suae, speciosam et secundum imaginem ac similitudinem DEI conditam; altero vero, quod perdidit ipsam imaginem, in qua reposita ei erat juxta promissionem tota haereditas coelestis; perinde ac si sit moneta imagine regis insignita, quae adulteretur, non aurum solum periit, sed imago etiam nullius est pretii; tale quippiam evenit Adae, ingentes siquidem divitiae et magna haereditas erat ei praeparata; perinde ac si sit praedium amplum, illudque multos habeat reditus* etc., *ita vas Adae ante inobedientiam erat tanquam praedium fructuosum.* Damascenus 2. orthod. fidei. c. 12: *Fecit Deus hominem purum, pravitateque carentem, rectum, fortem, jucundum, securum, omni virtute decorum, bonis omnibus ornatum, veluti quendam secundum mundum, in magno quidem mundum parvum, angelum alterum, adoratorem mixtum* etc. Et postea; ἐποίησεν, αὐτὸν φύσει ἀναμάρτητον καὶ θελήσει αὐ-

τεξουσιον· ἀναμάρτητον δὲ φημί, οὐχ' ὡς μὴ ἐπιδεχόμενον ἁμαρτίαν (μόνον καὶ τὸ θεῖον ἁμαρτίας ἐστὶν ἀνεπίδεκτον), ἀλλ' οὐκ ἐν τῇ φύσει τὸ ἁμαρτάνειν ἔχοντα. Interpres reddit: *quod in eo, quod secundum naturam, peccare situm non esset.* Hugo part. 6. de sacram. c. 2. et Lombard. 2. sent. dist. 16. lit. D.: *Factus homo ad similitudinem DEI, secundum innocentiam et justitiam, quae in mente rationali naturaliter sunt.*

Exceptiones Bellarmini ad argumenta nostra.

65. Argumenta nostra, quae ex Scriptura produximus, Bellarminus non attingit, sed format sibi ipsi c. 7. quasdam objectiones ex patrum dictis et rationibus, easque conatur dissolvere. Videamus breviter quid praestet: *Prima* (ait) *objectio est: Si justitia originalis fuisset supernaturalis, sequeretur concupiscentiam carnis fuisse naturalem, ac per hoc bonam et a DEO; at Johannes diserte dicit 1. epist. 2. eam non esse ex patre, sed ex mundo, et Paulus Rom. 7. dicit, se eam odisse, et Augustinus multis in locis probat, eam esse malam ac naturae contrariam.* Excipit Bellarmin.: *Concupiscentia carnis nunc quidem est poena peccati, tamen homini condito in puris naturalibus fuisset sine dubio naturalis, non quidem ut bonum aliquod naturae, sed ut defectus et quasi morbus quidam naturae ex conditione materiae consequens. Quare rectissime dicitur, non esse ex DEO, odio, non amore dignam, malam naturaeque contrariam propter duas causas; primo, quia non ex intentione auctoris naturae, sed praeter intentionem ejus in homine exstitisset, si in puris naturalibus homo creatus fuisset; deinde, quia DEUS illam sustulerat, et ex ipsius hominis culpa locum in nobis habet.* Respondemus: Vel ex unico hoc loco de tota hac disputatione rectissimum fieri poterit judicium: 1. probe observetur, quod concedat Bellarminus, illam ipsam concupiscentiam, quae hodie in membris nostris regnat, de qua tam anxie conqueritur apostolus, quae nos ad omnis generis actualia delicta solicitat, sine dubio fuisse homini in puris naturalibus con-
IV. 255. dito naturalem, ac fuisse defectum ac morbum quendam naturae ex materiae conditione ortum; atqui unde illa materiae conditio? utique a Deo, qui ipsam corporis substantiam et omnes vires homini concesserat, quid inde sequetur aliud, quam DEUM concupiscentiae illius auctorem esse? Quicquid odio dignum, illud est peccatum; atqui concupiscentia juxta Bellarminum est odio digna, utique ergo est peccatum. Majorem intelligo de odio DEI et hominum sanctorum; quicquid DEUS et sancti oderunt, illud est peccatum, quia DEUS nihil eorum odit quae fecit, et sancti nihil debent odisse praeterquam solum peccatum. DEI poenas odisse non debemus, quia sunt a bono et tendunt ad bonum. 3. Concupiscentia mala est, ait Bellarminus: quaero, sitne malum culpae an poenae? prius dicit Scriptura, sed negat Bellarminus, cum tamen negare id non possit, modo sibi constare velit, addit enim esse concupiscentiam non solum malam, sed etiam odio dignam; atqui malum poenae non est odio dignum, sed tantum malum culpae. 4. Concupiscentiam illam dicit fuisse homini in puris naturalibus condito naturalem et oriri ex conditione materiae, et tamen addit eandem concupiscentiam esse naturae contrariam, quomodo haec possunt conciliari? Quicquid ex conditione alicujus rei oritur, id rei isti contrarium esse nequit. Concupiscentia ex ipsius naturae humanae conditione oritur. Ergo naturae humanae non est contraria. Assumtum probo, quia oritur ex conditione materiae, quae est pars naturae humanae. 5. Conditio materiae est a DEO, concupiscentia est ex conditione materiae, quomodo ergo negare poterit Bellarminus, concupiscentiam esse ex DEO, cujus opificium est materia? 6. Cumulatur hoc alio absurdo, quando dicitur, praeter intentionem DEI exstitisse illam concupiscentiam in homine, si fuisset in puris naturalibus conditus; atqui injurium hoc in Dei potentiam et sapientiam; an non potuit DEUS talem materiam eligere ad hominis fabricam, quae libera ab hoc malo? num de illius operibus etiam pronuntiabimus istud poëtae:

> *Amphora coepit*
> *institui, currente rota mox urceus exit.*

7. Sustulerat DEUS [inquis] illam concupiscentiam. Explica clarius, quomodo sustulerit? actum secundum cohibuerat et represserat, non autem radicitus eam evulserat? quid? num dicemus eum, qui freno regit equum calcitronem et refractarium, ipsam equi indomitam ferociam removere? creaverat DEUS humanam naturam cum hac materiae conditione, quomodo ergo proprie loquendo sustulerat, sanaverat, palliaverat, vestiverat [secundum Bellarminum], non autem sustulerat.

Argumenta ex dictis Augustini.

66. Secunda, tertia, quarta et quinta objectiones petitae sunt ex dictis quibusdam Augustini. 2. August. in Enchir. c. 11. scribit, *animorum quaecunque sunt vitia, naturalium sunt privationes bonorum.* Excipit Bellarminus: *1. videtur Augustinus per naturalia bona non formas, sed subjecta intelligere; 2. deinde loquitur Augustinus de vitiis, quae sunt habitus quidam per iteratos actus acquisiti, non de concupiscentia, ignorantia, infirmitate; 3. praeterea vitia sunt privationes naturalium bonorum, id est, naturalis rectitudinis, non qualis in primo homine fuit, sed qualis esse potuit, si in puris naturalibus conditus fuisset; 4. denique si cogeremur per naturalia bona apud Augustinum intelligere justitiam originalem, promtum esset respondere, donum illud vocari bonum naturale, quia naturam non destituat, sed perficiat.* Respondemus: fingere hoc est et pingere, non autem theologice disputare. Augustinus diserte opponit inter se bona et mala: ac vitia animorum quaecunque nihil aliud esse dicit quam privationes naturalium bonorum, quae naturae hominis inesse debebant, et naturae ipsius primaevae vere inerant: videatur integer contextus, et observetur collatio inter corporis et animi sanitatem, quae certe in corpore est bonum naturale.

67. 3. Augustinus 12. de civ. Dei c. 1. sic lo- 1.

IV. 256. quitur de angelis: *Cum vitium creaturae angelicae dicitur, quod non adhaeret Deo, hinc apertissime declaratur, ejus naturae, ut Deo adhaereat, convenire.* Excipit Bellarminus, *convenire naturae angelorum, non autem naturaliter, sed per gratiam.* Respondemus: non excludimus DEI gratiam, sed ex DEI gratia naturam angelicam ita conditam dicimus, ut naturalis ejus proprietas esset Deo adhaerere, quod diserte docet Augustinus in eo loco, ut ostendit comparatio illa, qua utitur: Sicut cum vitium oculorum dicitur caecitas, id ostenditur, quod ad naturam oculorum pertinet visus, ita cum vitium creaturae angelicae dicitur, quod non adhaeret Deo, hinc apertissime declaratur, ejus naturae, ut Deo adhaereat, convenire: Subsume: vis videndi est naturalis oculi indoles, ita vis Deo adhaerendi fuit naturalis angelicae naturae proprietas. Vidit hoc Bellarminus, ideo priorem comparationis partem omisit.

4. 68. 4. Augustin. de corr. et grat. c. 11. et in Ench. c. 106. asserit: *Vitam aeternam in statu innocentiae futuram fuisse mercedem meriti, quae nunc est munus, ergo justitia originalis et caritas, per quam fuisset meritus, non donum gratiae, sed conditio naturalis in Adamo fuisset.* Respondemus: Nos hoc argumento non utimur, quia primus homo non ex solis liberi arbitrii viribus, sed etiam ex Spiritus s. inhabitatione in statu innocentiae ad gloriam fuisset perseveraturus: et si vel maxime obedientiam ejus vitae aeternae praemio Deus remunerasset, non tamen ex merito, proprie et stricte loquendo, illud obtinuisset, cum obedientia illa jure creationis jam ante Deo fuisset debita, et cum nulla plane sit proportio inter hominis obedientiam temporariam et felicitatem vitae aeternae perpetuam.

5. 69. 5. Augustinus lib. 3. de lib. arbit. c. 18: *Approbare falsa pro veris, ut erret invitus, et resistente atque torquente dolore carnalis vinculi non posse a libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed poena damnati.* Excipit Bellarminus, *loqui Augustin. de natura, qualis fuerit in primo homine, non qualis esse potuerit.* Respondemus: imo vero, quaestio est, qualis fuerit in puris naturalibus primus homo, an scilicet in puris naturalibus ita fuerit a Deo creatus, ut furores illi libidinum et concupiscentiarum malarum ex ipsius natura sponte prorumperent, nisi supernaturali justitiae originalis dono reprimerentur? Bellarminus id affirmat, sed Augustinus diserte negat. Si natura hominis ita a Deo condita est, ut homo invitus falsa pro veris approbet, neque possit a libidinosis operibus temperare, quomodo Deus non erit auctor peccati?

6. 70. 6. Leo serm. 13. de pass. Dom. vocat *innocentiam primi hominis naturalem.* Excipit Bellarminus, *vocari naturalem, quia ab initio conditionis cum ipsa natura tributa, et per modum naturae in posteros fuisset propaganda, quo sensu peccatum originale etiam dicitur naturale.* Respondemus: hac ratione nulla relinquerentur in Adamo supernaturalia dona, id, quod ipse Bellarminus improbat. Inhabitatio Spiritus s. ab initio conditionis competebat Adamo, ipsi quoque posteri ejus fuissent templa Spiritus s., at num propterea donum naturale? Non sufficit varias exceptiones fingere, ut vis dictorum quocunque modo enervari possit, sed probandae etiam erant istae exceptiones. Peccatum originale dicitur naturale, non solum quia ab initio ortus homini competit et per generationem propagatur, sed et ratione inhaerentiae, quia totam naturam humanam in Adamo ita infecit et tabefecit, ut nativa indoles hominum post lapsum progenitorum evaserit.

71. 7. *Concil. Trid. sess. 5. docet, propter peccatum originis incurrisse nos in potestatem diaboli,* 7.
totumque hominem secundum corpus et animam in deterius mutatum, id vero non est privari solum dono supernaturali. Excipit Bellarminus, *utrumque a se asseri, videlicet propter peccatum originis hominem incurrisse in diaboli potestatem, ac secundum corpus et animam in deterius mutatum esse; nec tamen hominem in puris naturalibus conditum fuisse in diaboli potestate, sed futurum fuisse, quales nos sumus quoad mortalitatem corporis, re-* IV. 257.
bellionem membrorum, ignorantiam, difficultatem et similia. Respondemus: Concilio Trid. nos parum tribuimus, interim merito quaerimus, quomodo sententiam suam Bellarminus cum his concilii verbis conciliare velit? Si enim peccatum originis nihil aliud est, quam privatio doni supernaturalis, salva atque integra manente ipsa hominis natura, quomodo dici potest, hominem per peccatum incurrisse in diaboli potestatem, sub quo non fuisset futurus, si in puris naturalibus esset conditus? Ulterius. Si mortalitas corporis, membrorum rebellio, ignorantia etc. ex ipsis naturae principiis profluxerunt, remoto saltem originalis justitiae dono, quomodo dici potest, per peccatum originale totum hominem secundum corpus et animam in deterius mutatum esse?

72. 8. Augustin. de corrept. et grat. c. 11. 8.
docet, *carnis impetum magis esse rebellem, quam ante peccatum sine gratia futurus erat.* Excipit Bellarm. *Augustinum nuspiam dicere, quod carnis impetus magis rebellis quam ante peccatum futurus erat sine gratia, neque illud ab Augustino uspiam asseri, quod pura naturalia fuerint saniora et puriora ante peccatum, quam sint post peccatum.* Respondemus: an subterfugia ista, quibus in detorquendis Augustini dictis superius allatis Bellarminus usus est, locum habere possint, valde dubitamus: In hoc ipso loco confert Augustinus primum et secundum Adamum, hoc est, Christum, atque hunc dicit majori Dei gratia ad hunc beatitudinis gradum ab initio illo, quo homo esse coepit, evectum, ut non potuerit peccare, ex quo colligimus: Quemadmodum haec innocentia fuit naturalis assumtae humanae naturae Christi, ita quoque illa Adami innocentia, quae minoris gradus est, naturalis ipsi fuit: num et in Christo fingemus tale supernaturale donum, quo rebellio in membris delitescens fuerit coërcita ac repressa? absit.

9. 73. 9. In parvulis quamprimum adolescunt, maxima vanae cupiditatis abundantia apparet, suaque sponte immani impetu in vitia vel omnia vel plurima praecipites feruntur, teste Augustino 22. de civ. Dei c. 22. et ipsa experientia: at non sic homo in puris naturalibus in lucem editus fuisset, nuda enim in illo fuisset possibilitas peccandi, non praeceps aliqua inclinatio. Excipit Bellarminus, *gratis hoc assumi*, *quod non fuerit in Adamo praeter peccandi possibilitatem etiam praeceps illa in vitia inclinatio, quin imo apertissimam rationem contrarium docere*, *tum*, *quia objecta sensuum sunt propinqua et praesentia*, *objecta autem spiritus remota; tum quia infantiae tempore non habemus usum rationis*, *cum contra sensus et appetitus inferiores vigeant; tum quia inclinationis illius alia causa*, *quam materiae conditio*, *nequit assignari.* Respondemus: Hoc pronuntiamus in ipsum naturae humanae opificem injurium esse. Quid enim? Si praeceps illa ad vitia inclinatio fuit in Adamo ante lapsum, cur apostolus tam miserabiliter eam deplorat? num in assumta natura humana Christi eadem inclinatio, repressa tamen per donum supernaturale? num in electis eadem? Utique ex hypothesibus Bellarmini, si enim conditio materiae ejus inclinationis causa, sequetur, ubicunque est illa materiae conditio, ibi etiam esse praecipitem illam inclinationem. Detestandum vero est quam maxime, quod Bellarminus ipsam primi hominis naturam sanctissimam hac ignominia afficit, ut praecipitem ad vitia inclinationem ei tribuat, quo corruptae naturae integritatem ac operum humanorum merita stabilire queat. Nimirum hoc est cum ignominia creatoris ipsum opus honorare.

10. 74. 10. Si homo conditus a Deo rectus absque ulla curvitate, deinde, si DEUS peccati auctor esse nequit, non potest dici, quod impetus concupiscentiae malae fuerint in homine. Excipit Bellarminus, *illam rebellionem veste justitiae originalis contectam fuisse*. Respondemus: Nihilo tamen minus inerat actui primo, quia remoto originalis justitiae superaddito dono, ex ipsis naturae principiis promanavit. Qui leprosum corpus purpura induit, lepram non tollit, sed abscondit. Alterum subterfugium, quod rebellio illa praeter intentionem DEI ex conditione materiae fuisset consecuta, discussimus superius.
IV. 256. Tertium latibulum, quod rebellio et prava concupiscentia nec peccatum sit nec ad peccatum necessario inducat, suo examinabitur loco.

11. 75. 11. Contra accusatores naturae solent patres peccati originalis corruptelam nostro vitio invectam opponere, non ipsam naturam, ut faciunt ethnici, novercam facere. Excipit Bellarminus, *recte hoc doceri*, *quod non ipsa natura accusanda*, *sed in originale peccatum causa omnium aerumnarum transferenda sit.* Respondemus: Paulo post additur, defectus illos ex conditione materiae praeter intentionem agentis in homine exsistere, quod si ex ipsa materiae conditione oriuntur, quomodo non accusatur ipsa natura? vanum est, quod dicit Bellarminus, *sublatos illos defectus in prima conditione;* nam ex propria ipsius hypothesi non sublati fuerunt isti defectus, sed repressi et conjecti. Praeterea illae concupiscentiae pravae poenae sunt et aerumnae, ex ipsius Bellarmini concessione, quomodo ergo causa omnium aerumnarum in originale peccatum poterit referri, si concupiscentiae illae ex materiae conditione dicantur oriri et ante peccatum in homine actu primo fuisse asserantur.

76. 12. Concupiscentiae carnalis inordinati motus 12.
maxime apparent in genitalibus, sed docente Augustino nullus eorum fuisset inordinatus motus ante peccatum, verum sine ullo libidinis actu generationi inserviissent. Excipit Bellarminus, *non fuisse quidem in homine ante lapsum ullum libidinis aestum*, *sed tamen in puris naturalibus condito eum esse potuisse.* Respondemus: Corruptio illa naturae, de qua hoc loco quaerimus, non tantum in membris corporis nec in inferioribus animae potentiis, sed in ipsa etiam hominis mente ac supremis animae viribus quaerenda est, ut in sequenti loco evidenter ex Scriptura docebimus. Proinde tenebras illas in mente, horribiles illas dubitationes, perversum de DEO et modo eum colendi judicium, aversionem in voluntate, ἀταξίαν affectuum, inclinationem ad omnis generis enormia peccata, pronum impetum ad avaritiam, libidines, superbiam etc. fuisse in primo homine in puris naturalibus condito, nunquam persuaderi sibi patietur, qui DEUM hominis opificem sanctissimum et sapientissimum, qui hominem DEI opificium pulcherrimum et immaculatum cogitaverit.

77. 13. Aeterna beatitudo finis est hominis na- 13.
turalis. Ergo etiam debuit homo media naturalia ad eum finem obtinendum habere, alias brutis fuisset deterior. Excipit Bellarminus, *beatitudinem esse finem hominis naturalem*, *quoad appetitum*, *non quoad consecutionem*, *nec esse novum id*, *quod homo naturaliter appetit*, *non posse absque supernaturali auxilio obtineri*; *si vel maxime homo non obtinuisset media ad beatitudinem*, *tamen finem suum naturalem*, *qui est rationando veritatem inquirere*, *consecutus fuisset.* Respondemus: imo vero absurdum est dicere, quod beatitudo sit hominis finis naturalis [quod nulla specie negari potest, cum non ad hanc, sed ad aeternam vitam homo potissimum sit creatus] et addere, quod media beatitudinis illius vel sint homini denegata vel non fuerint naturalia. Exemplum illud, quod Bellarminus profert de animabus, quae corporibus solutae naturalem habent propensionem ad corpora, et tamen non possunt sine supernaturali auxilio corporibus conjungi, alienum est et impertinens, quia per peccatum primi hominis mors introducta est in mundum, per quam fit, ut anima a corpore separetur nec nisi supernaturali auxilio ei vicissim conjungi possit; sed primus homo ad vitam aeternam conditus, in justitia et sanctitate vera simul conditus fuit, per quam accedente Spiritus sancti gratia finem illum suum obtinere potuisset. Frivolum est, quod Bellarm. obvertit, *naturalem hominis*

finem esse ratiocinando inquirere veritatem; hic enim finis nec ultimus est nec principalis; sed ideo est homo conditus, docente Lactantio lib. de ira Dei c. 13, *ut Deum cognoscat et per eam cognitionem immortalitatem assequatur, quod est summum bonum.* Id. lib. 7. Instit. c. 6: *Idcirco mundus factus est, ut nascamur, ideo nascimur, ut agnoscamus factorem mundi ac nostri Deum, ideo agnoscimus, ut colamus, ideo colimus, ut immortalitatem pro laborum mer-*
IV. 259. *cede capiamus, quoniam maximis laboribus cultus Dei constat: ideo praemio immortalitatis afficimur, ut similes angelis effecti summo Patri ac Domino in perpetuum serviamus et simus aeternum Deo regnum.* Hunc finem homini ad imaginem Dei condito improportionatum dicere, est in ipsam hominis naturam injurium esse. Denique an non absurdum est statuere, quod homo post lapsum relictis liberi arbitrii viribus oblatam gratiam acceptare et suis operibus vitam aeternam promereri possit [quod magno conatu evincere nititur Bellarm.], atque interim asserere, quod beatitudo sit homini etiam in statu integritatis condito finis improportionatus ac nimium sublimis?

Consensus Pererii.

78. Omnia ea, quae hactenus disputata sunt, probant imaginem DEI in primo homine fuisse internum quoddam decus ipsi concreatum, non autem externum quoddam supernaturale ornamentum. Recte ergo Pererius lib. 4. in Gen. p. 502: *ut agnosceretur, hominem esse quid Dei proprium ac peculiare, obsignavit eum Deus sigillo suae imaginis, tam alte ac tenaciter impressae, ut salva hominis natura signaculum hoc auferri nullo modo posset, quemadmodum memoriae proditum est, nobilissimum illum Phidiam fecisse clypeum Minervae, atque in eum tanta arte effigiem suam inclusisse, ut ea integro clypeo non posset eximi.*

An quaedam supernaturalia dona in primo homine.

79. Bellarminus de grat. primi hominis c. 1. dicit: *Nos nulla supernaturalia dona in primo homine agnoscere.* At falsum hoc est, quamvis enim negemus, justitiam originalem fuisse donum aliquod supernaturale, ex eo tamen ἀπαιδεύτως infert Bellarminus, nos plane nulla supernaturalia dona in primo homine agnoscere. Fuit certe Adamus ante lapsum pulcherrimum Spiritus s. templum, et totius sacrosanctae trinitatis domicilium; neque enim cum auctore quaestionum V. et N.-T. [quae Augustino minus recte adscribuntur] statuimus, Adamum Spiritu s. caruisse, q. 123. quin potius, si in homine renato, quando in illo instauratur imago DEI, habitat Spiritus s. et tota sacrosancta trinitas, ut diserte confirmatur 1. Cor. 3, v. 16. c. 6, v. 19. Joh. 14, v. 23, quanto magis in primo homine Spiritus s. habitavit, quae Spiritus s. et totius sacrosanctae trinitatis inhabitatio non fuit pars vel proprietas aliqua naturae hominis, sed donum supernaturale.

80. Fatetur Bellarminus de grat. prim. hom. c. 5. c. 17. viros alioqui insigniter eruditos inter ipsos Pontificios statuere, Jesuitas sententiam istam, quod justitia originalis fuerit donum aliquod supernaturale, ex uno Dominico a Soto accepisse, neque esse hanc communem Scholasticorum veterum et recentiorum sententiam: quod non sine ratione dictum esse ex sequentibus apparet. Lomb. 2. sent. dist. 25. lit. H. scribit: *Per peccatum originale naturalia bona in homine sunt corrupta, et gratuita detracta. Hic est enim ille, qui a latronibus vulneratus est et spoliatus. Vulneratus quidem in naturalibus bonis, quibus non est privatus, alioquin non posset fieri reparatio; spoliatus vero gratuitis, quae per gratiam naturalibus addita fuerant. Haec sunt data optima et dona perfecta, quorum alia sunt corrupta per peccatum, id est, naturalia, ut ingenium, memoria, intellectus: alia subtracta, id est, gratuita: quanquam et naturalia ex gratia sint, ad generalem quippe Dei gratiam pertinent.* Thomas p. 1. q. 93. art. 7: *Imago Dei consistit primario in actionibus animae, et consequenter in potentiis.* art. 8: *Imago divina est in homine, secundum verbum conceptum de Dei notitia et amorem inde derivatum, et sic imago Dei attenditur in anima, secundum quod fertur vel nata est ferri in Deum.* Biel. 1. sent. dist. 9. q. 10. art. 3: *Eo ipso mens imago Dei est, quo capax ejus est.* art. 4: *Imaginis ratio consistit radicaliter et originaliter in animae substantia, perfecte et completive in substantia et actibus ab ea productis.*

81. Statuit ergo Bellarminus, falsum esse et haereticum, quod dicimus, rectitudinem illam, in qua creatus est Adam, fuisse illi naturalem hoc modo, quod fuerit sanitas quaedam debita naturae, aptaque nasci ex ipsa natura bene constituta, id est, non corrupta, et nunc hominibus, qui eam rectitudi- IV. 260
nem amiserunt, deesse bonum aliquod naturale, quale deesset pecudi, si claudicans vel caeca vel febricitans nasceretur, aut si hodie homo caecus nasceretur; ipse contra statuit, rectitudinem illam etiam partis inferioris fuisse supernaturale donum, et quidem per se, non per accidens, ita ut neque ex principiis naturae fluxerit neque potuerit fluere, quin potius naturam humanam sibi relictam pugnam illam partis inferioris cum superiore experiri coepisse, quae naturalis futura erat, id est, ex conditione materiae secutura, nisi DEUS justitiae donum homini addidisset.; libr. de grat. prim. hom. c. 5. col. 16. et 17.

Argumenta Bellarmini, quibus probare conatur justitiam originalem fuisse donum supernaturale. 1. Gen. 3. Pulvis es.

82. Argumenta suae sententiae haec profert, c. 6. col. 21. ex Scriptura, patribus et ratione: 1. Gen. 3. indicatur, quid homo sit ex naturae suae conditione. *Pulvis es et in pulverem reverteris,* quae verba sic interpretatur Bellarm.: *Quamquam te valde gloriosum mea benignitate effecerim, ita ut posses neque mortem neque mala ulla formidare, tamen ex natura tua pulvis eras, mortalis, fragilis, doloribus laboribusque obnoxius, et quia dono illo meo superaddito culpa tua spoliatus es et in statum tuum naturalem recidisti, ideo nunc etiam pulvis es et in pulverem reverteris.* Respondemus: 1. Est fallacia phraseos, quia verba illa, *pulvis es*, non loquuntur de conditione corporis, quale fuit a Deo conditum, sed de prima ejus origine ex terra; quamvis enim ex limo terrae corpus hominis fuit formatum, et sic potentia remota mortale fuerit, tamen nec actu nec

potentia proxima fuit mortale, ut docebimus infra plenius; non illud, quia immortalitatis gratia homini est collata, ut ipse Bellarmin. probat; non hoc, quia corpus animae ad imaginem et similitudinem DEI conditae fuit essentialiter unitum. 2. Unde Sap. 2, v. 23. dicitur, *hominem conditum esse ἐν ἀφθαρσίᾳ, sed per peccatum mors et mortalitas in mundum introivit*, Rom. 5, v. 12, quod si intrinsecum mortis principium fuisset in Adamo ante lapsum, utique mortalis per se, sed per accidens tantum immortalis fuisset, jam vero conditus est ad imaginem DEI, cujus pars est immortalitas. 3. Describitur in his verbis poena peccati, non ergo possunt trahi ad naturalem quandam hominis proprietatem, quae in eo fuerit etiam ante peccatum. Sensus est: originis ratione terra es, sed ad immortalitatem conditus; quia vero per abusum liberi arbitrii ad terrena te convertisti, haec erit poena tua, ut in terram per mortem revertaris. Mors et mortalitas poena sunt peccati, non ergo naturae, qualis fuit ante lapsum, debitum quoddam. Haec omnia ex sequenti dissertatione de immortalitate primaeva erunt clariora.

2. Ps. 8. Quid est homo? 83. Secundo loco affert Bellarminus argumentum ex Psalm. 8, v. 6: *Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum:* ex quo sic concludit: *Indicatur duobus modis hominem fuisse donis supernaturalibus ornatum: 1. Quia miratur propheta hominem fere angelis aequatum. Quid est homo,* inquit, *quod memor es ejus, quasi dicere vellet: mirum esse hominem natura sua corporatum, mortalem, animalium caeterorum affectibus obnoxium, ad eam gloriam evectum, ut parum omnino ab angelis abesset: Deinde accedit, quod dona illa primo homini collata vocat gloriam, quae sine dubio aliquid extrinsecum et superadditum significat.* Respondemus: Psalmus octavus proprie et in sensu literali agit de Christo juxta infallibilem Spiritus s. interpretationem 1. Cor. 15, v. 27. Eph. 1, v. 12. Hebr. 2, v. 9. Quae de Christo secundo illo Adamo dicta sunt, quomodo ad primum Adamum applicari possunt? Verba illa, *minuisti eum paulo minus ab angelis*, refert epistola ad Hebraeos ad summum gradum exinanitionis Christi, qui cum sit angelorum dominus, eis factus sit in diebus carnis suae inferior, quae cum Bellarm. ad summum dignitatis et gloriae gradum applicet, an non manifeste Spiritui s. contradicit? sequentia verba Psalmi, *gloria et honore coronasti eum, omnia subjecisti sub pedibus ejus*, a d. apostolo eo modo expli-
IV. 261. cantur, ut nulli praeterquam soli Christo conveniant, quia neminem ab hoc imperio eximium habet, praeter solum DEUM, qui ei subjecit omnia. August. tom. 8. in enarr. hujus Psalmi: *De Christo propter ipsam infirmitatem carnis et passionis humilitatem recte dicitur, minuisti eum paulo minus ab angelis, sed additur illa clarificatio, qua resurgens in coelum ascendit, gloria et honore coronasti eum, omnia subjecisti sub pedibus ejus, nihil excipit, cum dicit omnia.* Eodem modo interpretantur glossa interlinearis, glossa ordinaria, Cassiodorus, Lyranus etc.

84. Tertius locus, quem Bellarm. affert, habetur Ps. 49, v. 12: *Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus. Ubi iterum dona primo homini collata vocantur honor. Ergo fuerunt aliquod extrinsecum.* Respondemus: 1. Psalmus hic non agit de statu primi hominis ante lapsum, sed de statu et conditione hominis post lapsum, quorum plerique terrenis affixi et salutis suae prodigi divitiis colligendis inhiant, ut ostendit integer contextus. Hebraea veritas versiculi hujus sic habet: *Sed homo in dignitate non permanebit, similis factus est bestiis, quae intereunt*, id est, persuasum sibi habent increduli, res suas perpetuo duraturas, seque in honore semper fore: sed paulo post miserabiliter interibunt et bestiarum more perimentur. Novimus Augustinum et Hieronymum applicare hunc versiculum ad lapsum primi hominis; sed contextus et Hebraei fontes ostendunt, agi hic de caecitate impiorum, qui mortem et finem non considerant. 2. Sed si vel maxime concedatur, de statu primi hominis et in hoc et in superiori vaticinio Spiritum s. agere, tamen nulla consequentia ex illis colligi poterit, imaginem DEI in homine fuisse aliquid supernaturale et extrinsecum in homine. Cadaver consequentiae est, quando Bellarm. ita concludit: *Primus homo fuit donis supernaturalibus ornatus. Ergo imago et similitudo Dei, ad quam homo creatus, fuit supernaturale donum:* proceditur a non distributo ad distributum, a particulari ad particulare. 3. Honor et gloria non acciperentur h. l. pro relatione, sed pro fundamento, i. e. pro donis naturalibus primo homini concessis, gloria et honore dignissimis. Praestantia naturae in Adamo secundum se considerata est naturalis ejus proprietas, eadem cum caeteris animantibus collata honor et gloria haud immerito dicitur. Quoties DEO gloriam et honorem assignat Scriptura, num illa extrinsecum quid in DEO notat? minime vero, sed DEI gloria est aeterna ipsius majestas et interna perfectio.

3. Ps. 49. Homo, cum in honore esset

85. Quartus locus habetur Eccles. 17, v. 1 et 3: *Deus creavit hominem de terra, et secundum se vestivit illum virtute. Creatio* [inquit Bellarm.] *refertur ad naturam, indumentum virtutis ad dona superaddita, est autem indumentum aliquid extrinsecum et superadditum.* Respondemus: 1. Ecclesiasticus non est in canone, ac proinde ad dogmatum confirmationem non sufficit. 2. Graecus textus sic habet: *καθ' αὐτοὺς ἐνέδυσεν αὐτοὺς ἰσχὺν καὶ κατ' εἰκόνα αὐτοῦ ἐποίησεν αὐτούς, induit eos virtute secundum se ipsos, atque ad imaginem sui eos creavit;* ex quo colligimus, homines eo ipso, quod indui virtute dicuntur, ad imaginem Dei esse creatos, sicque imago Dei non erit in ipsa animae humanae essentia, sed in virtute constituenda, quod est contra Bellarminum. 3. Ulterius quemadmodum imago DEI, ad quam homo est creatus, non fuit aliquid externum superadditum, sed intrinsecus naturae hominis decor, ita quoque vestitio illa accipienda, quod etiam

4. Eccl. 7. Deus vestivit hominem.

confirmat emphatica phrasis, *καθ' αὐτοὺς ἐνέδυσεν αὐτούς*. 4. Absit proinde violenta haec glossa, quod anima Adae intrinsecus ardens pravis cupiditatibus, Dei odio dignis, forinsecus rectitudine aliqua et virtutibus fuerit vestita: minime vero, sed in genere dicit Siracides, quod Deus fecerit hominem rectum, eumque vestierit virtute; jam vero vestiendi verbum non semper extrinsecum aliquid notare in confesso est Job. 10, v. 11: *Pelle et carnibus dicitur homo a Deo vestitus;* num caro et cutis etiam extrinsecum et supernaturale quid in homine? Ps. 104, v. 2:
IV. 262. *Deus* dicitur *amictus lumine velut vestimento*, num lux illa extrinsecum quid in DEO? Matth. 6, v. 30: *Deus gramen agri vestire* dicitur pulchris coloribus et viribus: num et haec aliquid extrinsecum in gramine? quid quod *justitia nostra* dicitur *vestimentum salutis*, Esa. 61, v. 10, quam inhaerentem et intrinsecam esse totis viribus probare nititur Bellarm.: *Habemus* [scribit 2. de justific. c. 11. col. 1073.] *similitudinem indumenti non necessario requirere imputationem justitiae Christi, cum satis apte conveniat in ipsam justitiam inhaerentem.*

5. Luc. 10. Latrones homines spoliarunt et vulnerarunt.

86. Quinto loco profertur *parabola Christi de homine spoliato et sauciato* Luc. 10, v. 30, *quem latrones primum spoliaverunt, et deinde plagis impositis abierunt, semivivo relicto; ubi non solum intelligimus ex nomine vestium, quae extrinsecum quid significant, colligi posse, donis supernaturalibus privatum fuisse primum hominem, sed etiam animadvertimus plagas naturae humanae ex despoliatione consecutas esse; neque enim sine causa Dominus in parabola illa prius dixit, hominem spoliatum, posterius autem, vulneratum fuisse, cum tamen contra accidere soleat in veris latrociniis, nimirum indicare voluit, in hoc spirituali latrocinio ex ipsa amissione justitiae originalis nata esse vulnera nostrae naturae.* Respondemus: 1. Theologia parabolica non est argumentativa, repetat Bellarm. sua verba lib. 3. de verbo DEI c. 3: *Ex solo sensu literali peti possunt argumenta efficacia.* 2. Argumentum ex vestis nomine male vestitum paulo ante nudavimus. 3. Vulnera illa naturae post lapsum sunt illicitae concupiscentiae, cupiditates pravae, odio DEI dignae, [quod non negat Bellarm.] quod si eae ex natura Adae, qualis fuit a Deo condita, per se pullularunt, remoto tantum justitiae originalis indumento, an non deterior statuitur hominis in puris naturalibus conditio, quam ipsorum brutorum? an non Deus ipse peccati causa statuitur? 4. Nulla plane consequentia ex hac parabola exsculpi potest, rectitudinem et integritatem primi hominis fuisse donum aliquod supernaturale et extrinsecum in ipso. Ut enim latere patiamur regulam, quam in loco de interpretatione Scripturae proposuimus: respiciendum esse in parabolis praecipue ad scopum, qui in hac parabola est, explicatio doctrinae de proximo, quis ille sit, quae ei debeantur officia? an non ipsi Bellarmino evidenter adversatur, quod parabola distinguit inter ipsam denudationem et vulnerationem? *Ἐκδύσαντες αὐτὸν καὶ πληγὰς ἐπιθέντες ἀπῆλθον, spoliaverunt eum et vulnera addiderunt*, denudatio ergo non est ipsa vulneratio; spoliatus est homo justitia concreata, et vulneratus insuper in omnibus animae et corporis viribus. 5. Sed nec spoliationis vocula quicquam juvat Bellarmini causam, quasi illud solum spoliari ac nudari possit, quod est supernaturale et extrinsecum: qui oculo amisso ex vidente fit caecus, an non visu spoliatus recte dicitur? qui in phrenesin incidit, an non rationis usu spoliatus recte asseritur.

87. Vidimus, quam parum roboris in Scriptura Bellarminus invenerit, videamus alteram classem argumentorum, quam ex patribus producit; sed brevibus, quia genus hoc argumentandi est secundarium nec concludit, nisi fundamenta articulorum fidei ex Scriptura prius probe posita sint. Producitur primo Dionysius, qui in lib. de divin. nominibus c. 4. part. 4. asserat, *angelica munera ipsis tributa non esse permutata, sed integra ac penitus conspicua.* Respondemus: Quid de Dionysio illo sentiendum sit, Laurentius Valla, Theodorus Gaza, Erasmus, Guilielmus, Grocinus, Cajetanus et alii jamdudum ostenderunt, et haec ipsa sententia satis prodit personatum illum Dionysium: etenim an non IV. 263.
est absurditas notoria, naturalia in daemonibus mansisse integra? unde enim illud DEI odium, unde cupiditas hominibus nocendi, unde ille impetus ad mendacia? num et ipsi cum languore quodam naturae a Deo conditi? absit hoc: Distinguendum ergo inter ipsam essentiam angelicam, quae etiam post lapsum integra mansit, et inter concreatam bonitatem, h. e. facultatum et virium perfectionem, quam spontaneo suo lapsu perdiderunt. Deperdita illa integritas et rectitudo erat utique angelis malis ante suam *ἀποστασίαν* naturalis. Diabolum esse talem a DEO in puris naturalibus conditum, qualis hodie est, flagrans DEI odio et horribili impetu hominibus nocendi, non solum absurdum, sed etiam *ἀσεβὲς* dictum esse quivis facile agnoscit. Vide D. Lutherum sup. 2. cap. epist. Gal. tom. 4. Jen. fol. 58.

Dicta patrum.

88. Dionysio adjungitur Basilius, qui lib. de sacros. Trin. c. 16. asserit, *sanctificationem non esse absque Spiritu, non enim natura sanctas esse coelorum virtutes* [angelos], *sed a Spiritu habere sanctificationem.* Respondemus: Verba, quae Basilii sententiam plene explicant, omisit Bellarminus; sic enim loquitur Basilius: *Non natura sanctae sunt coelorum virtutes, nam si id esset, nulla re differrent a Spiritu sancto.* Patet ergo, Basilium agere de origine sanctitatis, non autem explicare, quomodo ea angelicae naturae inhaereat: negat angelos esse natura, id est, essentialiter sanctos, quo modo solus DEUS est sanctus, non autem negat, angelorum sanctitatem esse naturalem quandam ipsorum et concreatam proprietatem. Ex Chrysostomo hom. 15. in Gen. urget, *quod gloria illa, qua primi parentes vestiti erant, superne venisse dicatur;* quo etiam pertinent reliqua testimonia, quae ex Cyrillo, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Anselmo et Bernhardo afferuntur. Atqui non negamus, Adamum

praeter naturalia dona etiam supernaturalia accepisse, non negamus, DEI dono justitiam concreatam superne ipsi datam, non negamus, justitiam originalem vestimento comparari posse, non negamus, concreatam illam rectitudinem esse ac dici posse gratiam, sed ex his omnibus nondum potest inferri, non fuisse eam primo homini naturalem, sed extrinsecus additam ac supernaturalem, quorum neutrum in dictis veterum asseritur.

Argumenta rationis pro supernaturali imaginis dono. 1. Pugna appetituum oritur ex contrarietate objectorum.

89. Tertiam argumentorum classem petit Bellarminus ex ratione, 1. *naturale est corpori animali sensu et appetitu praedito concupiscere bonum sensibile; naturale est appetitui spirituali concupiscere bonum spirituale, quare si fiat una natura ex Spiritu rationali et corpore animali conflata, naturale erit ei habere diversas et inter se pugnantes propensiones: quod ergo primi parentes nostri ante peccatum pugna ista diversarum appetitionum carerent, donum erat supernaturale, non autem naturalis conditio.* Respondemus: 1. Bonum sensibile et bonum spirituale, respectu hominis ad imaginem Dei conditi, non sunt contraria, sed subordinata, cum enim ita conditus fuerit Adamus, ut in eo appetitus sensitivus plene et perfecte subditus fuerit appetitui rationali, ideo nulla dissensio, nulla pugna vel inter
IV. 264. appetitus hosce vel inter objecta appetituum horum cogitanda est. 2. Distinguendum ergo inter id, quod est per se et quod est per accidens. Quod in natura corrupta hi appetitus inter se pugnant, id fit per accidens, propter corruptionem naturae ex vitio originali ortam, proinde ἀταξία illa atque pugna appetituum non est naturae hominis primaevae connaturalis, sed accidentaria. 3. Appetitus sensitivi naturalis et ordinatus impetus est, corpus cibo et potu conservare, speciem generatione propagare etc. Haec ὄρεξις per se non repugnat appetitui rationali, cujus naturalis et ordinatus impetus est summum bonum amare, eique adhaerere: quod vero hodie appetitus sensitivus illicitis libidinum flammis fertur, plus cibi ac potus appetit quam naturae convenit, id fit ex corruptione per peccatum originale in naturam humanam traducta. 4. Si naturale est naturae ex corpore animali et Spiritu rationali conflatae habere diversas inter se pugnantes propensiones, quid fiet de Christo, qui itidem verus homo, corpore et anima rationali praeditus? quid fiet de electis in vita aeterna, qui itidem erunt veri homines? num et in his donum supernaturale statuemus, quod illum morbum, illum languorem naturae DEI odio dignum vestiat ac tegat? ἄτοπον καὶ ἀσεβές.

2. Corruptio naturae est ex remotione supernaturali.

90. Urget Bellarminus potissimum hoc argumentum: *Corruptio naturae et rebellio carnis ad Spiritum aut est a Deo aut a pomo vetito aut a flatu serpentis aut a puris naturalibus hominis, remoto dono supernaturali. Sed priora tria absurde dicuntur, relinquitur igitur, quod conditio materiae in primo homine sit causa efficiens hujus corruptionis: meritoria causa sit peccatum Adami; divina justitia spolians hominem dono supernaturali sit causa removens impedimentum actus secundi.* Respondemus: 1. Memoria hic repetimus ea, quae habet Augustinus epist. 29. ad Hieronym., cum quidam ruisset in puteum, ubi aqua tanta erat, ut eum magis exciperet, ne moreretur, quam suffocaret, ne loqueretur, accessit alius et eo viso admirans ait, quomodo huc cecidisti? at ille, obsecro, inquit, cogita, quomodo me hinc liberes, non quomodo huc ceciderim? Et quid quaerimus hic illabendi rimam, cum satis ampla porta pateat. Primi parentes per peccatum libere se a Deo averterunt, tota natura humana in illis erat, et extra illos de illa nihil erat, ideo tota infirmata et corrupta est, remansit igitur in ea debitum justitiae, quam accepit, et debitum satisfaciendi, quod eam deseruit cum ipsa corruptione, quam propter peccatum incurrit. Anselm. de conc. virg. c. 2: *Per victum hominem tota natura corrupta est et quasi fermentata peccato.* Idem. 1. cur DEUS homo c. 23. etc. Etenim ut recte scribit Ludov. Granat. 12. post Pent. conc. 1: *Peccatum earum rerum naturam imitatur, quae quicquid attigerint, destruunt atque contaminant; sic enim modicum fermentum conspersionem totam corrumpit; sic parum aceti totum pretiosi vini dolium acidum reddit; sic unus homo pestis morbo laborans totam plerumque inficit civitatem; sic denique torrens turbidus et coenosus, si in purissimum influat rivulum, ipsum quoque caenosum ac turbulentum reddit. Ad hunc ergo modum peccatum, ubi in hominem incurrit, totam generis humani naturam, quae in uno illo homine erat, contagio suo infecit atque corrupit.* 3. Proinde dicimus, corruptionem naturae humanae et rebellionem carnis ad Spiritum ortam esse ex peccato primorum parentum. In protoplastis transgressio actualis praecedens originale peccatum ipsorum naturae implantavit; vice versa in reliquis hominibus omnibus lues originalis peccata actualia tanquam fons et radix eorum antecedit. Harmoniae in natura divinitus conditae destructio est causa istius corruptionis, non autem ipsa materiae conditio seu ipsa hominis natura. Satanas seduxit, homo consensit, et sic uterque peccatum in mundum introduxit. 4. In argumento Bellarmini etiam hoc vitium est, quod curruptio naturae humanae et concupiscentia vitiosa collocantur saltem in inferioribus viribus hominis animalis; sed juxta Scripturam loquendo non tantum de appetitu cibi et Veneris inordinato, sed de totius naturae corruptione cogitandum; luci sapientiae divinae in mente successerunt tenebrae, conformitati voluntatis cum lege di- IV. 265.
vina successit aversio, τὸ φρόνημα σαρκός, summa et praecipua carnis sapientia est inimicitia adversus DEUM, quando nimirum vel alium DEUM vel aliam rationem colendi et placandi DEUM verum sibi effingit, vel veritatem coelestem irridet. Hae tenebrae in mente, haec aversio in voluntate non oriuntur solum ex appetitu sensitivo, sed ex totali illa destructione voluntatis et ἁρμονίας in primo homine, quoad res spirituales et coelestes. 5. Dicit Bellarminus, causam hujus mali esse conditionem materiae; atqui materia illa est a Deo condita,

quicquid ergo materiae illi convenit per se, id ad Deum auctorem referendum: quomodo ergo DEUS non erit causa peccati? 6. Agemus pressius. Naturalia in homine post lapsum esse integra, et rebellionem carnis et Spiritus ex materiae conditione ortam esse, disputat Bellarminus. Sed quid fiet de corruptione naturae angelicae in daemonibus? num et hic ad materiae conditionem poterit confugere Bellarminus? Diabolus horribili Dei odio et cupiditate hominibus nocendi flagrat, unde tanta in eo corruptio? fuit ipse rationalis creatura immediate a Deo condita, ac proinde absque ulla mala ad vitium inclinatione, nec fuit causa quaedam extrinsecus eum impellens ad peccandum: neque confugi potest ad conditionem materiae, cum in angelis nulla formae et materiae compositio. Unde ergo zizania? Respondet simplicitas Christiana: diabolus libere se a DEO avertit, *in veritate* concreata *non stetit*, Joh. 8, v. 44, et *οἰκητήριον suum deseruit*, Jud. epist. v. 6. Hinc horribilis illa angelicae naturae in diabolo corruptio.

2. Peccata actualia non corrumpunt donum naturale. 91. *Peccata actualia non corrumpunt principium aut donum aliquod naturale, neque acquiritur aut augetur eis propensio ad omnia vitia, neque minuitur inclinatio ad omnes virtutes, sed amittitur illis solummodo donum gratiae supernaturalis, et acquiritur quaedam propensio ad idem peccatum, et minuitur inclinatio ad virtutem peccato illi contrariam. At peccatum Adae fuit actuale et certum quoddam peccatum, et ejusdem generis, cujus sunt caetera, quae ab hominibus committuntur. Ergo non videtur alium effectum producere potuisse, quam producant caetera, eo excepto, quod illud ut capitis totius naturae in omnes posteros redundavit. Non ergo probabile est, ex peccato Adae naturalia principia sive dona naturae corrumpi potuisse, neque concupiscentiam illam nasci, quae est propensio ad omnia vitia, nisi ea remoto originalis dono ex ipsa natura composita ex contrariis consecuta fuisset.* Respondemus: 1. Bellarm. ipse argumenti hujus infirmitatem agnoscit, ideo addit: videtur, probabile est etc. 2. Diversitatem esse inter peccatum Adae et peccata actualia reliqua, negari nulla veritatis specie potest, qua de re dicemus in quaestione sequentis loci: utrum cum peccato originali etiam actualia peccata parentum in liberos transmittantur? 3. Quid? an non per ebrietatem, per libidines etc. dona naturalia diminuuntur et amittuntur? Scortatores puniuntur caecitatibus animi et corporis, ut recte colligitur ex Gen. 19. et experientia ipsa testatur. 4. Et quomodo negari potest, per unum delictum voluntarium augeri propensionem ad omnia vitia? qui in uno contemnit DEUM et ipsius legem, facile id audebit etiam in aliis. Peccatum est aversio a summo bono, ab eo aversus quomodo non cadet in multis? Peccatum est aversio a summa luce, ab ea aversus quomodo non ambulabit in tenebris et in multis impinget? unde docet Biel 4. sent. dist. 15. q. 1. recte sic concludi: *Hoc peccatum poenitenti displicet, quia contra Deum. Ergo omne peccatum contra Deum displicet, quia omnis causalis inferat universalem.* Pari ratione inferemus. Hoc agit homo peccator, qui avertit se a Deo et ipsius lege. Ergo paratus est etiam ad reliqua peccata perpetranda, quia omnibus peccatis commune est, quod sint *ἀνομία*. 5. Adamus peccavit in natura adhuc integra: renati peccant in natura corrupta. Adamo concredita erant non tantum personalia dona, sed quae ad totam posteritatem propaganda, quod de renatis post lapsum dici nequit: quid ergo mirum, quod unum illud Adae peccatum totam humanam naturam, quae in illo erat tota, tabificaverit et spirituali peccati veneno in- IV. 266
fecerit.

4. Revocati ad vitam caruere originali peccato 92. *4. Si natura humana, qualis nunc est, remota culpa mala est, et necessario labitur in peccata, et ideo non potuit creari sine justitia originali, sequitur non posse hominem mortuum a Deo revocari ad vitam nisi praeditum justitia originali; idem enim sequitur absurdum, sive creetur, sive reparetur a Deo natura mala et quae necessario peccet, non enim reparatio illa minus opus Dei quam creatio. At novimus multos divina virtute excitatos, et ex iis nonnullos, quos credibile est a peccato originis fuisse purgatos, qualis fuit Lazarus: et infantes ab Elia et Helisaeo excitati, qui tamen sine dubio in nova illa vita carebant justitia originali.* Respondemus: 1. Alia est ratio creationis, alia revocationis ad vitam. Si Deus creasset hominem cum tali languore naturae odio et detestatione digno, ut vult Bellarm., utique foret peccati auctor, sed si Deus revocat homines ad hanc vitam justitia originali destitutos et peccato originali obnoxios, non propterea est peccati auctor, quia corruptionem naturae non facit, sed invenit, peccatum adeo intime atque arcte inhaeret post lapsum naturae humanae, ut non possint corpora nisi totali destructione et corruptione praegressa ab hoc veneno liberari, ergo si in corruptum hoc domicilium quasi postliminio animas hominum Deus ad hanc vitam revocat, non propterea istius corruptionis auctor est statuendus. 2. Absurdum est, quod Bellarm. statuit, resuscitatos ad hanc vitam fuisse a peccato originis purgatos; quid enim? an vitae partem reliquam absque omni peccato transegere? an absque interventu mortis ad aeternam vitam sunt translati? asseritur id sine teste, quin potius dominium peccati regeneratione, sensus peccati morte, radix peccati totali corporis destructione aboletur atque exstirpatur, ut pulcherrime scribit D. Rungius in explicatione hujus argumenti. 3. Si obvertere quis velit, peccasse eos aliorum exemplis provocatos, majoribus se involvet difficultatibus, quia diserte pronuntiat apostolus Rom. 5, v. 12: *Peccatum et mortem ex uno in omnes homines pervasisse.* Pelagianum est statuere, quod imitatione peccati labes et eam consequens mors contrahatur. 4. Frivolum igitur est, velle ex miraculis istis resuscitatorum, quorum conditio plene et plane in Scripturis nobis non est exposita, articulum fidei stabilire vel evertere.

5. Primi parentes non erant natura Dei filii. 93. *5. Primi parentes erant filii Dei; at absurdum est, rem creatam, qualis est homo, Dei filium naturaliter facere, id soli Christo competit.* Respondemus: 1. Bellarmin. fatetur, hoc argumentum pugnare solummodo adversus eos, qui omnia dona primis parentibus concessa naturalia fuisse contendunt, nos vero concedimus quaedam supernaturalia dona ipsis data, nos ergo non ferit hoc telum. 2. Manifesta est in argumento aequivocatio. Quando ὁ Λόγος dicitur filius DEI per naturam, id intelligitur de aeterna ipsius ex essentia patris generatione; quando vero primi homines ante lapsum, ut et sancti angeli dicuntur filii Dei per naturam, id intelligitur de ipsorum creatione ad imaginem Dei, per quam sua natura fuerunt conformes DEO, et proinde dilecti ipsius filii non tali adoptione, per quam renati post lapsum fide in Christum fiunt DEI filii, sed qua propter naturae suae integritatem, et cum divina similitudine fuerunt DEI filii, et coelestis haereditatis jus habuerunt. 3. Sic ergo habendum. Solus Λόγος est DEI filius per naturam, propter aeternam ex patre generationem, non autem per adoptionis gratiam vel per creationem. Adamus est filius DEI per naturam et per gratiam; per naturam ideo, quia conditus fuit ad DEI imaginem et propter illam naturae rectitudinem paterno amore hoc suum plasma DEUS est complexus; per gratiam ideo, quia singulari creatoris beneficio, et immensa, imo haud promerita gratia ad hanc dignitatem natura humana in Adamo fuit evecta. Renati sunt filii Dei per gratiam in Christo, non autem per naturam, i. e. amiserunt illam concreatam naturae integritatem et DEI imaginem, sed per fidem in Christum naturalem et essentialem DEI filium vicissim
IV. 267. in filios DEI adoptantur. Christus secundum humanam naturam est DEI Filius nec per naturam nec per adoptionem, sed per unionem, quia scilicet assumta natura est in ipsam λόγου ὑπόστασιν evecta; haec omnia qui non accurate distinguit, seducit, non autem recte docet vel ducit.

CAPUT III.

IMAGINEM DEI NON FUISSE IPSAM HOMINIS SUBSTANTIAM.

Non imago Dei fuerit ipsa hominis substantia. 94. Ostendimus hactenus, imaginem DEI in primo homine non fuisse donum aliquod extrinsecum et supernaturale, aut ornatum duntaxat quendam externum, qui absque naturae depravatione tolli potuerit et sublatus sit; sed fuisse intrinsecam καὶ τῇ φύσει ἑπομένην totius naturae humanae atque omnium animae virium rectitudinem, integritatem et perfectionem; neque tamen substantiale quid in homine, vel ipsa hominis substantia fuit, quod breviter sic ostendimus. Si imago DEI fuisset substantia, sequeretur fuisse 1. vel ipsum totum hominem; 2. vel animam hominis; 3. vel corpus; 4. vel partem quandam animae essentialem; 5. vel substantiam ab ipsa hominis substantia diversam. Sed nihil horum de imagine DEI in homine dici potest, neque dari potest membrum quoddam sextum, relinquitur igitur quod in substantiarum classem non sit referenda. Singula membra assumti negantis sunt probanda.

95. Quod imago DEI non fuerit ipse totus homo, ex his fundamentis apparet. 1. Quia soli Filio DEI hoc competit encomium, quod sit expressa et substantialis imago patris, Hebr. 1, v. 3. 2. Si imago DEI fuisset totus homo, sequeretur peccatum originis, quod in locum amissae imaginis divinae successit, esse ipsum hominem, sicque inter hominem et peccatum originale nulla foret differentia, quod consequens luculentis Scripturae dictis atque articulis creationis, incarnationis, redemtionis, sanctificationis et resurrectionis repugnare, suo loco docebimus. 3. Homo scribitur conditus ad imaginem DEI, qua phrasi manifestum constituitur discrimen inter id, quod creatur ad imaginem DEI, et inter imaginem ipsam, ad quam homo conditus dicitur. 4. Apostolus per veram sanctitatem atque justitiam imaginem DEI definit, jam vero sanctitas atque justitia non competunt homini per essentiam, sed per inhaerentiam. Solus DEUS ita justus et sanctus est, ut sit ipsa justitia et sanctitas. 5. Si imago DEI fuisset ipse totus homo, sequeretur, Adamum post lapsum ratione substantiae diversum esse hominem, et alium plane οὐσιωδῶς ab eo, qui conditus initio fuerat, atque hac ratione neque felicitas concreata pertinuisset ad Adamum lapsum, nec miseria lapsum secuta attinuisset Adamum primo conditum. Imago Dei non fuit ipse totus homo.

96. Quod imago DEI non fuerit ipsa hominis anima, sic probatur: aut enim amissa illa imagine ipsa hominis anima periisset, aut alia anima in locum amissae foret introducta, quorum utrumque est absurdum. Multo minus fuit corpus Adae, quippe quod anima longe ignobilius, et amissa imagine nihilominus est superstes, quid? quod nisi secundario et ἑπομένως imago DEI in corpore hominis constituenda. Sed nec pars quaedam animae fuit; 1. quia amissa DEI imagine pars quaedam animae amissa foret, quod cum natura eorum, quae sunt ὅλως ὅλον τὶ atque partem extra partem non habent, manifeste pugnat. 2. Si imago DEI fuisset pars animae, utique etiam peccatum originis foret pars animae, sicque corruptio illa non tantum hominis naturam pervasisset, sed in una duntaxat animae parte collocanda foret, reliquis omnibus salvis et incontaminatis permanentibus. Imago Dei non fuit ipsa hominis anima, nec ejus corpus.

97. Quod imago DEI non fuerit substantia quaedam ab hominis substantia diversa, patet ex his fundamentis: 1. Quia hac ratione peccatum originis itidem statueretur substantia quaedam ab hominis substantia diversa; quis vero illius auctor? num DEUS? at is peccati auctor esse nequit; num diabo- IV. 268. Imago Dei non fuit substantia ab hominis substantia diversa.

lus? at is substantiarum auctor esse nequit. 2. Sequeretur etiam, non ipsum hominem esse per peccatum corruptum, sed potius aliquid in homine, videlicet substantiam illam ab homine vere distinctam ac diversam, sicque peccatum originis quam maxime extenuaretur ab illis, qui mali istius exaggerandi causa se hanc sententiam propugnare dictitant.

Error Flacii.

98. Improbamus igitur toto pectore, quod scribit Flacius vir alioqui doctissimus parte 2. Clavis Script. tract. 6. p. 480: *Nos olim fuimus in prima creatione quiddam valde bonum, tum in accidentibus, tum in substantia, postea mutati sumus essentialiter in rem valde malam substantia sua, ut si vinum optimum mutatum esset in acetum acerbissimum.* Et pag. 481: *Scriptura satis indicat, imaginem Dei esse ipsam potissimum essentialem formam in summis nobilissimisque hominis partibus, idque in summo ejus officio, nempe quatenus Deo adjunctus ac in creatorem suum essentialiter directus fuit.* p. 483: *Tota Scriptura utitur substantialibus verbis in descriptione imaginis Dei aut justitiae originalis* etc. *Deus creavit hominem valde bonum non tantum in accidentibus, sed etiam in ipsa substantia, ita ut substantialiter esset bonus, non tantum adhaereret ei bonitas, velut accidens quoddam aut ornamentum* etc. *Credamus Scripturae, imaginem Dei esse ipsam hominis substantiam cum omnibus suis accidentibus.* Ex parte 1. clavis in voce Imago p. 542: *Ostendit apostolus ipsum Spiritum mentis nostrae initio justum, sanctum et veracem, fuisse imaginem Dei* etc. In argumentis, quae pro hac sua sententia Flacius adducit, perpetuo recurrit istud vitium, quod tanquam immediate opposita constituit haec duo: *Imago Dei aut fuit extrinsecum et supernaturale quoddam accidens, aut ipsa hominis substantia.* Atqui datur tertium, videlicet quod fuerit concreata humanae substantiae integritas, perfectio ac rectitudo, et proinde in categoria qualitatis collocanda.

CAPUT IV.

DE IMMORTALITATE DIVINAE ILLIUS IMAGINIS PARTE.

Pars divinae imaginis fuit immortalitas.

99. Pars [vel certe consequens] divinae imaginis ante lapsum fuit immortalitas, de qua diversae hodie in ecclesia sunt sententiae. Recentiores Photiniani *διαῤῥήδην negant, Adamum esse in immortalitate conditum.* Catech. Racoviens. p. 21; quin imo addunt, *ne quidem sciri potuisse ab Adamo immortalitatis viam*, p. 26. mutuati hoc sunt a veteribus Pelagianis, qui docebant, hominem fuisse moriturum, etiamsi non peccasset, referente August. epist. 106. et lib. de haeres. c. 88, a quo errore seductus fuit Eugubinus, ut scriberet in annot. Gen. 2. *ex Adami lapsu genus humanum non corporis, sed animae mortem incurrisse, et fuisse homines morituros, etiamsi non peccassent.*

Mors corporis poena est humani criminis.

100. At corporis mortem non esse naturae conditionem, sed peccati poenam, evidenter probari potest: *1. Conditus est homo a Deo ἐν ἀφθαρσίᾳ* [al. ἐπ' ἀφθαρσίᾳ] Sap. 2, v. 23. *inexterminabilis*, ut vulgata versio reddit, vel ut Tremellius: *ad conditionem incorruptam*, utique ergo immortalis atque *ἄνευ φθαρτικῆς κακότητος.* Non est, quod excipiatur, *librum hunc esse apocryphum*, quia praesens hoc testimonium cum aliis canonicae Scripturae dictis congruit. IV. [illegible] *2. Homo conditus est ad imaginem Dei* Gen. 1, v. 27. Jam vero imago Dei complectitur etiam in se immortalitatem, quomodo potuisset homo imaginem DEI immortalis ipse mortalis exsistens exprimere? ideoque postquam sapiens dixerat, conditum a DEO hominem immortalem, additur veluti per *αἰτιολογίαν et ad imaginem ipsissimae suae naturae fecerat illum.* Sap. 2, v. 23. 3. Quod comminationis loco homini denuntiatur, id non est conditio naturae. Jam vero mors comminationis loco homini denuntiatur. Gen. 2, v. 17: *Quacunque die comederis ex illa arbore, morte morieris*, vel certissime morieris, phrasi Hebraica. Neque est, quod *de sola animae morte hoc intelligendum esse* quis obvertat, quia exsecutio hujus decreti ostendit, etiam de corporis morte intelligendum esse. Gen. 3, v. 19: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec in terram redeas, a qua acceptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris.* Ideo August. 13. de civ. DEI c. 12. et Ambr. lib. de paradis. c. 9. de animae et corporis morte divinum illum effatum comminatorium intelligunt. *4. Mors invidia diaboli in mundum intravit,* Sap. 2, v. 24. Ergo non est naturae a Deo creatae conditio. *5. Mors per peccatum protoplaston in mundum intravit,* Rom. 5, v. 12: *est peccati stipendium,* Rom. 6, v. 23. *Corpus moritur propter peccatum* Rom. 8, v. 10. *per hominem mors,* 1. Cor. 15, v. 21. *in Adamo omnes moriuntur,* v. 22. *stimulus mortis est peccatum*, v. 55. Ergo mors hominis non est aliqua naturae conditio. 6. In vita aeterna erit *ἀποκατάστασις πάντων.* Act. 3, v. 20; jam vero in vita aeterna *mors non erit,* Apoc. 21, v. 4. Ergo nec in statu integritatis fuit. Quomodo exterius et interius muniverit DEUS hominem contra mortem, exposuimus in praeced. tract. de praed. th. 6.

Immortalitas non fuit donum aliquod supernaturale.

101. Bellarminus lib. de grat. prim. hom. c. 9. disputat: *Immortalitatem fuisse supernaturale quoddam primi hominis donum, non autem naturalem quandam proprietatem.* Atqui 1. nititur haec sententia falsa hypothesi, quod imago DEI in homine fuerit supernaturale quoddam donum extrinsecus additum. 2. Si homini in puris naturalibus condito mors fuisset naturalis, sequetur, immortalitatem ipsi tantum per accidens competere. 3. Corpus primi hominis per naturalia media a morte fuisset praeservatum. Ergo ipsum quoque naturaliter immortale

fuit. 4. Quod exactissima primarum ac secundarum qualitatum harmonia constat, per se et interius est immortale. Atqui tale erat corpus primi hominis. 5. Quod animae ad immortalitatem conditae essentialiter et indissolubili vinculo unitum, illud utique immortale; jam vero tale erat primi hominis corpus. 6. Ut posteri Adae post lapsum sunt φύσει *filii irae et mortis*, Ephes. 3, v. 3, ita Adamus ante lapsum fuit φύσει *filius gratiae et vitae*.

102. Argumenta haec nostra Bellarminus non attingit, sed sibi ipsi format tres objectiones, quas solvit, videamus quid praestet. 1. August. scribit lib. 13. de civ. DEI c. 15: *Constat inter Christianos catholicam fidem tenentes, etiam ipsam nobis corporis mortem non lege naturae, sed merito inflictam esse peccati.* Excipit Bellarm., *hoc solum velle Augustinum, quod moriendi necessitas, quae ex natura hominis secutura erat, per Dei gratiam fuerit sublata.* Respondemus: Loquitur Augustinus de ipsa hominis natura, non de donis supernaturalibus, opponit enim non donum DEI et meritum peccati, sed legem naturae, et meritum peccati, proinde fuit lex naturae, h. e. naturalis primi hominis conditio, ut, quoad peccati merito vacaret, mori non posset. 2. Concil. Aurasic. secundum Can. 2. *statuit illos injustitiam Deo tribuere, qui asserunt morituros homines fuisse, etiamsi non peccassent.* Respondemus: Argumento hoc πρώτως non utimur, novimus enim canonem hunc Pelagianis oppositum fuisse; interim id commune habet cum Pelagianis Bellarminus, quod homini in puris naturalibus condito mortem naturalem fuisse statuit, licet per supernaturale justitiae originalis donum
IV. 270. immortalitatem ipsi collatam fuisse addat. *3. Anima rationalis erat natura immortalis.* Ergo debebatur ei corpus immortale. Excipit Bellarmin., *corpus illud ex contrariis humoribus et qualitatibus temperatum fuisse, ex qua temperatione moriendi necessitas naturaliter secuta.* Respondemus: Potuit DEUS invenire medium illas contrarias qualitates in exactissimam harmoniam reducendi, ut nulla metuenda esset moriendi necessitas. An non Christi et electorum corpora sunt vera corpora (πνευματικὰ tamen et glorificata), num et illis moriendi necessitatem tribuemus?

Argumenta pro supernaturali immortalitatis dono.

103. Profert Bellarminus pro suae sententiae confirmatione quaedam Augustini dicta ex libr. 6. de Gen. ad lit. c. 25. lib. 13. de civ. DEI c. 20. lib. 1. de pecc. meritis et remiss. c. 4, in quibus dicitur, *immortalitatem primi hominis in eo fuisse sitam, quod potuerit non mori: idque ei praestitum de ligno vitae, non de constitutione naturae, mirabili Dei gratia id homini esse datum: fuisse corpus primi hominis animale et mortale* etc. Format etiam quaedam argumenta ex Scholasticis: *quia hominis natura ex contrariis elementis atque humoribus constat, ideo intrinsecam corruptionem habet, et immortalitas est ei praeter naturam, quia homo in statu innocentiae generabilis, ideo etiam corruptibilis, quia homo ante lapsum indigebat cibo et potu, ideo erat sua natura mortalis:* Haec omnia recte intelligi et facile explicari possunt, si observentur sequentes hypotheses: 1. Alia fuit immortalitas hominis ante lapsum, alia vero futura erit post resurrectionem in vita aeterna. August. 6. de Gen. ad lit. c. 25. aliud est posse mori, aliud non posse mori. 2. Corpus Adae fuit mixtum, proinde resolubile, utique ergo et mortale, δυνάμει scilicet non propinqua, sed remota; interim quia anima, quae est Spiritus immortalis, corpus illud informabat, et quidem hoc modo, ut culpa non interveniente propter naturalem ad corpus dependentiam nunquam fuisset ab eo separata, ideo dicimus hominem fuisse φύσει natura sua immortalem, mors enim hominis non tam ex principiis mixti corporis ejusque (ut ita loquar) dissolubilitate, quam ex dolore et miseria animae, praeter et contra creationis ordinem sede sua egredi compulsae aestimari debet. 3. Accurate ergo observandum, non hic quaeri de natura corporis humani seorsim, sed de conditione totius hominis ante lapsum; erat hominis corpus animale, mixtum ac resolubile, interim quia exactissime temperatum, quia animae immortalis habitaculum, ideo totus homo natura immortalis rectissime pronuntiatur. 4. Anima hoc fine a Deo erat condita et in corporis domicilium introducta, ut absque mortis interventu illud inhabitaret, ac pro diverso vitae animalis et spiritualis statu diversas in eo et per illud operationes exerceret; proinde hoc naturale fuisset animae, corpus ab omni corruptionis labe servare, quamdiu ipsa fuisset Deo subjecta, ipsum etiam corpus temperamento aequabilissimo et ordinatissimo erat praeditum. 5. Accedebat insuper usus ligni vitae, quod erat omnis φθορᾶς προφυλακτικὸν et ἀλεξιφάρμακον quoddam praestantissimum: hanc autem fuisse naturalem vim arboris vitae, recte concludit ex veterum Scriptorum testimoniis Pererius lib. 3. in Gen. p. 415. Invertimus proinde Bellarmini argumentum. Quod per media naturalia sanum ac immortale conservatur, illud utique naturaliter est sanum et immortale. Corpus Adae in statu integritatis per media naturalia, videlicet per lignum vitae, conservatum fuisset in immortalitate concreata, utique ergo φύσει erat immortale.

CAPUT V. IV. 271.

AN ETIAM IN CORPORE HOMINIS IMAGO DEI QUAERENDA.

An etiam in corpore hominis imago Dei quaerenda.

104. Hinc sciri potest, *an etiam in corpore hominis imago Dei quaerenda vel statuenda?* Resp. August. 6. de Gen. ad lit. c. 12: *quod homo dicitur factus ad Dei imaginem, non secundum corpus, sed secundum intellectum mentis accipiendum est, quanquam et in ipso corpore habeat quandam proprietatem, quae hoc indicet, nimirum quod erecta statura factus est, ut hoc ipso admoneretur, non sibi terrena*

esse sectanda velut pecora, quorum voluptas omnis ex terra est, unde in alvum cuncta pecora prona atque prostrata sunt. Bernh. serm. 24. sup. Cant. col. 464: *Secundum animum, non secundum terrenam et faeculentam materiam Deus hominem rectum fecit, ad imaginem enim et similitudinem creavit illum* etc. *noveris ergo in spirituali portione tui, et non in crassa luteaque substantia Dei similitudinem conservandam fore sive reparandam. Spiritus enim est Deus, et eos, qui volunt simile ei vel fieri vel perseverare, oportet intrare ad cor atque in Spiritu id negotii actitare. Quanquam et corporis staturam dedit Deus homini rectam, forsitan ut ista corporea exterioris viliorisque rectitudo figmenti, hominem interiorem illum, qui ad imaginem Dei factus est, spiritualis suae servandae rectitudinis admoneret, et decor limi deformitatem argueret animi. Quid enim indecentius, quam curvum recto corpore gerere animum? Perversa res est et foeda, luteum vas, quod est corpus de terra, habere oculos sursum, coelos libere suscipere, coelorumque luminibus oblectare aspectus; spiritualem vero coelestemque creaturam suos e contrario oculos, h. e. internos sensus atque affectus trahere in terram deorsum.* Hactenus Bernhardus. Inde concludunt Scholastici, in corpore hominis proprie non esse imaginem Dei, cum DEUS sit incorporeus, esse tamen in eo ut in signo vel arguitive et significative. Sed cum immortalitas sit pars imaginis divinae, recte additur, in corpore hominis non tantum signum quoddam imaginis divinae, videlicet erectam staturam esse, sed etiam partem quandam, videlicet immortalitatem. Bucan. in inst. theol. lib. 9. p. 86. statuit, imaginem DEI in corpore hominis triplici modo lucere: *1. Quatenus corpus cum rationali anima conjunctum partem gerit imaginis Dei, et quodammodo totum mundum in se continet, unde homo dicitur μικρόκοσμος, in quo conditor et archetypus mundi resplendet. 2. Quia multiplicia membra corporis, oculi, aures, os, lingua, manus, spiritualia Dei membra, h. e. spirituales ejus perfectiones, sapientiam, potentiam, et caetera attributa Dei referunt, sicut tabernaculum, arca foederis, mensa, vasa, victima, erant imagines rerum coelestium et spiritualium* Hebr. 8, 9. 10. *3. Quia dotes animae corpus ipsum illustrabant, sicut lux candelae corium laternae illustrat, justitiaque ipsa et sanctitas ad corpus ipsum et membra corporis redundabat, adeoque dignitatem illam et eminentiam in omnes res inferiores homo per corpus exercebat, et in vultu majestatem quandam imperatoriam gerebat, unde a bestiis pro Domino agnoscebatur.*

CAPUT VI. IV. 272.

AN ETIAM MULIER AD IMAGINEM DEI CONDITA.

105. Disputationes quaedam veterum et locus Paulinus 1. Cor. 11, v. 7. occasionem dedere quaestioni: *An etiam mulier condita ad imaginem Dei?* Fundamentum responsionis in eo consistit, ut observetur, vocem imaginis de suis partibus, in quibus consistit, praedicari diversimode: nimirum per prius et posterius, ἀφ᾽ ἑνὸς πρὸς ἕν. An etiam mulier ad imaginem Dei condita.

106. Nam κυρίως et principaliter consistit imago Dei in animae rationalis omniumque ejus virium cum Deo et lege Dei conformitate, justitia, sanctitate, veritate determinata, ita ut in mente fulserit lux sapientiae et cognitionis, in voluntate constans ad bonum impetus, in corde delectatio et approbatio, in reliquis viribus perfecta subjectio absque ulla omnino repugnantia. Cum hac animae perfectione conjuncta fuit conscientiae tranquillitas, secura animi quies, omnis doloris et rebellionis expers, perpetua incolumitas et virium omnium integritas.

107. Accessit ad has animae et corporis dotes externum quoddam privilegium, videlicet dominium in reliqua animantia, in quo minus principaliter et δευτέρως imago DEI elucebat. Quando ergo apostolus dicit, mulierem esse gloriam viri virum autem imaginem et gloriam DEI, non negat ratione principalis respectus etiam mulierem ad DEI imaginem et similitudinem esse conditam, sed respicit ad id, in quo δευτέρως et minus principaliter ejus dignitas erat posita, videlicet ad imperii dignitatem, cujus eminentia viro proprie competebat, cum potestati viri mulier fuerit subjecta. Haec explicationem suppeditat ipse apostolus, sic enim subjungit: *Non vir est ex muliere, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum.* Sicut Deus est principium et finis, a quo et propter quem immediate vir factus: ita vir principium et finis est feminae, ex viro enim et propter virum mulier facta est. Vide August. 12. de Trinit. c. 7.

CAPUT VII.

DE HABITACULO PRIMI HOMINIS, VIDELICET PARADISO.

108. Homini ad imaginem suam condito etiam de pulcherrima habitatione DEUS prospexit, ne quid ad felicitatem ei deesset, unde non absurde quidam dicunt, triplicem gratiam primo homini collatam fuisse, gratiam animae, id est, justitiam originalem, gratiam corporis, id est, immortalitatem, et gratiam loci, id est, inhabitationem paradisi. Bel- Triplex gratia primi hominis. Paradis

larm. de grat. prim. hom. c. 1. Habitaculum istud primi hominis Moyses vocat גַּן בְּעֵדֶן Gan Beeden, hortum in Eden. Vox גַּן deducitur a גָּנַן ganan, quod significat protegere, concludere, munire; rationem aliqui assignant eam, quod hortus iste hominis custodiae ante lapsum et angelis post lapsum sit commissus. Sed quia vox גַּן gan in genere hortum significat, ideo magis convenit generalem appellationis rationem dare, quod scilicet horti septis muniri soleant. עֵדֶן Eden a voluptate nomen habet Genes. 18, v. 12, unde Graecum ἡδονή fortassis et poëtarum fabula de horto Adonidis. Sed quia additur praepositio ב et diserte situs horti exprimitur, quod videlicet מִקֶּדֶם mikkedem ad ortum fuerit positus, ideo nomen istud Eden non accipiendum pro appellativo, sed pro nomine loci proprio, quod scilicet ante diluvium fuerit tractus in orientali mundi plaga longe amoenissimus, qui tractus sive locus Eden a voluptate dictus, quae est etiam R. Abenezrae sententia. Septuaginta reddiderunt παράδεισον, quod significat hortum arboribus atque herbis consitum, Strabone et Xenophonte testibus. Suidas ἀπὸ τοῦ δεύειν vel ἀπὸ τῆς δείσης seu δοίσοης, hoc est, ab irrigando deducit. Alii derivant ab Hebraeo פַּרְדֵּס, quod significat pomarium. Nehem. 2, v. 8. Cant. 4, v. 13. Eccles. 2, v. 5.

109. Hortum istum fuisse locum quendam corporeum, descriptio Mosaica evidenter ostendit. 1. dicitur a Deo plantatus Gen. 2, v. 8; 2. collocatur in certam mundi plagam, videlicet orientalem; 3. homo in eum introducitur, qui cum fuerit animalis et corporeus, utique etiam corporeo loco indiguit; 4. arbores huic horto tribuuntur Gen. 2, v. 9; 5. et flumina, quibus fuit irrigatus Gen. 2, v. 10; 6. cultura et custodia istius horti homini demandatur Gen. 2, v. 15; 7. primi homines post lapsum sub arboribus hujus horti se abscondunt et folia ficulnea sibi consuunt Genes. 3, v. 7. et 8; 8. emittuntur primi homines post lapsum ex hoc horto, et ad prohibendum accessum Cherubin ante eum collocatur Gen. 3, v. 23 et 24. Quae omnia evidenter ostendunt, hortum hunc locum corporeum fuisse. Chrysostom. homil. 13. in Genes.: *Ideo Moyses describens paradisum nomen loci, in quo erat, scilicet Heden et plagam orientalem, quam spectabat, et nomina fluviorum tam subtiliter accurateque enarravit, ut non liceret nugari volentibus decipere simpliciores, dicendo, nullum fuisse in terra paradisum, sed in coelo.* Lombard. 2. sent. dist. 17. lit. E. recenset tres veterum de paradiso sententias: *primo quidam tantum corporalem, deinde quidam tantum spiritualem, tertio quidam et corporalem et spiritualem paradisum introduxerunt:* Prima sententia est Origenis, qui allegoriis plus aequo deditus commentum de spirituali paradiso ex Rabbinorum somniis hausit. Tertia sententia est Basilii in lib. de paradiso, Augustini 8. de Gen. ad lit. c. 1. Damasc. 2. de orth. fid. c. 11. et aliorum, qui Mosaicum textum juxta literalem sensum exponunt, et postea allegorias de spirituali paradiso addunt. Fuit sane terrestris ille paradisus παιδευτήριον paradisi coelestis, uti etiam speculum quasi quoddam interioris istius paradisi, hoc est, summae tranquillitatis et laetitiae in homine, interim firmum fixum manere debet, Moysen non coelestem aut interiorem, sed terrestrem paradisum describere.

110. At in qua parte terrarum situs fuit hic hortus? Bellarm. de grat. 1. hom. c. 12. quatuor addit sententias: 1. quidam voluerunt, totum orbem terrarum esse paradisum illum, quam sententiam tribuit Josepho lib. 1. antiq. c. 2. Sed minus recte, agnoscit enim Josephus hunc hortum ad orientem fuisse positum, et primos parentes ex hoc horto in aliam regionem translatos, rectius autem Hugoni de S. Victore sententiam istam tribuisset; 2. quidam volunt paradisum esse extra totam terram, quam nos incolimus, hoc est, terram nostram cingi undique ab alia terra longe majore, eamque nominari paradisum, quae sententia somnium est plane Judaicum; 3. quidam dicunt, paradisum esse locum quendam sublimem, usque ad globum lunae pertingentem, hanc sententiam refert Lombard. 2. sent. dist. 17. lit. E; est autem ipsius Basilii, qui in libro de paradiso scribit, esse hunc locum πάσης τῆς γῆς ὑψιλώτερον, atque ob situs sublimitatem nullas admittere tenebras, quod repetit Damascen. 2. de fid. c. 11. et similia reperiuntur apud Rupertum, 1. in Gen. c. 37. et Marium Victorem lib. 1. carm. in Gen. Bellarm. hoc ita excusat, *quod hyperbolica ista altitudine paradisi excellentiam demonstrare voluerint*, sed haec glossa et verbis et menti auctorum istorum adversa est, nos ex istis sententiis colligimus, pronam esse ad errores viam, si traditiones relicta Scripturae luce acceptentur; 4. quidam existimant, paradisum fuisse in Mesopotamia, destructum autem per aquas diluvii, ut August. Eugubin. Hieron. ab Oleastro, Franc. Vatablus sup. 2. Gen. Corn. Jans. c. 143. conc. evang.: quam sententiam itidem Bellarmin. improbat. Nos secuti Mosaicum textum simpliciter statuimus, paradisum fuisse amoenissimum tractum in oriente, hodie vero limites ac termini ejus describi a nobis non possunt, cum per diluvium tota terra misere sit vastata. Conjecturam illam, quod paradisus fuerit in vicinia Damasci, et Mesopotamiam olim fuisse dictam Eden, (quod quidam ex Scriptura se colligere posse putant) in medio relinquimus. Argumenta Bellarmini, quibus hanc sententiam oppugnat, levioris sunt momenti, quam ut sententiam illam evertere possint, procedunt enim omnia ex falsis istis duabus hypothesibus, quod idem hodie sit fluviorum istorum paradisum ambientium ortus atque cursus, qui fuerit olim ante diluvium, et quod paradisiacus ille hortus per aquas diluvii non sit vastatus.

Paradisus in orientali plaga situs.

IV. 274.

111. Quibus vero rationibus probare conatur Bellarminus paradisum illum terrestrem adhuc superesse, nec per aquas diluvii periisse? 1. *Patres et Scholastici affirmant, paradisum adhuc exstare.* Respondemus: De Scholasticorum sententia non simus valde soliciti. Patres in descriptione paradisi non

IV. 275. Paradisus an adhuc exstet.

consentiunt, ut notum est Iren. lib. 5. adv. haeres. p. 547: *se a Presbyteris Asiae, qui fuerint apostolorum discipuli, accepisse, tradit in paradisum translatos esse eos, qui translati in Scriptura dicuntur.* Sed audiat Bellarminus hominem suae societatis Pererium, is lib. 3. in Gen. c. 2. q. 5. sic scribit: *Irenaeus affirmat, se quod de paradiso tradit a Presbyteris Asiae discipulis apostolorum accepisse, sed quid tum postea? an ideo quaecunque ab istis Presbyteris proditum, tanquam certum et indubitatum doctrinae Christianae dogma haberi debet? nonne constat istos ipsos Presbyteros, eodem referente Irenaeo, quaedam falsa et divinis literis contraria docuisse?* Haec Pererius. Satius igitur est, Scripturam hic sequi, quae testatur, aquas diluvii cooperuisse omnes montes excelsos sub omni coelo Gen. 7, v. 19. Si ab isto aquarum impetu liber fuit hic hortus, statuendum fuerit pensilem eum in aëre sub sphaera lunae fuisse, quod somnium ipse Bellarm. repudiat. Excipit Bellarm. *credibile esse, quod aquae diluvii non penetrarint in paradisum, sed illud diluvium montes istius terrae cooperuerint, quae data erat hominibus inhabitanda post lapsum.* Egregia vero probatio, textus Mosaicus universalis intelligendus est particulariter, quia credibile est, aquas diluvii non penetrasse in paradisum. Atqui tota terra fuit per diluvium devastata, quomodo non et oriens, in quo locum habuit paradisus? Pergit Bellarminus. *Scripturam ipsam nos cogere, ut statuamus, paradisum miraculose ab aquis dilurii custoditum, cum Henoch tempore diluvii non perierit, nec tamen in arcam sit receptus.* Respondemus: Sane Ecclesiastici 44, v. 16. in vulgata translatione dicitur, Henochum in paradisum translatum esse, sed praeterquam quod liber iste sit extra canonem, etiam in Graeco textu nihil de paradiso hoc loco invenies. Translatus utique est Henoch in paradisum, non autem terrestrem illum, sed in coelestem, de quo sonat promissio Christi praestita latroni Luc. 23, v. 43: *hodie mecum eris in paradiso;* unde Tertull. lib. de resurrect. carn. pulcherrime *Henochum* vocat *candidatum aeternitatis.* Concludit tandem Bellarmin.: *si vel maxime dicantur aquae diluvii in paradisum penetrasse, et Henochus singulari Dei providentia in mediis aquis conservatus, non tamen effici necessario, paradisum omnino destructum, cum nec situs loci, nec aëris temperamentum sit mutatum, ideoque tantum detrimentum quoddam ex diluvio ei accidisse.* Respondemus: Miserum vero Henochum, si toto diluvii tempore in aquis ipsi natandum fuit! miserum habitaculum, quod aquis inundatur et obruitur! misera profecto est paradisi illius conditio, si detrimentum aliquod ex aquis ei illatum. Somnia haec otiosis monachis sunt relinquenda.

An Henoch et Helias sint in corporeo paradiso.

112. 2. *Paradisus conservari debuit, ut Henoch et Helias congruentem suis corporibus sedem haberent, donec tempus esset, ut cum antichristo congredientes vitam cum morte commutarent.* Respondemus: Henochum et Heliam adhuc animalem vitam, nondum vero spiritualem ducere facilius dicitur quam probatur, redituros eos corporaliter in persona propria ante novissimum diem ex Scripturis colligi nequit; nimis enim infirmum est, quod ex Apoc. 11, v. 3. de duobus testibus huc affertur, cum nomina istorum testium non exprimantur. Prophetiam de reditu Eliae, quae exstat Malach. 4, v. 5, Christus diserte ad Johannem baptistam accommodat, *qui in Spiritu et virtute Elias Messiam praecessit* Matth. 17, v. 11. Luc. 1, v. 17. Per testes illos duos in apocalypsi rectissime intelliguntur V. ac N. T., quae sub antichristi regno spreta ac contemta jacuerunt. Alii intelligunt quosvis pios ac sinceros doctores, qui antichristi regnum oppugnant. Lyranus exponit de Sylverio et Menna Eutychianae haereseos oppugnatoribus. Vide Dominum Philippum Nicolaum libr. 2. de regno Christi c. 6, p. 311. Plura de hoc loco dicemus in capite de antichristo. IV. 1

Unde ramum oleae quem lumba arcam contu

113. 3. Sub finem capitis aliud argumentum Bellarminus attingit: *Si diluvii aquae omnes arbores eradicarunt, ubi invenit columba ramum illum oleae, quem ad Noahum attulit?* Gen. 8, v. 11. Respondemus: Rabbinorum hoc est figmentum (teste Munstero), quod folium illud oleae e paradiso sit advectum, quorum somnia merito repudiamus. Moyses diserte addit, alleviatas sive diminutas jam tum fuisse aquas, et per dies aliquot multos arcam in montibus Ararat stetisse. Ambrosius lib. de Noa et Arca c. 19. quaerit, *utrum illud folium ante diluvium fuerit exortum, an vero tempore diluvii. Si ante diluvium* (inquit) *gavisus est vir justus, fructum de veteri semine aliquem reservatum, et inde collegit misericordiae divinae insigne* (quod jam diluvium removisset), *quae fructum demonstraret, cui non potuissent nocere diluvia. Si diluvii tempore natum est folium, advertit utique justus, nova semina misericordiae fructificasse coelestis, ut radices arborum viverent, et quasi resumta anima foetus germinarent* etc. Gerundensis contra reliquos rabbinos merito urget hoc argumentum: *Si folium oliva ex paradiso allatum, quomodo potuit Noahus ex eo colligere, aquas diluvii defecisse?* quod etiam sibi dictum putet Bellarminus. Nos in his omnibus extraordinariam providentiae divinae actionem agnoscimus, quod columba non solum ad arcam redit, sed etiam folium secum affert, non cedri vel alterius arboris, sed oleae sive balsami, quod divinae misericordiae et gratiae insigne fuit Noaho et omnibus in arca constitutis.

Arbor vitae

114. Hortus ille paradisiacus omnis generis pulcherrimis et feracissimis arboribus fuit consitus, inter quas duae prae ceteris insignes: *Arbor vitae in medio horti posita, et arbor scientiae boni ac mali* Genes. 2, v. 9. Arbor vitae inde nomen est sortita, quod naturali atque occulta facultate vitam hominum conservandi ac prorogandi viresque vegetas ipsis praestandi fuit instructa, quam nominis rationem DEUS ipse assignat Gen. 3, v. 22. August. 13. de civ. DEI c. 20: *Alebantur primi parentes reliqua-* IV. 1

rum arborum fructibus, ne animalia corpora molestiae quid esuriendo ac sitiendo sentirent; de ligno autem vitae propterea gustabatur, ne mors eis undecunque subreperet, vel senectute confecti decursis temporum spatiis interirent, tanquam caetera essent alimento, illud sacramento. Beda in c. 2. Gen.: *In ligno vitae erat sacramentum, in reliquis lignis alimentum.* Lombard. 2. sent. dist. 17. lit. F.: *Lignum vitae dictum est, sicut docet Beda et Strabus, quia divinitus accepit hanc vim, ut qui ex ejus fructu comederet, corpus ejus stabili sanitate et perpetua soliditate firmaretur, nec ulla infirmitate vel aetatis imbecillitate in deterius vel in occasum laberetur.* Addunt alii hanc arborem fuisse arrham aeternae beatitudinis, atque in eadem typum Christi propositum esse: Bellarm. de grat. prim. hom. c. 18. duas proponit patrum sententias de vi atque efficacia hujus arboris: *Primam esse dicit Augustini et Scholasticorum, quod lignum vitae institutum fuerit ad arcendam mortem, quae contingere solet ex senio; alteram tribuit Chrysostomo, Theodoreto, Ruperto et aliis, quod lignum vitae eam vim habuerit, ut vel semel gustatum perfectam afferret immor-*
IV. 278. *talitatem, ideoque non ante sumendum fuisse, quam transferendi essent homines de statu gratiae in statum gloriae; horum sententiam utramque probabilem esse Bellarm. existimat, posteriorem vero probabiliorem propter locum* Gen. 3, v. 22, ex quo tamen evidenter sententia ista probari nequit.

Arbor scientiae boni et mali.

115. Arbor scientiae boni et mali nequaquam inde nomen sortita est, quod hominem sapientiorem reddere posset, quam a Deo creatus fuerat (quod statuit Josephus 1. antiq. c. 3.), quippe ad imaginem DEI, id est, in perfecta sapientia, justitia et sanctitate homo erat conditus, sed arbor illa sic dicta est, 1. a ϑείῳ δρῳ, quia divinitus homini constituta erat veluti quaedam ara ac templum, in quo DEI creatoris erga sese benignitatem et concreatae integritatis bonum cognosceret; 2. ab eventu, quia per esum fructuum ex hac arbore ex periendo didicit homo, quantum bonum per peccatum amiserit et in quantum malum sit prolapsus. Theodor. quaest 26. in Genes.: *Homo ante lapsum habuit boni praesentis γνῶσιν καὶ πεῖραν, mali absentis γνῶσιν tantum, non autem πεῖραν; sed post lapsum in homine est boni amissi qualiscunque γνῶσις, non autem πεῖρα, ac mali inhaerentis γνῶσις καὶ πεῖρα.*

CAPUT VIII.

DE PROPAGATIONE ANIMAE.

Animae propagantur.

116. Atque haec dicta sint de felicissima primi hominis ante lapsum conditione; beatissimus erat animae, corporis atque exterioris domicilii qualitatibus, ac si in concreata illa integritate perstitisset, etiam ad posteros eam propagasset. Ex quo fundamento deducimus hoc theorema; etiam animas eorum, qui ex Adamo et Eva geniti fuissent, non creatas, neque etiam generatas, sed propagatas fuisse. 1. Cum enim imago DEI fuerit concreatae animae humanae justitia, sanctitas et perfectio, ideo propagata per generationem DEI imagine ipsam quoque animam propagari necesse fuisset. Quicquid extra animam et sine anima esse in corpore humano nequit, eo propagato necesse est ipsam animam propagari. 2. Successit post lapsum in locum imaginis DEI in homine peccatum originale, cujus propagatio ostendit etiam post lapsum illam animarum propagationem fieri. 3. Vis illa verbi: *Crescite et multiplicamini* Genes. 1, v. 28, ut in reliquis animalibus efficax est, ita quoque circa hominem non cecidit in terram, nec lapsus hanc divini verbi IV. 279.
semel prolati vim evertit, argumento est, quod repetita fuerit illa benedictio Genes. 9, v. 4: *Adam genuit filium secundum imaginem et similitudinem suam.* Genes. 5, v. 3: *nimirum carnem de carne* Joh. 3, v. 6, qua appellatione totus homo non regeneratus, non solum corpus denotatur, ut patet Galat. 5, v. 20. Illa igitur imago Adae peccatis depravata non quaerenda est in solo corpore filiorum ejus, sed in toto homine. 5. Animam Evae DEUS non creavit. sed ex Adamo in Evam transtulit, et sic Eva ab Adamo animam participavit. Cum enim anima tota sit in toto corpore, et in qualibet ejus parte tota sit, ideo costa animata fuit, ex qua Eva est formata, ac proinde non per inspirationem seu novam creationem, sed per propagationem ab Adamo accepit animam. Posteri Evae ex animatis parentibus animati generantur, et totius compositi generatio esse dicitur a philosophis passim. Finge animas hominum immediate a Deo quotidie creari et creando inspirari, quaeram: An Deus creet animas ab omni peccati labe puras, quae in corpore demum tanquam minus sincero vase corrumpantur? an vero peccati labe infectae creentur? Prius nequit dici, quia prima peccatorum scaturigo non redit a corpore ad animam, sed potius ab anima in corpus; qua de re disserit Augustinus praeclare 10. de Genes. ad lit. c. 11. Anima (ex hypothesi) pura ad bonum semper tendens posset corpori resistere, cum sit fortior, nec, si quid labis attraheret, posset illud in intimam ejus substantiam penetrare. Posterius itidem dici nequit, quia bonus Deus solius boni auctor; jam vero peccatum originale, quo infectae sunt post lapsum hominum animae, non solum est privatio quaedam, sed et prava qualitas. 7. Adde quod ab immediata creatione *Deus septimo die requieverit* Genes. 2, v. 2. Si vel maxime dicatur Deus *requievisse a condendis novis tantum speciebus, non autem individuis,* (qua responsione quosdam uti commemorat Augustin. epist. 28. ad Hieronym.) tamen non videtur plane everti hoc argumentum; quia etiam haec est vera et proprie dicta creatio, quando individua ἐξ ἁπλῶς μὴ ὄντων absque interventu causarum naturalium producuntur. 8. Quod

homini non videatur denegandum esse illud, quod brutis convenire omnes concedunt, videlicet simile sibi secundum corpus et animam procreare. 9. Quod Scriptura notanter dicat, *animas filiorum e femoribus Jacobi egressas esse* Genes. 46, v. 26. *atque in Abrahae lumbis Levi decimatum esse* Hebr. 7, v. 9. et 10. Sed enim cum ex veteribus et recentioribus, non obscuri nominis viri sententiae de creatione magis, quam nostrae faveant, ideo notandum est, quod Bellarminus loco dicto fateatur, *nullum fortasse inveniri Scripturae locum, in quo perspicue doceatur, animas non fieri ex propagine, sed creari.* Martyr 2. class. loc. comm. c. 1. §. 50. expresse scribit, *non posse sententiam de traduce expugnari et everti ex sacris literis.* Sohn. tom. 2. in exeg. August. Conf. p. 564: *Absurdum est dicere, vel animam contagio corporis vitiari, cum corrumpi immortalem Spiritum a mortali corpore contra naturam esse videatur, vel animas eo momento, quo creantur a Deo privari rectitudine et luce, ut corruptae et peccato contaminatae sint, cum non praecedant causae hujus privationis, nimirum peccatum actuale aliquod harum animarum vel denique Deum animas creare peccato contaminatas, cum Dei summe boni non nisi opera bona esse possint.* Haec Sohnius. Quem nodum solvant, qui sententiam de immediata creatione animarum defendunt, nos cum Augustino dicimus epist. 157: *Libenter defensuri sumus sententiam Hieronymi* (animas scilicet creari), *si nos docere poterunt, quomodo animae ex Adamo non veniant et tamen ex illo justam sententiam damnationis inveniant.*

Modus propagationis. 117. Modum propagationis quod attinet, ejus inquisitionem et explicationem fatemur esse diffici-
1. limam. Quidam dicunt, animam filiorum ab anima parentum, ut facem de face, lucem de luce accendi.
2. Quidam disputant, non seorsim ab anima parentis animam filii propagari, sed totum hominem ex toto
IV. 280. generari, semen quidem animatum esse, non autem seorsim vel separatim alterius sexus, sed in conjunctione maris et feminae ab ipso Deo ad gene-
3. rationem ordinata. Quidam disputant, praeter eam seminis formam, qua ad organici corporis naturam comparata est, aliam quandam vim seu entelechiam et perfectionem semini divinitus insitam esse, qua
4. possit animam producere. Quidam disputant, animam matris sui promotione animam sobolis producere, eadem ratione, qua in accretione induit se
5. in alimenti materiam novam. Quidam contrarias illas de creatione et propagatione animarum sententias in concordiam redigere conantur, hoc modo: Duplex datur productio, una, quae respicit potentiam naturae et vocatur generatio; altera, quae potentiam DEI absolutam respicit et vocatur creatio. Hoc modo sumta creatio vicissim dividitur in eam, quae praecedit ex nihilo, et proprie creatio dicitur et alteram, quae ex materia quidem praecedit, sed nec necessario nec cum potentia naturali, sed obedientiali; his praesuppositis statuunt, DEUM secundo creationis modo ex praeexsistente anima parentum increare foetui novam, quae quia ex Adamo materiam habet, reatus sit particeps; vicissim quia a Deo immediate producitur, absurditates objectas huic sententiae facile effugiat. Nos modum propagationis 6.
inquirendum philosophis relinquimus, quippe quem in Scripturis expositum esse nondum vidimus, interim sententiam de propagatione animarum arcte tenemus, neque enim ob id neganda animarum propagatio, quia modus propagationis non est conspicuus. Mysteriis divinis hoc veluti solenne est, ut rem ipsam eorum Scriptura exponat, modum reticeat.

Sex sententiae de origine animarum ex Bellarm. 118. Bellarminus lib. 4. de statu peccat. c. 11. recenset sex sententias de origine animae: *Prima sententia est, animas humanas esse particulas substantiae Dei, proinde non creari, nec a parentibus traduci, sed a Deo mirabiliter inspirari.* Philo in lib. *quod deterius potiori insidietur, quem secuti Gnostici, Manichaei et Priscillianistae.* 2. Origenes 1. περὶ ἀρχῶν c. 7. *statuit animas simul omnes una cum angelis creatas, sed propter inordinatum amorem terrenorum in corpora tanquam in carceres detrudi. 3. Rabbini statuunt itidem, omnes animas in principio cum angelis conditas, et a Deo in corpora mitti; sed non addunt animas in coelo peccasse, nec corpora vocant animarum carceres, cujus sententiae meminit* Gregor. Nyssen. de anima c. 6. et Hieron. epist. ad Marcellin. et Anaph. *4. Quidam statuunt, animas non minus a parentibus trahi, quam corpora, ut Tertullianus et maxima pars occidentalium,* teste Hieron. in epist. modo allegata. *5. Augustinus censet originem animae latere; neque esse aliquid temere de ea definiendum, hunc sequuntur* Gregor. libr. 7. epistol. c. 27. Eucherius in 2. c. Genes. 6. *Denique plurimi statuunt animarum quotidianam creationem,* quos Bellarminus sequitur.

Ἐπίκρισις. 119. Prima, secunda et tertia opiniones sunt explorati errores, quos ex Scripturae fundamentis evertere in proclivi est; videbimus igitur quid in reliquarum sententiarum explicatione proferat. Quartam sententiam tribuit Bellarminus Apollinari et Luciferianis, facile apparet, quo fine, nimirum ut haereseos eam suspectam reddat, *cum Apollinaristae et Luciferiani pro haereticis in veteri ecclesia sint habiti ac damnati.* Sed resp. Apollinaristae et Luciferiani statuerunt animam humanam e semine et in materia corporea educi ac proinde corpoream esse. August. de haeres. ad Quodvultdeum haeres. 81. refert, *se de Luciferianis in quodum opusculo hoc invenisse, quod statuant animam ex transfusione generari, eademque et de carne dicant et carnis esse substantiam.* Ex lib. de ecclesiast. dogmat. haec adducit Lomb. 2. sent. dist. 18. lit. H: *Animas in corporibus per coitum seminari, Luciferiani et Cyrillus et quidam Latinorum praesumtores affirmant. Id ipsum etiam Apollinarem statuisse, videlicet quod animae sunt de carne et carnalis substantiae, ex dialogis Theodoreti liquet;* quid vero cum absurda et improba ista opinione nostrae sententiae est commune? 2. dicit sententiam IV. 281.

de propagatione animarum *a Scholasticis pro explorato errore et a Thoma pro haeresi haberi, quorum vestigia etiam ipse sequitur.* Respondemus: quo ore quave fronte hareseos accusat istam sententiam, quam tamen secutus Augustinus paulo post diserte scribat col. 304. *nullum fortasse Scripturae locum inveniri, in quo perspicue doceatur, animas non fieri ex propagine, sed creari?*

Argumenta pro creatione animarum.

120. 3. Pergit Bellarminus et profert quaedam Scripturae testimonia contra istam sententiam: Gen. 2. *Deus ipse inspirat Adamo animam, non autem terrae jubet, ut producat hominem, sicut bestia Dei jussu jam ante produxerat.* Psalm. 32, v. 15: *Deus fingit sigillatim corda hominum.* Esa. 57: *flatum omnem ego feci.* Eccles. ult. *Spiritus redit ad eum, qui dedit eum;* sed ipse nobis responsionem suppeditat, videlicet *locum Geneseos efficaciter quidem demonstrare, animam primi hominis non esse ex materia eductam, sed a Deo ex nihilo creatam, non autem cogere, ut idem de animabus reliquis judicemus, cum responderi possit, quemadmodum Deus primi hominis corpus ex limo terrae formavit, reliqua vero corpora non per se ex limo terrae, sed per generationem ex parentum corporibus procreat: ita primi hominis animam a Deo proprie atque ex nihilo fuisse creatam, nunc vero ex illa prima reliquas propagari* (quam responsionem verissimam esse vel eo patet, quod Deus ex animata Adae costa Evam animatam format, non autem de novo animam ei inspirat:) *reliqua loca probant quidem animarum omnium conditorem esse Deum, tamen non indicant modum, quo a Deo sint condita, utrum per creationem ex nihilo, an per propagationem ex anima primi hominis.* Haec Bellarm. (quam responsionem verissimam esse evidenter patet ex eo, quod de formatione corporis eadem phrasi Scriptura utatur) Job. 10, v. 9: *sicut lutum me formasti, sicut lac me mulsisti, et sicut caseum me coagulasti,* Job. 31, v. 15: *nunquid non in utero fecit me?* Jer. 1, v. 4: *prius quam te formarem in utero, novi te.* Act. 17, v. 25: *Deus dat omnibus vitam et inspirationem;* num vere haec omnia immediata quadam creatione operatur Deus? minime vero, sed ideo *Deo haec tribuuntur, quia ab ipso est causalitas omnium causarum naturalium.* Scalig. exerc. 188. sect. 1.

Testimonia patrum de creatione animarum.

121. 4. Ergo quia Bellarmin. videt ac fatetur, ex Scriptura sententiam de propagatione animarum solide impugnari non posse, conatur aliis duobus modis efficaciter (ut loquitur) demonstrare, animas creari, non propagari: Primo *ex traditione ecclesiastica sive patrum testimoniis;* deinde *rationibus ex principiis fidei deductis.* Adducit igitur Hilar. 10. de trin. Ambr. lib. de Noa et arca c. 4. Hieron. in c. ult. Eccles. Chrysost. hom. 23. in varia loca Matthaei. Nyssen. de anim. c. 6. Theodor. libr. 5. ad Graecos. Cyrill. lib. 1. in Joh. c. 9. Augustinum. Epist. 157. ad Opt. Leon. in epist. ad Turbium c. 10. Bernh. serm. 27. in Cant. Concil. Later. sub Leone X. sess. 8. Auctor de operibus cardin. Christi, serm. de resurr. Auctor. de eccl. dogm. c. 14. Innocent. super Psalm. 50, *quibus addit consensum omnium populorum, omnium enim mentibus hoc insitum, ut statuant animas a Deo creari.* Respondemus: Primo ex sola Scriptura sacra efficaciter articuli fidei demonstrari possunt, ubi de re obscurissima tractatur, (dicit August. de hoc ipso problemate disserens lib. 2. de pecc. merit. c. 36.) non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarissimisque documentis cohibere se debet humana praesumtio. Secundo, pleraque patrum testimonia opinioni Apollinaristarum et Luciferianorum, non autem sanae sententiae de propagatione animarum sunt opposita. Tertio, multi ex patribus hic ἐπέχουσιν, quod de Augustino Bellarm. fatetur, quam ἐποχὴν sequitur etiam Gregorius, Eucherius et alii complures. Quarto, quidam diserte comprobant nostram sententiam, Tertull. de resurr. carnis c. 35. p. 80: *Exinde a benedictione geniturae caro atque animae* IV. 282. *simul fiunt sine calculo temporis, ut quae simul in utero etiam seminantur, quod docuimus in commentario, animae contemperant foetu, coaetant natu etc.* Hieron. in epist. ad Marcell. et Anapsychiam refert, *maximam partem occidentalium in ea sententia fuisse.* Martyr. class. 2. loc. c. 1. §. 48. *sententia haec habet fautorem Tertullianum et ex veteribus plerosque.* Tim. Brightus in Animadv. phys. *gravissimos et praestantissimos tum theologos tum philosophos hujus sententiae patronos facit.* Quinto, veteres nondum moto certamine Pelagiano securius et liberius sunt locuti, postea autem animadversum fuit, propagationem peccati originalis magno argumento esse, quod etiam animae propagentur. Sexto, patrum dicta, si in specie examinentur, nostram sententiam vel non oppugnant vel certe non expugnant. Hilarius 10. de trinit. dicit, *animam esse opus Dei, carnis generationem esse ex carne;* quis nostrum hoc negat? est omnino anima opus Dei, non autem per immediatam creationem productum; carnis generatio est ex carne, id est, totius hominis ex toto homine corrupto Joh. 3, v. 5. Ambros. de Noa et arca c. 4. *negat animas generari,* negamus id ipsum, generatio est totius compositi, propagatio est animarum. Idem lib. de paradiso c. 11. *de corpore costam esse sumtam dicit, non autem de anima portionem;* rectissime, anima enim est ἀμέριστος, interim costa illa erat animata, ac proinde nova animae inspiratione nec in Eva opus erat neque in posteris Evae. Hieron. in comm. eccles. ult. Chrysost. hom. 23. in var. Matth. loca, *negant animas a corporibus seri ac generari;* idem negamus et nos, uti dictum. Nyssen. lib. de anima sententiae de propagatione adversus; idem in lib. de opific. hominis c. 30. egregie de ea disserit, et fatetur ipse Bellarm. col. 300. *librum illum de anima non esse Nysseni, sed Nemesii.* col. 309. *Nyssenum creationem animarum statuisse negat.* Theod. lib. 5. adv. Graecos, *negat animam e semine enasci, contra autem statuit, animam divino instituto creationem acccipere, sed addit, sicut ab initio instituta naturae lex fuit, ea lex proponitur in ver-*

bis Dei; crescite et multiplicamini; non ergo de immediata creatione Theodoretus loquitur. Cyrill. 1. in Joh. c. 9. statuit, *animam ex nihilo ad esse pervenire*, idem statuimus et ipsi contra Origenem, qui somniabat, animas omnes in principio creatas. Lomb. 2. sent. dist. 18. lit. H: *Cyrillum cum Luciferianis conjungit, quos creationem animarum repudiasse certum est.* De Augustini sententia videbimus paulo post: Leo in epist. ad Turb. c. 10. statuit, *animas non incorporari nisi ab opifice Deo, qui est animarum creator, sed diserte addit; Deum esse animarum et corporum creatorem; ut ergo corpora non creat immediate, ita nec animas.* Bernh. serm. 27. in cant. *animas dicit e coelo esse*, quod sano sensu accipiendum. Denique consensui populorum, quem Bellarminus urget, opponimus hoc, quod omnium mentibus insitum est, hominem generare hominem, neque homini id denegandum esse, quod brutis competit, videlicet simile sibi producere.

Rationes pro animarum creatione.

1. Anima per se subsistit.

122. Descendit ergo Bellarminus ad rationes, quarum tres enumerat. Prima: *Anima est immortalis. Ergo per se subsistit, id est, non dependet a corpore. Si per se subsistit, utique etiam per se producitur, et per consequens non exsistit ad compositi generationem, neque fit ex propagine.* Respondemus: Non dicimus seorsim corpus ac seorsim animam produci, sed totum hominem a toto homine generari dicimus; tritum enim in scholis philosophorum, generationem esse totius compositi. Arist. 12. Met. c. 3. Scal. exerc. 101. sect. 15. exerc. 282. sect. 1. exerc. 346. Zabar. de gener. et interit. c. 4. Piccol. 1. de creat. c. 7. neque dicimus, animam e potentia materiae ita educi sicut brutorum animae, quae sunt interitui obnoxiae, sed agnoscimus hic mysterium nondum satis explicatum; propagationem animarum credimus, modum propagationis Deo relinquimus. Proinde firmam etiam hanc connexionem negamus. Si anima propagatur, erit mortalis, quid
IV. 283. enim, an non posteri Adae fuissent ex primo parente immortali immortales producti? talis omnino res est, qualem eam Deus esse voluit. Individua specierum omnia ab ipso Deo in prima creatione producta, neque tamen immortalitatis gratiam adepta sunt. Adde que etiamsi animae separatim subsistant, tamen ex Dei ordinatione habent dependentiam ad corpus, ita ut a corpore non fuissent separatae, si homo in integritate perstitisset, et quamvis propter peccatum a corpore separentur, tamen olim ei vicissim sunt uniendae.

2. Anima neque ex tota neque ex parte animae propagatur.

123. Secunda ratio: *Si animae hominum trahuntur a parentibus, vel trahuntur ex corpore vel ex anima parentum. Si ex corpore, erunt corporeae et mortales. Si ex anima, vel ex tota vel ex parte. Si ex tota, igitur vel parens carebit deinceps anima, vel tota manebit in Patre et filio. Utrumque falsum, quia parens per generationem anima non destituitur, nec una atque eadem est patris et filii anima. Si ex parte animae patris exsistit anima filii, anima erit partibilis, ac proinde corporalis et mortalis.* Respondemus: repetimus denuo, non seorsim animam ab anima, et corpus a corpore propagari, alias etiam singula membra a singulis membris propagarentur, cum tamen certum sit, mutilos parentes generare integros liberos; sed sequimur Scripturae ductum, quae in opere generationis, quod secundum Avicennam est opus supra omnia mirabilia mirabile, conjuges ut unum agens considerat Gen. 2, v. 24. Matth. 19, v. 6. Ergo non patimur nos redigi in has angustias, ut in generatione hominis cujusque partis distinctam propagationem ostendere cogamur, sed generationem dicimus esse totius compositi, quod vi benedictionis divinae miranda potius, quam perscrutanda sibi simile generat. Quid quod eodem modo de brutorum animabus quaerere possem, an ex corpore an ex anima gignentium producantur? animas enim brutorum corporeas et partibiles dici non patientur metaphysici, quibus omnis forma est indivisibilis.

3. Anima subsistit extra corpus.

124. Tertia ratio: *Quodcunque educitur e potentia materiae, ita pendet a materia, ut sine ea neque fieri neque esse queat. Atqui animae subsistunt extra corpus. Ergo non producuntur e potentia animae.* Respondemus: Quid per eductionem formarum ex potentia materiae intelligendum sit, pulchre explicat Scal. exerc. 6. sect. 5. ubi disputat, nihil formae actu in materia praeexsistere, sed agentis potestate ex materia ad ultimam perfectionem perducta formam emergere potius quam educi. Ergo si per productionem animae e potentia materiae intelligitur, quod ex semine corporeo anima oriatur, eidemque actu insit, negamus hoc modo animam e potentia materiae educi: si vero phrasis illa hoc modo explicetur, quod homo vi benedictionis divinae sibi simile secundum speciem generet, ac proinde animam in sobolem propaget, modo nobis forte inexplicabili statuimus animam e potentia materiae educi, id est, non creari a Deo immediate, sed ex eo nondum sequitur, quod anima non possit extra corpus subsistere, quia separatam illam subsistentiam peculiari Dei munere anima sortitur, ita tamen, ut naturalem ad corpus tanquam domicilium suum proprium dependentiam obtineat.

Gen. 46. animae ex femore Jacobi egressae.

125. 6. Denique producit Bellarminus tria argumenta pro confirmanda animarum propagatione, eademque conatur solvere, sed longe plura et firmiora ad sententiae nostrae confirmationem produci possunt, ut vidimus suo loco. Audiamus tamen disserentem de hisce Bellarminum: Primum, inquit, objici solet ex Genes. 46. animas de femore Jacobi egressas: *excipit synecdochice id intelligendum esse de hominibus animatis.* Respondemus: Rectissime, quid autem inde sequetur aliud, quam totum hominem animatum e femore parentis egredi, id est, generationem esse totius compositi. Juxta Bellarmini sententiam anima hic pro parte hominis, altera tantum videlicet corpore accipienda esset, cujus synecdoches exempla nuspiam forte occurrunt. Drusius libr. 11. observ. c. 8. profert quaedam exempla, in quibus IV. 284.
pars pro parte poni videatur, *ut cutis pro carne* Ps. 102, v. 6. *pro corpore anima casso* Job. 18, v. 13.

et Actor. 2, v. 17, sed diligens consideratio istorum dictorum diversum ostendet; nulla rhetorices praecepta talem docent synecdochen, in qua pars pro parte ἀντιδιῃρημένῃ ponatur. (Augustinus epist. 157. monet, responderi posse, quod μετωνυμικῶς anima pro corpore ponatur, contentum scilicet pro continente.) Secundum argumentum, Hebr. 7. dicitur Levi decimatus in lumbis Abrahae, non autem Christus. Ergo alia ratione in lumbis Abrahae fuit Christus, videlicet tantum ratione corporis, alia vero Levi, videlicet ratione corporis et animae. Excipit Bellarminus: *Christum fuisse in lumbis Abrahae secundum materiam carnis, non secundum rationem seminalem, Levi autem secundum utrumque.* Respondemus: Rectissime, illa autem ratio seminalis totius compositi generationem complectitur, ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ. 2. Phys. acroas. c. 2. Filius Dei non quidem est ex virili semine conceptus, sed mirabili Spiritus sancti ἐπὶ τὴν Μαριὰν ἐπελθόντος virtute, ex sanctificatis ipsius visceribus carnem sibi induit, interim haec caro fuit animata caro; non enim nudum corpus, sed totam naturam humanam in Maria et ex Maria Filius Dei assumsit. Tertium argumentum: Si Deus animas creat et inspirat, sequetur, ipsum adulteris et fornicariis in procreatione hominis cooperari. Excipit Bellarminus *in fornicatione et adulterio duo consideranda esse, actionem naturalem generationis humanae et vitium transgredientis legem Dei in illo opere, primum esse bonum, et ei bono Deum cooperari.* Respondemus: Nos argumento illo non utimur, nam si vel maxime statuatur animas propagari, tamen id non fit absque efficaci Dei benedictione et naturae a se institutae conservatione; eadem ergo difficultas redit, cur illicitis scortatorum et adulterorum congressibus Deus benedicat, quam difficultatem allata distinctio recte explicat. Augustin. epist. 28. laudat simile Hieronymi *(non esse vitium sementis in tritico, quod furto dicitur esse sublatum, sed in eo, qui frumenta furatus est, nec idcirco terram non debuisse gremio suo semina confovere, quia sator immunda ea projecerit manu)* et addit: *generaliter intuemur multa bona Deum facere etiam de nostris malis nostrisque peccatis.* Quod si reliqua argumenta, quae propagationem animarum confirmant, praesertim illud de originalis peccati propagatione, tam facili negotio solvi possent, ut hoc ipsum, haberet nos sibi Bellarminus ὁμοψήφους.

Hebr. 7. Levi decimatus in lumbis Abrahae.

ἐποχὴ Augustiniana de animarum origine.

126. Quintam sententiam, *quae ἐποχὴν hic amplectitur atque originem animae latere statuit, Augustino tribuit Bellarminus, ita tamen ut verior ipsi visa fuerit animarum creatio, quam propagatio.* Respondemus: Fuit Augustinus in hac quaestione dubius atque incertus, interim tamen probe vidit, peccati originalis propagationem absque animarum propagatione contra Pelagium difficulter defendi posse. Audiamus ipsum August. lib. 2. de peccat. merit. c. 36: *Ubi de re obscurissima* (qualis est quaestio de animae origine) *tractatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana praesumtio, nihil faciens in alteram partem declinando.* Epist. 28. ad Hier. dicit, *se de anima haec firmiter tenere, quod sit immortalis secundum modum suum, quod non sit pars Dei, quod sit incorporea, quod nulla Dei culpa, nulla DEI vel sua necessitate, sed propria voluntate in culpam sit collapsa, quod non possit liberari de corpore mortis hujus vel suae voluntatis virtute tanquam sibi ad hoc sufficiente, vel ipsius corporis morte, sed gratia DEI per Christum, quod non sit anima ulla in genere humano, cui non sit necessarius ad liberationem mediator Dei et hominum, quod quaecunque anima sine gratia mediatoris et sacramento ejus in qualibet corporis aetate de corpore exierit, et in poena sit futura, et ultimo judicio receptura corpus ad poenam, quae autem post generationem humanam ex Adamo factam in Christo regeneretur, ad ejus pertineat societatem, et requiem* IV. 285.
post mortem corporis sit habitura, et corpus ad gloriam receptura. Haec omnia se firmissime de anima tenere Augustinus dicit, quaerere autem ubi contraxit anima reatum, quo trahitur in condemnationem? Et postea: *Ego quidem ante aliquot annos cum libros quosdam scriberem de libero arbitrio, quatuor opiniones de animae incarnatione, utrum ex illa una, quae primo homini data est, caeterae propagentur; an singulis quibusque novae etiam modo fiant; an alicubi jam exsistentes mittantur divinitus vel sponte labantur in corpora; ita putavi tractandas esse, ut quaelibet earum vera esset, non impediret intentionem meam, qua tunc adversus Manichaeos agebam. Nam de Priscillianistis adhuc nihil audieram, qui non multum ab istis dissimiles blasphemias fabulantur, ideo quintam opinionem non addidi, quam in tua epistola commemorasti, quod anima non sit pars Dei* etc. *Hoc itaque excepto haereticae opinionis errore, ex quatuor reliquis opinionibus quaenam eligenda sit, scire desidero.* Postea sententiam de creatione animarum explicat et argumenta contraria diluere nititur, sed addit: *cum ad poenas ventum est parvulorum, magis, mihi crede, coarctor angustiis, nec quid respondeam prorsus invenio* etc. *Licet nemo faciat optando, ut verum sit, quod verum non est, tamen si fieri posset, optarem, ut haec sententia vera esset, sicut opto, ut si vera est, abs te liquidissime atque invictissime defendatur.* Epist. 157. ad Optat.: *Sinceritatem tuam scire volo, in tam multis opusculis meis nunquam me fuisse ausum de hac quaestione* (originem animae concernente) *definitam proferre sententiam, quarum autem rerum atque causarum consideratione permovear, ut in neutram assertionem meus inclinetur assensus, sed adhuc inter utramque disceptem, nimis longum est exprimere, et si origo animae lateat, dum tamen redemtio clareat, periculum non est.* Ibid. *Aliquid certum de animae origine nondum in Scripturis canonicis comperi.* Ibid. *Promtissime ac libentissime defensurus sum* (Hieronymi sententiam de animarum creatione), *si me docere potuerit, quomodo animae non ex Adamo veniant, et tamen ex illo justam sortem damnationis*

inveniant, nisi ad remissionem peccatorum nascendo perveniant etc. *Si potes animarum asserere sine ulla propagine novitatem, ut ratione justa atque a fide catholica non aliena, etiam sic peccato primi hominis ostendantur obnoxiae, assere quod sentis, ut potes; si autem non eas aliter potes a propagatione facere alienas, nisi ut simul facias ab omni peccati vinculo liberas, cohibe te ab hujusmodi disputatione omni modo* etc. *Si potes animas sic alienas a propagatione defendere, ut tamen hoc chirographo, quod sola Christi morte rumpendum est, rectissima ratione demonstrentur obstrictae, nec sua propagatione, sed carnis hoc debito juste appareant obligatae, non solum nemine prohibente defende, verum etiam id nobis, quomodo tecum defendere possimus, ostende. Si autem aliter non potes, quod de animarum novitate sentis asserere, nisi ut eas dicas peccato primo hominis non teneri, aut per propagationem non suam, sed carnis, auctore Deo, vel nescio qua mali natura innocentissimas fieri peccatrices, melius origo animae latet* etc. lib. 10. de Gen. ad lit. late de hac quaestione tractat, ac utriusque sententiae rationes expendit per aliquot capita, tandem concludit c. 23: *his quantum pro tempore potuimus pertractatis, omnia paria, vel paene paria ex utroque latere rationum testimoniorumque momenta pronuntiarem, nisi eorum sententia, qui animas ex parentibus creati putant de baptismo parvulorum, de quibus quid eis responderi possit, nondum mihi occurrit, si quid forte postea Deus dederit, si quam etiam scribendi concesserit facultatem, studiosis talium non gravabor, nunc tamen non esse contemnendum testimonium parvulorum, ut quasi refelli, si veritas contra est, negligatur, ante denuntio; aut enim hac de re nihil quaerendum est, ut sufficiat fidei nostrae scire nos, quo pie vivendo venturi sumus, et si nesciamus, unde venerimus, aut si non impudenter aestuat anima rationalis, etiam hoc nosse de se ipsa, absit pervicacia contendendi, absit diligentia requirendi, humilitas petendi, perseverantia pulsandi, ut si nobis hoc expedire novit, qui melius quam nos, quid nobis* IV. 286. *expediat, utique novit, det etiam hoc, qui novit dona bona dare filiis suis.* Scripsit etiam Augustinus quatuor libros de origine animae, quorum ἀφορμὴν et summam complectitur his verbis 2. retract. c. 56: *Quidam Vincentius Victor in Mauritiana Caesariensi invenit apud Hispanum quendam Presbyterum Petrum nonnullum opusculum meum, ubi quodam loco de origine animae hominum singulorum, utrum ex illa una prima hominis, ac deinde ex parentibus propagentur, an sicut illi uni sine ulla propagatione singulae singulis dentur, me nescire confessus sum: veruntamen scire animam non corpus esse, sed spiritum. Et contra ista mea ad eundem Petrum scripsit ille duos libros, quos mihi de Caesaria Renatus monachus misit; quibus ego lectis responsione mea quatuor libros reddidi; unum ad Renatum monachum, alterum ad presbyterum Petrum, et duos ad eundem Victorem. In iis autem omnibus, in quibus multa necessaria disseruntur, defendi de origine animarum, quae singulis hominibus dantur, cunctationem meam, et multos errores atque pravitates praesumtionis ejus ostendi, quem tamen juvenem non praepropere detestandum, sed adhuc docendum quanta potui lenitate tractavi, et ab eo rescripta correctionis ejus accepi.* Ex his omnibus apparet, 1. Augustinum noluisse in quaestione de origine vel creationis vel propagationis animarum assertoribus assensum suum praebere. 2. Interim statuisse, quod propagatio peccati originalis contra Pelagianos vix possit obtineri, negata animae propagatione. 3. Ac proinde graviter adversatum fuisse Vincentio, qui juvenili quadam audacia affirmabat, se certo demonstrare posse, quod animae de novo creentur.

Bella mini tentia origi anim rum.

127. Sequitur tandem sexta sententia de animarum creatione, quam Bellarm. dicit amplectendam esse, explosa Augustini modestia. Primo, *quia habeantur Leonis I. rescriptum, Leonis X. decretum, consensus Scholasticorum, et egregiae ipsorum rationes.* Respondemus: Haec omnia nondum possunt nobis articulum fidei condere, sicubi firmis Scripturae fundamentis destituimur: quid in rationibus illis virium ac roboris sit, philosophis expendendum relinquimus, *λόγοι καταπαλαίουσι τοὺς λόγους.* 2. Biel 2. sent. dist. 17. agnoscit rationes illas non *ἀναγκαίας*, sed tantum *πιθανάς* esse. Secundo, *quia sola traductio peccati originalis impediverit Augustinum, quo minus creationem animarum crederet; at nec animarum creatio impedit peccati traductionem, neque propagatio animarum ex anima Adae propagationem peccati juvat.* Respondemus: Certum est, hoc argumentum de propagatione peccati originalis Augustinum coëgisse, ut ad sententiam de creatione animarum, cui alias favebat, non accederet, sed assensum suum ei praebere cunctaretur; ergo si hoc praestare potest Bellarmin. ut ostendat, animarum creationem non impedire peccati traductionem, nec propagationem animarum juvare peccati traductionem, fatebimur magnum sententiae nostrae fundamentum esse subrutum. Quod animarum creatio non impediat peccati traductionem, id peculiari capite ostendit, quod paulo post excutiemus. Quod propagatio animarum peccati propagationem non juvet, inde probat, *quia Adamus quoad animam justificatus fuit a peccato, antequam filios generaret, saepe etiam parentes justi et peccato originali carentes liberos gignunt, non potest autem ex anima justi trahi anima injusti.* Respondemus: Ex falsa hypothesi hoc procedit, quasi in justificatione hominis peccatum ita remittatur, ut simul actu et reatu transeat, ac radicitus cum omnibus fibris e natura hominis evellatur, quod falsissimum esse, suo loco evidenter docebimus. Qui vero sunt illi parentes, quos peccato originali carere, tam audacter asserit Bellarminus? Scriptura manifeste docet, omnes Adae posteros nasci peccato originali obnoxios, ac malum hoc usque ad totalem corporis destructionem atque abolitionem ipsis adhaerere. Si ullus hominum

plane liber esse potuisset ab illo peccati originalis jugo, certe apostolo Paulo electo Dei organo id contigisset. At quam misere is quiritatur et ejulatur. Roman. 7, v. 14: *Ego sum carnalis venundatus sub peccatum.* v. 17: *Habitat in me peccatum.* v. 23: *Video aliam legem in membris meis repugnantem*
IV. 287. *legi mentis meae.* v. 24: *Miser ego homo, quis me liberabit a corpore mortis hujus?*

An propagatio peccati originalis cum creatione animarum possit conciliari?

128. Quomodo vero anima peccato originali obnoxia erit, si immediate a Deo creatur, non autem ex Adami anima propagatur? Bellarminus de gratia primi hominis c. 12. primum *sententiam eorum, qui statuunt, animam in corpore tanquam in vase vitiato corrumpi, repudiat*, (rectissime, nam 1. quia corpus non potest agere in Spiritum; 2. peccatum primo in anima residet, non in carne; 3. Deus foret injustus, qui puram animam impuro corpori immitteret) deinde *eorum etiam sententiam, qui existimant, carnem destitutam originali justitia ac rebellem rationi effectam animam deorsum trahere, eandemque hoc modo obliquam et distortam efficere, eorum, inquam, sententiam itidem refellit*, (rectissime, nam 1. anima utpote incorrupta et fortior resisteret; 2. sin vero assensum praeberet, non originale, sed actuale peccatum illud esset; 3. infantes ante usum rationis non haberent originale peccatum), tandem suam proponit sententiam hisce theorematis comprehensam: 1. *Quod ad traductionem peccati originalis nihil aliud requiratur, nisi ut homo per veram generationem ab Adamo descendat; hoc enim ipso quod aliquis in lumbis Adae fuit, cum is praeceptum transgrederetur, in illo ejus peccato communicavit, cum in illo omnes peccaverint.* 2. *Quod anima non polluatur cum creatur a Deo, sed cum per conjunctionem cum carne ex Adamo tracta, pars hominis efficitur.* 3. *Quod causa peccati originalis sit propagatio ex natura corrupta.* 4. *Quod sufficiat ad trahendum ex Adamo peccatum, animam esse partem hominis, qui vere trahitur ex Adamo, licet ipsa non propagetur ex anima Adami.* 5. *Quod vere et proprie homo generet, tametsi anima a Deo inspiretur, cum generatio non terminetur ad productionem formae vel materiae, sed compositi; quamvis igitur homo non propaget animam, tamen per generationem materiam ita disponit, ut infallibiliter anima consequatur, et sic animam cum carne conjungit.* 6. *Quod ipsae bestiarum animae non aliter fiunt ex propagine, quam quod parentes generando disponunt materiam usque ad animationem; ac proinde nullam esse causam, cur propter originale peccatum de animarum creatione dubitetur*, quin imo c. 11. col. 311. *statuit ipsum Augustinum, si inter homines viveret, audita hac explicatione gratias acturum creationis propugnatoribus.* Respond. Mirum vero, nec Augustinum tanto ingenii acumine praeditum hoc vidisse, neque ab Hieronymo vel Optato vel Vincentio hanc responsionem ipsi toties hoc requirenti datam esse! videbimus quid sit in ea roboris. 1. Quomodo dici potest per veram generationem ab Adamo descendere, qui partem tantum compositi, eandemque minus principalem, videlicet materiam, ab eo sortitur? corpus certe homo non est, sed tantum pars hominis; jam vero, ex sententia Bellarmini solum corpus, non autem anima posterorum ex Adamo trahitur, quomodo ergo per veram generationem posteri ab Adamo descendunt? uniuscujusque rei nomen primo ac proprie formae ipsi, secundario vero, et propter hanc toti, id est, substantiae ex materia formaque compositae tribuitur. 7. Metaph. c. 3. Proinde si anima creatur, caro tantum propagatur, rectius dicitur homo creatus quam generatus, quia a potiori fit denominatio. Id quod ab Adamo generatur, caret anima rationali, (ex hypothesi Bellarmini) jam vero, quod anima rationali caret, non est unum specie cum homine. Ergo proprie et exquisite loquendo non generatur ab Adamo homo. Quod fuit in lumbis Adae praeceptum Dei transgredientis, illud solum et omne est corruptum. Jam vero non tota natura humana, sed tantum pars ejus, videlicet caro, fuit in lumbis Adae, (ex hypothesi Bellarmini). Ergo non tota natura humana, sed tantum pars ejus, videlicet caro est corrupta. Si in Adamo omnes peccaverunt, quod apostolus asserit, utique etiam tota natura humana in Adamo fuit, et tota ex ipso trahitur. Augustin. 6. contra Julian. c. 12: *In uno homine omnes peccarunt originaliter, et tanquam in massae unione communiter.* 1. de peccat. merit. c. 9: *Ille, in quo omnes moriuntur, occulta tabe* IV. 288.
concupiscentiae suae tabificavit in se omnes de stirpe sua venientes. libr. 4. contra duas epistolas Pelagian. c. 4: *In illo primo peccarunt omnes, quia in eo fuerunt omnes, quando ille peccavit, unde peccatum nascendo trahitur. Nam et sic sanctus Hilarius intellexit, dicit enim manifestum in Adamo omnes peccasse quasi in massa.* Anselmus de conc. virg. c. 2. *tota natura humana in illis* (primis parentibus) *erat, et extra illos de illa nihil, ideo tota infirmata et corrupta est.* 2. Quod *anima polluatur, cum per conjunctionem cum carne fit pars hominis*, non ita nude asserendum erat Bellarmino, sed explicandum, quomodo corpus animam polluere possit, quomodo Dei justitia non labefactetur ex eo, quod animam puram in corpus impurum infundit, quomodo a carne in animam propagetur peccatum, cum tamen ipsemet c. praecedente col. 302. dixerit, *imaginem Dei proprie in anima residere*, cum Thomas recte statuat 1. 2. q. 83. art. 2. *animam esse primum subjectum peccati originalis;* haec omnia diserte et perspicue explicanda erant, quod cum non faciat Bellarminus, parum gratiae ab Augustino, si adhuc inter homines viveret, referrret: manet enim difficultas, unde anima justam sententiam damnationis ex Adamo inveniat, cum tamen ex Adamo non inveniat? Bellarminus respondet, *quia est pars hominis, qui ex Adamo venit*, atqui cur DEUS bonus et justus animam puram creando et inspirando facit partem hominis? quibus malis meritis anima hoc obtinuit? 3. Causam propagati peccati originalis esse propagationem ex natura corrupta rectis-

sime asseritur, sed quod additur: 4. Sufficere ad trahendum ex Adamo peccatum, quod anima sit pars hominis, qui ex Adamo trahitur, nunquam probari poterit, quia semper manet vivida atque vegeta illa difficultas, quare Deus animam puram cum impuro corpore conjungat, ac partem hominis faciat, quomodo anima in illa sui cum corpore conjunctione polluatur, et quomodo corpus hominis, quod materiae vicem obtinet, partem hominis alteram, videlicet animam, quae formae eminentia fungitur, in suae corruptionis consortium trahat? 5. quod homo nihilominus vere et proprie generet, si vel maxime anima creatur, difficulter nobis persuaderi potest; generatio est speciei propagatio, hoc est, alterius secundum speciem sibi similis productio; jam vero corpus inanime et homo animatus specie differunt. Ergo si corpus inanime tantum ex parentibus trahitur, non est vera et proprie dicta hominis ex homine productio. *At*, inquis, *homo per generationem materiam ita disponit, ut infallibiliter anima consequatur, proinde ipse est, qui animam cum carne conjungit.* Respondemus: praeparatio materiae ad formae introductionem nondum est vera regeneratio, sed formae ex materia ad ultimum praeparationis gradum productae emersio; quodsi DEUS creando inspirat animam, utique non homo animam cum carne conjungit, posita sufficienti materiae praeparatione posset DEUS non infundere animam, cum nihil contradictionis hoc involvat, utique ergo materiae praeparatio non est adaequata causa istius conjunctionis, sed peculiaris illa Dei actio, videlicet creatio. 6. Quod bestiae nullo alio modo generent, quam quod materiam usque ad animationem disponant, gratis dicitur, quia quamvis quotidiano loquendi usu, voce generationis praeviae alterationes simul involvantur, tamen praecise accipitur pro ipsius compositi productione, quae consistit in ipsa substantialis formae ex potentia materiae emersione et in indivisibili semper perficitur; unde Conimbricenses 1. de generat. et corrupt. c. 4. quaest. 12. art. 2. concludunt, generationem esse actionem momentaneam, cum formae introductio sit momentanea; unde etiam quaest. 13. art. 2. contra Thomam, Scotum, Richardum, Abulensem, Capreolum etc. statuunt ad salvandum Aristotelis pronuntiatum, quod homo hominem generet, non sufficere, quod satis praeparetur ab eo materia, in quam, ubi perfecte disposita est, DEUS animam infundat ac corpori uniat: *sed dari in generatione humana ex parte hominis generantis actionem terminatam intrinsece ad animam rationalem, non secundum se, ut absolute accipit esse, sive ut est creabilis, sed quatenus accipit esse in materia et cum ea copulatur, sive prout est corpori unibilis.* Proferunt
IV. 289. autem hoc argumentum. *Cum generatio consistat in actione, qua forma materiae copulatur, cumque anima rationis particeps sit formalis terminus, a quo humana generatio speciem sortitur, non videtur, quomodo talis generatio constare queat, nisi detur actio, quae circa animam versetur, eamque uti proprium terminum intrinsece attingat et materiae uniat; si solus DEUS animam creat atque corpori unit, sequetur alterutrum horum, vel quod homo haud proprie dicitur hominem gignere, vel quod humana generatio cum aliorum viventium generatione non conveniat univoce. Deinde si dispositiones ut generantis instrumenta ipsam actionem generandi non edunt, sed inserviunt duntaxat ad reddendam materiam suscipiendae formae idoneam, profecto ut tales dispositiones non concurrunt active, sed habent se ex parte materiae; ita nec generans dicetur per eas active concurrere, proindeque nec merito illarum dicendus erit homo generare, cum generare sit agere.* Haec Conimbricenses, cum quibus transigat Bellarminus, qui statuit, dispositionem materiae usque ad animationem esse formale generationis.

CAPUT IX.

DE AMISSIONE IMAGINIS DIVINAE PER LAPSUM PROTOPLASTON.

129. Atque haec dicta sint de imagine Dei, ad quam primus homo conditus est, restat excutienda quaestio, *an imago DEI in homine per lapsum sit amissa?* Respondemus: 1. Si divina imago sumatur pro ipsa essentia animae, pro intellectu, voluntate, et reliquis viribus, dicendum non est, eam per lapsum periisse, siquidem quoad essentiam eadem mansit anima Adae post lapsum, quae fuit ante lapsum. 2. Si imago DEI accipitur pro generali quadam congruentia et ἀναλογίᾳ, qua anima hominis quaedam τὰ θεῖα exprimit, ut quod umbram ostendit s. trinitatis, quod incorporea est, spiritualis, intelligens et liberae voluntatis in rebus suae potestati subjectis, itidem dicendum non est, eam per lapsum periisse, siquidem haec omnia animadvertuntur in anima hominis post lapsum. 3. Si accipitur imago Dei pro dominio in creaturas reliquas, praesertim animantia, in quo δευτέρως imago Dei consistit, itidem dicendum non est, hoc sensu et respectu imaginem Dei penitus periisse, etsi enim illa imperii dignitas multis modis diminuta et labefactata est, tamen aliqua adhuc ejus supersunt vestigia. 4. Si imago divina accipitur pro principiis nobiscum natis, quae sunt tenues quaedam reliquiae imaginis divinae in mente et voluntate hominis, et velut rudera pulcherrimi aedificii, fatemur itidem imaginem Dei non esse respectu harum tenuissimarum particularum penitus amissam, cum adhuc opus legis scriptum in cordibus etiam non renatorum. 5. Sed si juxta Scripturae explicationem et determinationem imago Dei accipiatur pro justitia et sanctitate illa vera, ad quam homo conditus, pro concreata illa omnium virium integritate et rectitudine, quae in homine ante lapsum

Imago Dei per lapsum in homine amissa.

fuit, dicendum erit utique, imaginem divinam esse per lapsum amissam.

130. Cui sententiae toties Spiritus sanctus testimonium fert, quoties de peccato originali per lapsum Adae in genus humanum introducto loquitur; illud enim definitur carentia justitiae originalis, et totius naturae humanae corruptione, quae in locum istius primaevae integritatis successit. *Eramus antea lux in Domino, nunc sumus tenebrae;* Ephes. 5, v. 8. antea voluntas nostra conformis legi, nunc autem *φρόνημα σαρκὸς est inimicitia adversus DEUM*, Rom. 8, v. 7; erat in membris nostris prius obedientia erga spiritum mentis et legem DEI, nunc videmus *aliam legem in membris nostris repugnantem legi mentis et captivos nos ducentem*, Rom. 7, v. 23; eramus antea dilecti DEI filii, *nunc sumus natura filii irae*, Ephes. 2, v. 3; eramus antea vitae
IV. 290. spiritualis, quae ex DEO est, participes, nunc autem *mortui sumus in peccatis*, Ephes. 2, v. 1. Coloss. 2, v. 3. etc. Proinde negare, quod amissa sit imago Dei, est ipsum peccatum originale negare.

131. Ulterius: ad quod per Spiritum s. ita renovandi sumus, ut ex nova quadam creatione illud in nobis restituatur, id utique amissum. Jam vero ad imaginem DEI per Spiritum s. ita renovandi sumus, ut ex nova quadam creatione illa in nobis restituatur. Utique ergo imago Dei est amissa. Minorem confirmant dicta apostolica 2. Cor. 3, v. 18. Eph. 4, v. 23. Coloss. 3, v. 10: in quibus observandae hae emphases: 1. Restaurationem illam imaginis DEI esse *μεταμόρφωσιν*, esse renovationem Spiritus, esse induitionem novi hominis. 2. Eam fieri a Spiritu Dei, ab illo ipso, qui olim primum hominem ad hanc imaginem suam creavit, c. 3. Imaginem DEI consistere in justitia et sanctitate vera, in vera DEI agnitione, quorum nihil vel in viribus hominis adhuc reliquum, vel a viribus humanis exspectari potest.

132. Ac ne ulla restet dubitatio, conferre debemus primum hominem, qualis describitur ante lapsum, et qualis nobis proponitur post lapsum; itemque qualiter describantur posteri Adae; ubi manifeste apparebit, hominem ex justo et sancto impium et injustum, ex divite pauperrimum, ex sano aegrum, ex vivente mortuum, ex libero captivum, ex filio Dei hostem, ex haerede vitae aeternae reum damnationis factum esse, atque exutum DEI imagine pulcherrima tetram diaboli larvam induisse, unde diserte pronuntiat apostolus 1. Cor. 15, v. 49, *nos non amplius gestare imaginem DEI coelestis Adami, sed imaginem terrestris Adae*, aversos a Deo, destitutos concreata innocentia et justitia, obnoxos calamitatibus, morbis, morti et damnationi.

133. Quo sensu et respectu veteres quandoque diserte pronuntiant, imaginem DEI in nobis periisse Irenaeus lib. 3. c. 20: *Filius Dei incarnatus et homo factus longam hominum expositionem in se ipso recapitulavit, in compendio nobis salutem praestans, ut quod perdideramus in Adam, id est, secundum imaginem et similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus.* Origen. hom. 1. in Genes.: *Homo maligni imaginem adducit per peccatum, ideo Christus venit in similitudine hominum factus, ut nos ad ejus imaginem reformemur.* Basilius in Psal. 48: *Homo postquam supercoelestis opificis imaginem amisit, terreni similitudinem assumsit.* Ambr. lib. 6. hexaëm. c. 7: *Illa bene picta est, quae habet in se virtutum gratiam renitentem, splendoremque pietatis,* etc. *secundum hanc imaginem Adam ante peccatum, sed ubi lapsus est, deposuit imaginem coelestis, sumsit terrestris effigiem.* Augustin. 14. de trin. c. 16: *Quia commemoratione convertuntur ad Dominum ab ea deformitate, quae per cupiditates seculares confirmabatur huic seculo, reformantur ex illo; audientes apostolum dicentem: nolite conformari huic seculo, sed reformamini novitate mentis vestrae, ut incipiat illa imago ab eo reformari, a quo formata est; non autem reformare se ipsam potest, sicut potuit deformari* etc. *peccando homo justitiam et sanctitatem veritatis amisit, propter quod haec imago deformis et decolor facta est, hanc requirit, cum reformatur et renovatur.* Idem de Gen. ad lit. lib. 6. c. 27: *In hoc renovamur secundum id quod amisit Adam, id est, secundum spiritum mentis nostrae* etc. *Dicit apostolus: exspoliantes veterem hominem cum actibus suis, induite novum hominem, qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eum. Hanc imaginem in spiritu mentis impressam perdidit Adam per peccatum, quam recipimus per gratiam justitiae.* Beda lib. 3. in Job.: *Signaculum imaginis Dei, quod per peccatum Adae attritum fuerat et obliteratum, rursus per Christum iterata impressione restituitur.* Bernh. tract. de grat. et lib. arbit. c. 1061: *Sufficiat in hoc corpore mortis atque in hoc seculo nequam ex libertate consilii peccato non obedire ex concupiscentia* etc. *Sic profecto Dei in nobis reparamus imaginem, sic antiquo honori illi capessendo, quem per peccatum amisimus, per gratiam praeparamur.* Damascen. 4. orthod. fid. c. 4: *per transgressionem praecepti divinae imaginis characteres obliteravimus, et nunc in malitia con-* IV. 291.
stituti divina communione juste sumus privati.

134. Quotiescunque autem veteres imaginem Dei in homine adhuc superstitem esse dicunt, intelligendum id de aliquo quatuor istorum modorum, quos paulo superius enumeravimus, non autem de quinto et ultimo, in quo vere ac proprie imago Dei consistit; cujus loci est observatio illa, quod plerique ex veteribus imaginem et similitudinem sic distinguunt, ut imaginem referant ad essentiales animae potentias, mentem, voluntatem, memoriam, etc. similitudinem ad qualitates animae, justitiam scilicet ac sanctitatem, quid ergo mirum, si juxta istam hypothesin postea dicant, imaginem Dei in homine adhuc esse reliquam? imo quid mirum, quod Bellarminus 4. de eccl. c. 9. haereseos dicam illis scribat, qui imaginem Dei in spiritualibus amissam dicunt, cum sententiam illam veterum de discrimine imaginis et similitudinis amplectatur? Recentiores Photiniani itidem disputant, imaginem Dei in homine neutiquam

amissam esse, Catech. Racov. p. 22; nimirum, quia ex falsa hypothesi statuunt, imaginem Dei nihil aliud fuisse quam dominium in creaturas reliquas, p. 23.

Dicta adversariorum.

135. Agnoscunt quidam ex ipsis adversariis, Origeni imaginem Dei in homine periisse asserenti, et nobis sententiam ejus, imo Scripturae amplexantibus non posse haereseos notam inuri, si de concreata rectitudine atque omnium virum integritate imago Dei accipiatur. Alphons. de Castro lib. 2. adv. haeres. tit. Adam.: *Origenes per imaginem intelligebat vel naturam seu substantiam rationalem, vel significabat similitudinem seu animi qualitatem. Quod si Origenes secundum hunc modum usurpaverit, quis non videt ibi nullam esse haereseos suspicionem?* Maldonatus in comment. Luc. 15: *Solent plerique per substantiam, quam prodigus dicitur perdidisse, liberum arbitrium ceterasque naturales facultates interpretari; sic Augustinus, Beda, Euthymius, Bernhardus, quae tamen sano ab iis sensu dicta sunt; alii per eam substantiam perditam imaginem et similitudinem significari putant;* Ambrosius, *omnia*, inquit, *naturae ornamenta consumsit* etc. Vasquez in 1. 2. Thomae tom. 1. disput. 137. num. 14: *Respondeo, imaginem Dei aliam esse naturaliter impressam in intellectu, nempe memoriam et voluntatem et hujus nihil minui intrinsece, sed tantum extrinsece, et ideo nunquam deleri, quantumvis extrinsece minuantur; aliam vero esse imaginem DEI homini per gratiam et caritatem impressam, his enim qualitatibus Deo similes efficimur, et haec omnino amittitur per peccatum*, et de hac intelligendi sunt Origenes et Augustinus. Quibus adde Pererium, qui inter imaginem et similitudinem non agnoscit tale discrimen, quale Bellarminus constituit.

Argumenta eorum, qui statuunt imaginem Dei adhuc in homine esse integram.

136. Monstrabimus breviter, quid respondendum sit ad argumenta eorum, qui imaginem Dei adhuc in homine post lapsum integram esse pugnant. *1. Omnia in mundo obtemperant homini. Ergo homines adhuc gerunt Dei imaginem.* Respondemus: Dominium illud non est principalis pars divinae imaginis, quod ipsum tamen dominium valde ac valide est diminutum. 2. Gen. 5, v. 1: *Adam genuit filium ad imaginem suam. Ergo imago DEI in ipso mansit.* Respondemus per inversionem, quia Adam non ad primaevam illam Dei, sed notanter ad suam peccato corruptam imaginem dicitur filios genuisse, utique ergo imago Dei in ipso perierat. Hugo super h. l.: *Sicut Adam factus fuit a DEO innocente et immortali innocens ac immortalis, id est, qui non posset mori, ita ipse factus peccator et mortalis genuit peccatorem et mortalem.* Quae sententia congruit cum illis dictis: *Qui dabit mundum de immundo conceptum semine? Ecce in iniquitatibus conceptus sum? Quod natum est de carne, caro est; sumus natura filii irae?* etc. 3. Gen. 9, v. 6: *ideo prohibetur hominis sanguis effundi, quia ad imaginem suam Deus hominem fecit; utique ergo adhuc in homine DEI imago perseverat.* Respondemus: ratio legi addita tam ad interfectorem quam interfectum referri potest. Quamvis enim imago Dei quoad perfectam justitiam, sanctitatem et reliquas spirituales dotes in homine perierit; tamen reliquae adhuc sunt in mente hominis notitiae practicae, honestorum ac turpium διακριτικαί, quae interfectorem a caede revocare debebant; atque hoc dictamen conscientiae est particula quaedam imaginis divinae, quam in nobis ipsis revereri debemus. Interfectum quod attinet, is ad imaginem Dei in Adamo conditus, atque ad eandem per Christum reparatus; proinde in his ac similibus dictis Scriptura respicit tum ad primam hominis creationem, quippe in Adamo omnes sunt conditi ad imaginem Dei; tum ad reliquias imaginis divinae, quippe in mente hominum etiam non renatorum reliqua est particula istius primaevae pulchritudinis: tum denique ad officium et beneficia Christi; is enim venit in mundum, ut destrueret opera diaboli ac per παλιγγενεσίαν atque ἀνακαίνωσιν imaginem Dei in nobis repararet. 4. Ps. 39, v. 7: *In imagine ambulat homo.* Respondemus: צֶלֶם hoc loco significat umbram, sensus est quod homo velut in umbra atque tenebris ambulet, ignorans diem mortis, ideoque stolide agat perituras opes tam anxie congerendo, quam explicationem contextus evidenter probat. Textui igitur non satis congruit, quod Augustinus et Cassiodorus de imagine DEI hoc loco disserunt. 5. Sap. 2, v. 23: *Creavit DEUS hominem in incorruptibilitate, et ad imaginem propriae similitudinis fecit illum.* Respondemus: loquitur sapiens de homine, qualis a Deo primum conditus, non autem qualis post lapsum in mundum nascitur, sequitur enim adversativa v. 24. *Invidia diaboli mors introivit in mundum;* perinde ut ἀφθαρσίαν, ita quoque εἰκόνα τοῦ θεοῦ amisit homo. 6. 1. Cor. 11, v. 7: *vir est imago et gloria DEI.* Respondemus: agitur non de principali membro imaginis divinae, quod utrique sexui commune fuit, sed de externo quodam ornamento ac minus principali parte imaginis divinae, videlicet de imperii dignitate, cujus reliquiae adhuc supersunt. 7. Jacob. 3, v. 9. *lingua benedicimus hominibus, qui ad similitudinem DEI facti.* Respondemus: creati sunt omnes in Adamo ad Dei imaginem, supersunt in omnibus reliquiae istius divinae imaginis, et Christus venit in mundum, ut beneficio spiritualis regenerationis omnes ad imaginem DEI renovaret. Quid? quod hoc loco usurpatur vox ὁμοιώσεως (similitudinis), cum tamen inter imaginem et similitudinem DEI tale discrimen constituatur, ut haec amissa, illa vero superstes mansisse a Bellarmino asseratur.

Quae aliquae imag. divi. reliq. in ho. supe. tes 1 esse lueri

137. Constat igitur satis perspicue ex Scripturae et experientiae testimonio, imaginem divinam ita in posteris Adae periisse, ut vix tenues quaedam reliquiae, eaeque ipsae per peccatum obscuratae et labefactatae sint superstites, quas ideo Deus in nobis voluit esse reliquas, 1. ut essent testimonia de naturae nostrae, qualis a Deo condita olim fuit, praestantia, velut rudera ac ἐρείπια de aedificii dignitate testantur. 2. Ut ex illis misericordiam Dei erga

nos indignissimos peccatores discamus, atque in tabulis cordis nostri, vivis reliquiarum istarum literis Dei bonitatem expressam legamus. 3. Ut notitiae illae adhuc reliquae sint rectrices externae disciplinae, qua velut paedagogia quadam Deus utitur ad instaurationem imaginis suae partam nobis per Christum. 4. *Ut improbi redderentur ἀναπολόγητοι, dum veritatem in injustitia detinent.* Rom. 1, v. 18. *eamque in mendacium commutant.* v. 25.

CAPUT X.

DE USU HUJUS LOCI ET IMAGINIS DIVINAE DEFINITIONE.

138. Usus doctrinae de imagine Dei constitui potest triplex, siquidem deducit nos 1. ad agnitionem bonitatis divinae, cui soli acceptum referendum, quod genus humanum in Adamo ad imaginem DEI conditum est, quodque amissum hoc bonum Christus in nobis reparare incipit, in aeterna vita opus illud consummaturus; 2. ad agnitionem miseriae nostrae, cum ex tanto dignitatis gradu velut e coelo delapsi, ex illis parentibus nascamur, qui prius nos faciunt damnatos, quam natos. Bernh. in meditat. c. 2. col. 1190. Refert Esdras seniores illos, qui prioris templi a Salomone exstructi pulchritudinem viderant, aspectu posterioris templi, quod Zorobabel post captivitatem Babylonicam reparaverat, ad lacrymas provocatos fuisse; quanto justiorem doloris et lacrymarum causam habemus, si quando in memoriam nobis revocamus, primum hominem ad imaginem Dei conditum fuisse sanctissimae trinitatis habitaculum atque templum pulcherrimum, sed ab infernalibus Chaldaeis horribiliter id devastatum, et dona illa concreata ex eo abrepta esse; 3. ad fulcimentum spei nostrae. Dies extremi judicii erit olim tempus ἀποκαταστάσεως πάντων, Actor. 3, v. 20. Ut prius templum Hierosolymitanum non mansit perpetuo devastatum, sed iterum reaedificatum atque exstructum est, quin et Christi adventu gloriosius priore factum; sic Christi gratia et Spiritus sancti efficacia imago illa Dei, ad quam in hac vita reformari incipimus, multo lucidius et gloriosius aliquando in nobis fulgebit quam in Adamo olim fulsit, ille poterat non mori, nos non poterimus mori.

139. Ex superioribus omnibus talis constitui potest imaginis DEI descriptio. Imago DEI in primo homine fuit naturalis et summa perfectio totius hominis omniumque animae et corporis virium rectitudo, integritas et cum DEO archetypo conformitas, sine omni lucta carnis et Spiritus, videlicet in mente sapientia et lux divinae agnitionis, in voluntate justitia et sanctitas legi DEI perfecte conformis, adeoque omnium superiorum et inferiorum facultatum et membrorum sine ulla rebellione consensio et harmonia cum voluntate DEI congruens et immortalitas ac dominium in omnia animalia et creaturas reliquas, quae omnia, si homo in concreata integritate perstitisset, in posteros fuissent propagata. **Definitio imaginis divinae.**

140. Haec de imagine DEI in primo homine dicta sunto, de qua ita disserimus, quemadmodum illi, qui in obscuro carcere detenti lucis praestantiam inquirunt. Quid de illa imagine in posteris primorum parentum supersit, suo loco excutietur. Deo Patri, qui nos in Adamo ad sui imaginem condidit, et Filio, qui est substantialis imago Dei et instaurationem imaginis Dei nobis promeruit, et Spiritui sancto, per quem imago illa in nobis vicissim instauratur, sit laus et gloria in seculum.

LOCUS NONUS

DE PECCATO ORIGINALI,

HOC EST, DE LAPSU PRIMORUM PARENTUM ET ILLUM SECUTA NATURAE CORRUPTIONE IN POSTEROS PROPAGATA.

PROOEMIUM.

Connexio cum praecedentibus. Primaevam hominum in paradiso felicitatem et conditionem eorum beatissimam contemplati sumus hactenus, et quantis a Deo creatore donis ac bonis cumulati fuerint affatim, cum admiratione vidimus. Sed hanc ipsorum felicitatem non fuisse perpetuam, nec dona illa haereditario jure ad posteros pervenisse, sacrae testantur literae, et illis ὁμόψηφος experientia, quae morti et mortis anteambulonibus morbis variisque malis nos subjectos esse comprobat.

IV. 294. Felicitas hominis primaeva. 2. Clausula hexaëmeri pulcherrima est. *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et ecce erant omnia valde bona*, Gen. 1, v. 31. *Jubilabant Deo filii ejus, et laudabant eum astra matutina*, Job. 38, v. 7; creaturae omnes stabant in ordine suo et veluti exsertis linguis bonitatem, sapientiam ac potentiam conditoris sui praedicabant; homo ex earum et sui inspectione Deum creatorem cognoscebat, fulgebat in mente ejus clara lux divinae notitiae, voluntas perfecta a Dei dilectione instructa erat, nullus in animae potentiis vel corporis membris vitiosus motus aut a lege aberratio; familiariter homo cum Deo colloquebatur; et in ipso laetabatur, vivebat in summa mentis quiete et abundantissima rerum omnium affluentia.

Qua misere excidit. 3. Merito ergo quispiam terram maledictam et hominem sub peccatum venundatum ac omnis generis miseriis subjectum intuitus, exclamaret cum servis patrisfamilias Matth. 13, v. 27: *Domine, nonne bonum semen sparsisti in agrum tuum, unde ergo zizania?* sed quod paterfamilias ibidem servis respondet v. 28. *Inimicus hoc fecit*, idem responsi a Moyse primaevi status scriptore datur, Gen. 3, cujus summa est, quod diabolus seducens, et homo a Deo deficiens peccatum et omnia mala in mundum introduxerint.

CAPUT I.

DE CAUSA LAPSUS ADAMI.

4. Plantaverat Deus in paradiso inter arbores reliquas arborem scientiae boni et mali, et mandatum homini dederat de non comedendo istius arboris fructu, addita comminatione, si praecepti hujus immemor prohibitum fructum comederet, morte ipsum moriturum, id est, certissime ipsi temporalem et aeternam mortem paratam fore. **Ἀφορ lapsus**

5. Nimirum hac νομοθεσίᾳ Deus voluit declarare: 1. se esse hominis creatorem et dominum, cui servire et obedire homo, tanquam servus et creatura teneatur; 2. atque hominem perfectis rationis viribus ac totius naturae integritate, liberi insuper arbitrii facultate instructum esse, ut Deo servire posset; 3. quin imo proposuit ipsi in hoc praecepto γυμνάσιον quoddam obedientiae, quae Deo gratissima et homini utilissima fuisset. Si enim homo perstitisset in sancta erga hoc praeceptum obedientia, statuto tempore absque mortis aut doloris interventu ex terreno paradiso in coelestem fuisset translatus et in bono confirmatus. **Lex p maevi cur h mini data.**

6. Id quod sibi responsum statuant, qui disputant, quare Deus dederit homini tale praeceptum, a quo ipsum deviaturum praeviderit? Imo vero, ut illud observaret, praeceperat; ut observare posset, perfectis viribus eum instruxerat; ne observare detrectaret, mortis comminationem addiderat. *Quid ultra debuit Deus facere vineae suae, quod non fecerit?* Esa. 5, v. 4.

7. Postquam autem Satanas a Deo creatore suo deflexerat, odio Dei et hominum invidia incitatus cogitavit hominem ad transgressionem hujus praecepti solicitare, atque hoc modo ex felicissimo inte- **Diabo lus fu causa pulsiv lapsus**

gritatis statu ipsum deturbare. Proinde serpentem animal prae caeteris עָרוּם, astutum atque callidum, homini insuper familiare, *Dei permissione ingreditur*, *suo instinctu eum implet*, (Quae sunt verba Augustini 11. de Gen. ad lit. c. 2.) *ut speciose hoc velamine suum regere posset de homine seducendo propositum*, *ὄργανον ἦν ὁ ὄφις τοῦ τῆς ἀληθείας ἐχθροῦ*. Theod. quaest. 32. in Gen. *οὐκ ἦν αἴτιος μόνος ὁ φαινόμενος τότε ὄφις, ἀλλὰ ὁ ἐν τῷ ὄφει ὄφις λαλήσας, φημὶ δὲ διάβολος*, etc. Epiphan. 1. tomo 3. haeres. 37.

IV. 295. **Qualis serpens intelligendus, Gen. 3.**

8. Josephus 1. antiquit. Jud. c. 3. Literae nimium inhaerens, *nihil aliud quam naturalem serpentem hoc loco cogitat, cui poenae loco vocem ademtam ac venenum ei additum esse scribit*. Philo in libro *περὶ κοσμοποιίας*, itemque in libro *ἀλληγορ.* ab historia penitus recedens in allegoriam totum hunc locum convertit; *sunt haec*, inquit, *figurata documenta ad allegoriae scrutationem invitantia per latentes conjecturas*, *quas si quis sequatur, ut decet*, *serpentem haud absurde voluptatem subindicare interpretabitur*. Philonem sequitur Origenes, *qui per virum rationem*, *per mulierem vero appetitum sensitivum intelligit* hom., 3. in Exod. Jul. teste Cyrill. lib. 3. in Julian. *Moysis narrationem fabulosam esse contendebat*, *propterea quod serpenti humana vox tribuatur*. Nos nec nudum nec mere allegoricum, sed IV. 296. diabolo obsessum ac stipatum serpentem hic describi statuimus; talia enim ei tribuuntur, quae nudo ac ratione destituto serpenti minime conveniunt. 1. Serpens IV. 297. hic articulato sermone utitur, jam vero *λόγος προφορικὸς τοῦ ἐνδιαθέτου λόγου* index est; ecquis autem rationem, ejusque *πρόβλημα* orationem bestiis adscribere velit? ridiculum est, quod Parva Genesis IV. 298. et Josephus opinantur, animalia olim loquendi facultate fuisse praedita. 2. Serpens naturalis erat bona DEI creatura, ad quam itidem pertinebat elogium Genes. 1, v. 31; atqui hic loquitur serpens, IV. 299. mandatum DEI pervertit, atque ab eo hominem seducit. 3. Poena serpenti huic inflicta *κατὰ μέρος* quidem naturali serpenti competit, non autem ex toto, siquidem mulieris semen non naturalis, sed infernalis serpentis caput conculcavit, atque inimicitiae illae inter serpentem et mulieris semen non naturali, sed infernali serpenti tribuendae. (Inscite Bellarminus 3. de grat. primi hom. c. 3. et Calvin. in comm. 3. Genes. uti etiam Johan. Sommerus Photinianus contra Carolium lib. 2. c. 3. secuti Rabbinos statuunt, *inimicitiam illam intelligendam de naturali illo inter filios Hevae et serpentis dissidio*. Atqui Deus dicit, se velle ponere vel constituere illud odium; jam vero naturale odium jam tum indixerat publica illa serpentis naturalis proscriptione. Praeterea semen illud mulieris solus est Christus, teste Spiritu sancto in aliis Scripturae locis, ac proinde ad filios Hevae id non est extendendum, nisi quatenus virtute Christi contra infernalem serpentem ejusque organa pugnant et vincunt. Quid quod stante Judaica illa textus perversione locum non habebit evangelica promissio primis parentibus post lapsum data? Denique quale sit hoc certamen, diserte exponitur Ps. 91, v. 13. Matth. 4, v. 3. et seqq. 2. Joh. 3, v. 8. Apoc. 12, v. 17.

9. Quin imo Spiritus sanctus alibi diserte mentem suam (quis qualisve serpens hic intelligendus sit) exposuit. Quotiescunque enim prophetae ac apostoli *ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι*, de peccati et mortis origine loquuntur, non nudo serpenti, sed Satanae eam adscribunt. Sap. 2, v. 23: *Invidia diaboli mors intravit in mundum*. Joh. 8, v. 44: *diabolus est ἀνθρωποκτόνος ἀπ' ἀρχῆς, cum loquitur mendacium*, IV. 300. *ex propriis loquitur*, *quia mendax est et mendacii pater;* hic ergo est ille serpens, qui mendacibus suis promissis hominem decepit et morti obnoxium reddidit. 2. Cor. 11, v. 3: *metuo*, *ne*, *sicut serpens Evam seduxit astutia sua*, *ita quoque corrumpantur cogitationes vestrae a simplicitate*, *quae est in Christum*, (nimirum per pseudoapostolos Satanae ministros. v. 14.) inde est, quod diabolus serpentis naturalis ministerio ad hominem seducendum olim abusus, vocatur *antiquus serpens*, *tortuosus serpens*, *draco magnus* etc. Esa 27, v. 1. Luc. 10, v. 19. Apoc. 12, v. 7. et 9. c. 20, v. 2. peccatum dicitur *venenum aspidum*, Psalm. 140, v. 4. homines, qui peccatis sese manciparunt Satanae, dicuntur *serpentes et progenies viperarum*, Matth. 3, v. 7. c. 23, v. 33. Satanas igitur est serpens ille, qui olim Evam seduxit, non immediate per se ipsum cum ea collocutus, sed specioso naturalis serpentis schemate indutus ac personatus. Idem est, qui haereticos quosdam in horribilem istum furorem seduxit, ut statuerent, colubrum illum fuisse Christum, ac vivo cuidam serpenti panem eucharisticum prius lambendum exhiberent, ex quo Ophitarum nomen consecuti sunt. Vide de his Iren. li. 1. adv. haeres. c. 34. Tertull. de praescript. adv. haer. c. 47. Epiphanium lib. 1. tom. 3. haeresi 27. Hieronym. Dial. advers. Lucifer. et August. de haeresibus c. 17. Quae omnia evidenter probant non fuisse nudum serpentem, qui cum Eva olim collocutus; sed nec meras allegorias hic somniandas esse, litera textus evidenter comprobat; relinquitur igitur, quod diabolus infernalis ille serpens per naturalem illum serpentem primos homines deceperit.

10. Suum hoc de homine seducendo institutum IV. 301. optatis, prohdolor, successibus personatus ille serpens perfecit. Evam primo aggreditur, quae sapientiae et cognitionis dotibus non erat omnimode viro aequalis, ejusque animum per insidiosam interrogationem solicitat ad dubitationem de verbo Dei Genes. 3, v. 1. אַף־כִּי: *Nunquid praecepit DEUS*, *ne comederetis ex omni arbore horti? Et dum hac ratione exterius per visibilem serpentem ficta voce Evam de mandati divini sensu et certitudine interrogat*, *intus animum ipsius venenatis spiculis vulnerat*, *et de comminationis additae rigore dubitationem ejus animo inspirat*. Lomb. 2. sent. dist. 21. lit. C.

Ordo ac modus seductionis.

11. Plurima omnino insidiosissima in his Satanae verbis continentur. Hoc enim quaerit, ut Evae verbum eripiat, ipsam invadit Dei voluntatem et vult

Evae persuadere, ut seposito verbo incipiat de Dei voluntate aliter cogitare; novit enim amisso verbo et fiducia in Deum omnia simul amitti. Non autem statim aperte negat Dei verbum, ne in vestibulo inveniatur mendax, sed per interrogationem solicitat ad dubitationem; sensus enim verborum hic est: Cum Deus bonus sit, utique etiam bonum suum prompte communicat; jam vero fructus hujus arboris bonus est, proinde non potest esse verbum Dei, vel non potest esse vera sententia praecepti, quod fructus hujus arboris non sit contrectandus. Latent etiam insidiae in particula universali; vult enim dicere: cum reliquae arbores omnes ad esum permissae, num haec una prohibita? cum dominium in omnes bestias Dei benignitate vobis concessum sit, an non simul traditae omnes arbores?

12. Mulier hoc modo a Satana tentata videtur quidem in primo conflictu se satis constantem praebere, sed in fine labascit. *De fructu* [inquit] *arboris horti comedimus, sed de fructu arboris, quae est in medio paradisi, dixit Deus: Non comedatis ex eo, neque accedatis ad eum, ne forte moriamini.* De suo addit illud *forte*, quasi morituros, si comedissent, incertum foret; cum tamen aperte et diserte Deus voluntatem suam expresserat. Addit etiam de suo illud, quod ne tangenda quidem fuerit illa arbor, quod Lyra existimat ideo factum, quasi divini praecepti iniquitatem mulier denotare voluerit.

13. Diabolus igitur audacior factus Evae dubitationem convertit in negationem et prorsus verbum Dei negat v. 4. atque ad superbiam mulierem solicitat v. 5: *Nequaquam morte moriemini, sed scit Deus, quod, quacunque die ex arbore comederitis, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum.* Ita ergo eadem opera legem divinam accusat iniquitatis, Deum arguit malevolentiae, mendaciter verbum Dei negat, simulat se hominibus bene cupere, et falsa divinae eminentiae ac sapientiae pollicitatione eos ad peccatum invitat. Hinc occupat Evam prava cupiditas, cujus dictamen sequitur, de fructu arboris comedit et in peccati societatem etiam Adamum pertrahit v. 6.

Deus non impulit hominem ad lapsum nec eum voluit.

14. Tumultuatur hic humana curiositas, et quibuscunque potest modis in societatem hujus lapsus Deum bonum et nullius nisi boni auctorem pertrahere conatur. Vindicandus igitur Dei honor ab obtrectatorum linguis. 1. Creavit Deus hominem ad sui imaginem, in justitia et sanctitate vera, atque *εἰς ἀθανασίαν;* qualem vero hominem condidit, talem esse perpetuo voluit; ergo efficaci decreto et abscondita voluntate non impulit eum ad lapsum, haec enim sibi invicem immediate contraria. 2. Quod Deus prohibet; 3. quod punit; 4. cui medelam affert, illud non est dicendus velle. Prohibuit lapsum, gravi poena in eum animadvertit et per mortem Filii sui pretiosissimam medelam ei adhibuit. Absit ergo, ut voluntate Dei lapsum esse Adamum dicamus. Fulgentius lib 1. ad Mon.: *Illius rei Deus est ultor, cujus non est auctor: ideo iniquitatem, quam punit, non fecit.* August. de corrept. et grat. c. 12: *Adam et terrente nullo, et insuper contra Dei terrentis imperium libero usus arbitrio, non stetit in tanta fecilitate, in tanta non peccandi facilitate.*

IV. 302. Objectiones contrariae: 1. Deus non impedit Adae lapsum.

15. *At,* inquiunt, *si non ex decreto Dei lapsus est Adamus, cur Deus non impediit ipsum lapsum, cum tamen impedire utique potuisset?* Respondemus: Antequam laberentur, et ut possent nolle labi, integram voluntatem Deus hominibus dederat, ac ne laberentur, severissimam mortis comminationem addiderat. Clara illa in mente fulgens Dei agnitio, perfecta voluntatis cum lege conformitas, integra omnium virium obedientia erat quasi internum capistrum, quo a peccato illos Deus retrahebat. Externi freni loco gravissimam mortis comminationem adjecerat. Aliud violentum quoddam adhibere impedimentum, quo manus Evae ab attactu arboris retraheretur, nec erat necessarium; quia Deus nemini obstrictus; nec conveniens, quia nondum esse peccatum cohibitum, si manu cohibita voluntas nihilominus vitiosis cupiditatibus aestuasset. Quid prodest manus integra mente corrupta? Recte ergo ipsemet Ursin. vol. 1. oper. theol. fol. 222: *Non impedire non est velle, sed permittere et simul etiam nolle, quatenus serio ei displicent, quae non impedit. Non impedit Deus lapsum hominis, quia novit ex eo boni quippiam elicere; nec tamen inde efficitur, quod ipsum lapsum voluerit, quin potius voluit bonum istud, quod ex lapsu elicere novit; lapsum vero ipsum extreme odit et detestatus est.*

2. Deus non condidit hominem talem, qui non potuerit peccare.

16. Pergunt: *Quare non ita condidit Deus hominem, ut peccare non posset?* Respondemus: Hominem Deus condere voluit, libero igitur arbitrio eum instruxit. Non erat homo ita creatus, ut vellet peccare; interim tamen, quia ratione praeditus, ideo in ea libertate constitutus erat, ut posset velle; tanta luce illuminatus, ut posset non velle. Basil. hom. *Quod Deus non sit auctor malorum. Tu ministros tuos non habes pro fidelibus et frugi servis, si compedibus aut vinculis conclusi id agant, quod jubes; sed si sponte et libere, quod sui muneris est, strenue faciant: ita quoque Deo acceptum minime, quod coactum et violentia quadam expressum, sed quod ex vera virtute proficiscitur; virtus autem ex proaeresi oritur, non ex necessitate, proaeresis autem et electio requirunt arbitrii libertatem.* August. ita respondet 11. de Gen. ad lit. c. 7: *Concedimus, meliorem esse naturam, quae omnino peccare nolit; concedant vicissim et ipsi, non esse malam, quae talis facta est, ut posset non peccare, si vellet; et juste punitam, quae voluntate, non necessitate peccavit. Cum ergo utraque bona, cur illam solam et non utramque Deus faceret, ut uberius laudaretur de utraque?* Athanas. serm. de incarnat. verb. tom. 1, p. 39. edit. Commelin.: *Ad suam ipsius imaginem Deus hominem effiguravit, deditque illi suae rationis dotem, ut perseverare posset in beatitudine vivens veram et revera sanctorum in paradiso vitam; rursum animadvertens, arbitrium delectumque hominis utroque vergere, ma-*

ture hanc gratiam, quam ipsis dederat, legis et loci praesidio munivit. Bonav. 2. sent. dist. 23. q. 1. quatuor enumerat causas, propter quas Deus talem fecerit hominem, ut posset ab adversario expugnari; *prima est manifestatio divinae potentiae, voluit enim Deus ostendere homini, quia sicut sine eo factus non fuerat, ita nec sine ipso persistere poterat; 2. manifestatio divinae sapientiae: majoris enim sapientiae ostensivum est, scire ordinare bona cum malis et eligere bona ex malis, quam ordinare solum bona cum bonis; 3. manifestatio divinae misericordiae, quae potissimum manifestata est, cum unigenitum filium traderet ad liberationem servi; 4. manifestatio divinae justitiae, quae potissime manifestatur in hoc, quod Deus tribuit unicuique secundum opera, praecipue in aeterna punitione malorum.* Biel 2. sent. dist. 23. q. un. breviter respondet: *Deus non produxit naturam impeccabilem, quia non placuit.*

3. Deus non confirmavit hominem in bono.

17. Regerunt, *potuisset Deus hominem in bono confirmare, quae in bono confirmatio nec rationis intelligentiam nec arbitrii libertatem sustulisset.* Respondemus: Homo natura in bono immutabilis esse non poterat, quia tale *αὐταγαθὸν* est solus
IV. 303. Deus, essentialiter ac proinde immutabiliter bonus; *πᾶν* autem *κτιστὸν τρεπτόν:* gratia in bono immutabilis esse non debebat, quia praemium non datur ante pugnam, et nisi vincenti nulla corona datur. Voluit ergo Deus prius liberam sibi ab homine obedientiam praestari, antequam in bono illum confirmaret. August. ita respondet 11. de Gen. ad lit. c. 10: *Quia omnipotens, posset. Cur non fecit? quia noluit; cur noluit? ipse noluit. Non debemus plus sapere quam oportet, puto autem non parvi boni esse rationalem creaturam, quae malorum comparatione cavet malum.*

4. Deus permisit tentari, quem sciebat succubiturum.

18. Nondum conquiescunt. *Cur*, inquiunt, *Deus permisit hominem a diabolo tentari, cum sciret ipsum vincendum esse.* Respondemus: Aug. 11. de Gen. ad lit. c. 5. statuit, *praecessisse in animo hominis elationem quandam comprimendam, qua meruerint a tentatore superari;* atqui ipsam illam interiorem superbiam tentatio diaboli praecessit, siquidem interius illud superbiae venenum, non nisi ex promissione illa exterius proposita: eritis sicut dii, in animo primorum parentum est enatum. Bellarminus lib. 3. de amiss. grat. et stat. peccat. c. 2. ex Augustino colligit haec tria: 1. *Quod nullam fecerit Deus homini injuriam, permittendo ipsum a diabolo tentari, cum ad resistendum et vincendum sufficientibus viribus eundem instruxerit.* August. de corr. et grat. c. 12. et lib. 14. de civ. Dei c. 27. 2. *Quod primaria causa hujus permissionis soli Deo sit nota.* August. 11. de Gen. ad lit. c. 4. 3. *Quod rationes quaedam probabiliter reddi possint, videlicet, requisivisse id ipsum primo Dei omnipotentiam, cum magis pertineat ad omnipotentissimam ipsius bonitatem de malis benefacere, quam mala esse non sinere.* August. de corr. et grat. c. 10. Secundo *Dei providentiam, cum Deus sic res administret, ut eas proprios motus agere sinat.* August. 7. de civit. Dei c. 30. Tertio *DEI justitiam et misericordiam, cum hominis lapsu ad misericordiam in electis et justitiam in reprobis declarandam se uti posse viderit.* August. de corr. et grat. c. 10. Quarto *universi pulchritudinem, cum ornatus aliquis mundo decederet, si nulla esset anima, quae peccando misera fieret.* August. 3. de liber. arbitr. c. 9. Quinto *ipsam hominis gloriam et utilitatem, cum non videatur magnae laudis fuisse futurum hominem, si proptera posset bene vivere, quia nemo male vivere suaderet.* August. 11. de Gen. ad lit. c. 4: *cum casus primi hominis ad eruditionem sanctorum prosit.* August. libr. eod. c. 6: *cum ab hominis semine adjuto DEI gratia ipse diabolus fuerit sanctorum gloria majore vincendus.* August. 14. de civit. Dei c. 27. Denique *cum occasione transgressionis istius Christus nobis donatus, per quem plura, quam in Adamo sunt amissa, recepimus.* Haec Bellarminus, quae non sunt omnia ejusdem roboris; praesertim vero hoc recte explicandum est, quod scribit, requisivisse hoc Dei omnipotentiam, providentiam, misericordiam etc., ut permitteret hominem tentari; non enim ideo permisit Deus, hominem tentari et cadere, ut ex malis bonam eliciendi occasionem haberet atque in electis suam misericordiam, in reprobis vero justitiam declararet, sed quia liberam ab homine obedientiam sibi exhiberi voluit, ideo hominem tentari permisit; quia ex lapsu hominis bonum elicere novit, ideo voluntarium hominis lapsum non impedivit.

19. Simplicissime igitur respondetur, quod diaboli malitia [qui jam ante sese sponte a Deo averterat] usus sit Deus ad exercitium obedientiae hominis. Virtus incognita languet, et gloriosius est tentanti non consensisse, quam tentari non potuisse. Pulchre D. Martin. Lutherus super 3. Gen.: *Responsio ad omnia hujuscemodi argumenta haec una esse debet, quod Domino sic placuit, ut periclitaretur Adam et exerceret suas vires, sicut adhuc hodie cum baptizati et in regnum Christi translati sumus, Deus non vult nos esse otiosos, sed vult exerceri verbum et dona sua, ideo permittit nos infirmos a Satana cribrari.* Quid quod Augustin. monet 11. de Gen. ad literam c. 3. *diabolum non elegisse sibi ipsi serpentem, per quem tentaret hominem, eidemque peccatum persuaderet, sed cum in illo esset propter* IV. 304.
perversam et invidam voluntatem decipiendi cupiditas, non nisi per illud animal tentare hominem ipsi a Deo permissum; ex quo ita colligit Lombard. 2. sent. dist. 21. lit. B.: *Ne nimis occulta foret fraus diaboli, quae caveri non posset, ut homo simul videretur injuriam pati, si taliter circumveniri permitteret eum Deus, ut praecavere non posset, ideo in aliena quidem forma venire permissus est diabolus, sed in tali, in qua ejus malitia facile posset deprehendi. Ut ergo in propria forma non veniret, voluntate sua propria est factum, ut autem in forma suae malitiae congruenti veniret, divinitus factum est. Venit ergo ad hominem in serpente, qui forte, si permitteretur, in columbae specie venire maluisset.*

5. DEUS praescivit hominis lapsum.

20. Instant: *Utut sit, negari tamen nequit, Deum ab aeterno praevidisse hunc hominis lapsum, praescientia autem Dei immutabilis, ergo et praescita eveniunt immutabiliter, proinde et necessario.* Respondemus: Egimus hac de re in loco de providentia et ostendimus, distinguendum esse inter objecta praescientiae divinae, nimirum inter actiones bonas et malas; illas non solum Deus scit per notitiam, sed etiam juvat, promovet et approbat eas per beneplacitum, quod de actionibus malis dici nequit. Deus non modo rem, sed etiam causas rei praevidet, vel potius videt, non solum *τὸ ὅτι*, sed etiam *διὰ τοῦ καὶ τὸ πῶς;* sic non modo praevidit Adami lapsum, sed etiam eum voluntarium, et omnis necessitatis expertem praevidit; qua de re per integrum librum disputat Anselmus.

6. Deus voluit hominem labi, ut haberet occasionem exercendae misericordiae et justitiae.

21. Insurgunt aliter: *Nisi Adamus peccasset, non habuisset DEUS occasionem exercendae suae misericordiae et justitiae. Utique ergo lapsum istum voluit.* Respondemus: Deus *αὐταρκής* est, bonorum nostrorum non eget, quanto minus peccatorum. Non eget Deus justitia recti; ergo nec iniquitate perversi. Argumentum est August. 11. de Gen. ad lit. c. 7: *Diserte Scriptura* eccles. 15, v. 12. *non sunt DEO necessarii homines impii. Non perficitur DEUS operibus ad extra, quae sunt divinae perfectionis et beatitudinis tantum vestigia ac documenta.* Praeterea, an non satis illustre specimen suae misericordiae ediderat Deus in hominis creatione; justitiae in punito Satana? Si homo integer mansisset, nihilominus misericordiam et justitiam Dei repraesentasset ac praedicasset. Et possumus huc applicare, quod in simili dicit apostolus Rom. 11, v. 12. Si delictum Adae occasionem dedit exercendae misericordiae et justitiae Dei, quanto magis integritas ejus. Breviter, bonus ille finis, quem ex lapsu Deus elicuit, non ipsi lapsui, sed divinae bonitati adscribendus, et proinde non efficitur ex bono illo fine accidentario, quod homo ex decreto quodam DEI ad lapsum fuerit impulsus.

7. Decrevit Deus lapsum, ut abundantior gratia per Christi incarnationem hominibus obtingeret.

22. Argutatur ratio ulterius, et illi, qui rationis dictamen, seposito verbo, sequuntur. *Decrevit DEUS hominis lapsum ideo, ut abundantior gratia hominibus per incarnationem Christi contingeret.* Respondemus: Disputant Scholastici et superiori seculo etiam agitata est illa quaestio: An, si homo non peccasset, Christus nihilominus incarnandus fuisset? ubi consideramus Scripturae dicta, quae unicum hunc incarnationi Christi finem assignant, generis humani redemtionem et liberationem. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla erit opus medicina. Ipse Salvator: *Non indigent, qui sani sunt, medico,* Matth. 9, v. 12. Ideoque laudamus Bonaventurae verba, quae habet 3. sent. 1. quaest. 1. articul. 2. *quod sententia eorum, qui negant, Christum incarnandum fuisse, si homo in integritate pestitisset, magis consentanea sit Scripturae; affirmantium autem sententia rationi. Nobis autem nihil dicendum praeter ea, quae ex sacris eloquiis clarent.* Quam gnomam Bonaventurae approbamus et miramur Bucanum in locis p. 88. affirmare voluisse, *quód homo etiamsi perstitisset in originali justitia, tamen opus habuisset Christo mediatore.* Quod igitur argumentum attinet, respondemus, ex eo, quod Deus morbo huic pretiosissimam medicinam parare voluit, non colligendum esse, quod ipse sit morbi causa, sed potius contrarium, quod scilicet nolit et detestetur morbum. Pulchre August. 3. confess. c. 2: *Malevola haec foret benevolentia, si quis miserum hominem esse velit, ut ejus misereatur.* IV. 305.

8. Deus non est otiosus spectator lapsus.

23. Tandem exclamant: *Si Deus saltem praescivit lapsum, constituetur otiosus ejus spectator.* Respondemus: Quis vero asserit, Deum tantum praesciendo concurrere? Deus ante lapsum integras vires, ut possent non labi dedit, mortis comminationem, ut nollent labi, addidit; in ipso lapsu irritatam a diabolo concupiscentiam cohibuit, ne longius progrederetur et in arborem quoque vitae manum injiceret, et sic immortalem illum morbum in nobis conservaret; denique lapsum illum gravissime puniit et hoc ex illo bonum elicere novit, ut eo utatur ad declarandam in electis misericordiam, in reprobis justitiam; haec certe non sunt otiosi spectatoris.

9. Satius fuisset, homines non creari.

24. Sed ne sic quidem sibi satisfieri patiuntur, *an non fuisset satius* [inquiunt] *homines omnino non creari, quam ita creari, ut labi possent; praestabat non esse, quam adeo miseros esse?* Respondemus: Haec illatio locum haberet, si Deus eo fine creasset homines, ut laberentur, et ad lapsum eos impulisset. Jam vero Deus ad imaginem suam eos creavit et sub gravissima mortis interminatione a lapsu prohibuit. Quod de Juda proditore dicit Dominus Matth. 26, v. 24: *quod bonum ei, si natus non fuisset*, id Damascen. 4. orthod. fidei c. 22. recte explicat, *a Domino dictum esse, non quod propriam suam creaturam improbarit, sed ut malitiam, quae creaturae DEI per se bonae ex propria ipsius voluntate accessit, eo magis vituperaret, et poenae secuturae gravitatem exprimeret.* Si quis principatu a rege donatus contra eum insurgeret, eumque ipsa illa potentia, quam acceperat, opprimere conaretur, rex utique optimo jure diceret, melius fuisse, eum tanta potentia non esse instructum, comparate scilicet et *κατὰ σύγκρισιν*. Et cogitandum est in explicatione hujus argumenti, Deum non reliquisse ei hunc morbum absque medicina; paravit enim ei conveniens remedium in Christo ante jacta fundamenta mundi.

25. Maneat ergo firmum fixum, Deum nec decrevisse nec voluisse istum protoplastων lapsum, nec impulisse eos ad peccatum nec eo delectatum fuisse. Diabolus hominem seduxit, homo persuasioni diabolicae consensit, et sic peccatum in mundum introductum est, et mors in omnes homines pertransiit. *Diabolus est, qui Evam seduxit astutia sua,* 2. Cor. 11, v. 3. *qui vulnera homini inflixit,* Luc. 10, v. 30. *cujus invidia mors in mundum introiit,* Sap. 2, v. 24. *peccata dicuntur ipsius desideria* Joh. 8, v. 44. *et opera* 1. Joh. 3, v. 8. *qui peccant, dicuntur ejus filii* Joh. 8, v. 41. Hinc Christus de eo dicit, *quod sit ἀνθρωποκτόνος ab initio, et pater mendacii* Joh.

8, v. 44. Homo est, qui diabolo consensit et libere se a Deo avertit; *per unum illum hominem peccatum in mundum introiit* Rom. 5, v. 12. Deus in partem culpae et lapsus societatem neutiquam pertrahendus.

An peccaverint primi homines.

26. Bellarminus libro 3. de amiss. grat. et stat. peccat. c. 1. refert, *quosdam statuisse, quod primi parentes nec peccaverint nec peccare potuerint, idque confirmasse argumento ex principiis Lutheranis satis apte deducto, quia videlicet lex justo non sit posita, sed peccatori* 1. Tim. 1. *Primi autem homines in paradiso erant justi.* Respondemus: Verbum DEI esse principium doctrinae nostrae sonora voce profitemur; sed ex hoc principio satis apte illud argumentum deductum esse, Bellarmini calumnia est; cum enim tres sint legis usus, videlicet accusare peccatum in natura haerens, externam disciplinam cohibere et renatis normam bonorum operum praescribere, ideo apostolus ratione secundi usus justis legem positam esse negat. Notanda etiam phrasis apostoli, non enim dicit *νόμος οὐ τίθεται*, sed *οὐ κεῖται*, prius
IV. 306. de promulgatione et obligatione ad obedientiam, posterius de accusatione et damnatione agit. Major calumnia est, quod Bellarminus addit, haereticos illos Luthero auctore peccatum primorum hominum negasse; imo vero Lutherus tum alibi passim, tum in comment. 2. c. Genes. perspicue et diserte, imo magna vehementia eos refellit, nec multis frustra consumtis verbis nihil agit, ut impudenter scribit Bellarminus [qui forte ipsum Lutheri commentarium non inspexit, cum in explicatione primi capitis ea a Luthero scripta esse asserat, quae in secundi capitis expositione demum occurrunt], sed ex ipsis Paulini textus visceribus ostendit, non agi ibi de lege primo homini ante lapsum data, ad obedientiae exercitium, sed de accidentario legis usu, quem in accusando et damnando post lapsum obtinet, ut docet antithesis; quo ergo colore audax illud pronuntiatum pingere poterit Bellarminus, quod non possimus Libertinorum argumenta solvere, nisi nobis ipsis velimus repugnare.

CAPUT II.

QUAESTIONES QUASDAM DE PRIMO PROTOPLASTORUM LAPSU EXPLICAT.

Quodnam primum primorum hominum peccatum.

27. Explicandae sunt de hoc primorum parentum peccato aliquot quaestiones. Quaeritur primo, *quodnam fuerit primum ac principale protoplastorum peccatum?* D. Lutherus in comment. c. 3. Gen. p. 33. ex descriptione Mosaica colligit, incredulitatem sive defectionem a verbo fuisse primum hominis peccatum. Diabolus enim primo solicitat hominem ad dubitationem de verbo Dei Gen. 3, v. 1: *Nunquid praecepit Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi?* postea ex responso Evae non rite interdictum Dei recitantis audacior factus prorsus negat Dei verbum v. 4. *Nequaquam moriemini;* et tum demum ad superbiam solicitat v. 5. *Eritis sicut Dii, scientes bonum et malum;* hinc voluntatem Evae a verbo aversam occupat cupiditas prava, quae in externum tandem factum prorumpit. Ex hoc ordine tentationis manifeste apparet, jam tum incredulitate Evam peccasse, cum in superbiae gurgitem abriperetur. Accedit manifesta ratio: Quamdiu homo verbum et fiduciam erga Deum retinet, non potest adversus eundem superbire; si quidem obedientia erga verbum et contumax superbia e diametro invicem pugnant. Denique ut radix atque initium conversionis post lapsum est fides, Hebr. 11, v. 6: *accedentem ad Deum oportet credere;* ita radix atque initium omnis injustitiae est incredulitas teste Christo Joh. 3, v. 18: *Qui non credit, jam judicatus est.* v. 36: *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam.* Joh. 16, v. 8: *Spiritus s. arguet mundum de peccato.* v. 9: *quia non credunt in Filium.* Huic sententiae veteres suum assensum praebent, quotiescunque incredulitatem et inobedientiam in primo hominis lapsu agnoscant. Eam enim superbia priorem fuisse, descriptio Mosaica evidenter ostendit. Ambr. de Parad. c. 12: *quod mulier Dei mandato aliquid addit, lapsus incipit esse principium, hinc coepit praevaricatio prima esse mandati.* Prosper in resp. ad c. Gen. dub. 3: *Fidem nisi primum Adam amisisset, caeteris bonis omnibus non careret; credendo enim diabolo non credidit DEO.* Lyra super 3. Gen. *Stante statu innocentiae non poterat esse deordinatio in viribus inferioribus, nisi prius esset in ratione, ideo non tentavit primo de comestione signi, sed de restrictione praecepti, cur praecepit* etc. q. d. istud praeceptum non fuit conveniens, cum sitis liberae conditionis, et superiores omnibus lignis et per hoc mulier mota, quadam inclinatione inclinata fuit ad praecepti displicentiam et ulterius ad dubitationem de poena mortis comminata.

28. Bellarminus lib. 3. de amiss. grat. et statu IV 307.
peccat. c. 4. secutus quosdam ex Scholasticis statuit, *primum peccatum Hevae fuisse superbiam, quod confirmare nititur Scripturae dictis, patrum auctoritatibus et rationum momentis*, quae antequam excutiamus, monemus, Scholasticos ipsos in hac quaestione non omni ex parte consentire. Lombardus 2. sent. dist. 22. lit. D.: *Adamus non fuit seductus eo modo, quo mulier, non enim putavit esse verum, quod diabolus suggerebat; in eo tamen fuisse seductum credi potest, quod commissum veniale putaverit, quod peremtorium erat, sed nec prior seductus fuit, nec in eo, in quo mulier, ut crederet, Deum ideo illud lignum tangere prohibuisse, quoniam si tangerent, fierent sicut Dii.* Scotus itidem statuit, *primum Adae peccatum fuisse inordinatum amorem erga conjugem, amorem autem non carnalis concupiscentiae, sed humanae amicitiae.* Contra Thomas 2. 2. q. 163. *utriusque parentis primum peccatum superbiam fuisse dicit.* Bonaventura 2.

An superbia fuerit primum hominis peccatum.

sent. dist. 22. q. 1. concedit, *principale peccatum hominis, per quod lapsus est, fuisse inobedientiam; sed addit, superbiam fuisse primum gradum illius inobedientiae;* cui sententiae cum adversetur dubitatio Evae praecedens solicitationem ad superbiam, ei satis frigide respondet Bonaventura, *particulam forte esse notam eventus, non dubitationis.* Sed cum magister expresse dicat, esse notam dubitationis, addit aliam responsionem, *mulierem non dubitasse de veritate praecepti, sed verum ejus intellectum ignorasse.* Thom. p. 3. q. 8. artic. 7: *diabolus a principio hominem ab obedientia divini praecepti removere tentavit, ipsa autem aversio a DEO habet rationem finis, in quantum appetitur sub specie libertatis.*

Eccl. 10. Initium superbiae hominis recedere a Deo.

29. Videamus argumenta Bellarmini, quibus nititur probare, superbiam fuisse primum hominis peccatum. 1. eccl. 10, v. 14: *Initium superbiae hominis recedere a Deo, quia ab eo, qui fecit eum, recessit cor ejus,* v. 15: *quoniam initium omnis peccati est superbia.* Respondemus: 1. Liber hic est extra canonem, ac proinde ex canonicis robur aliquod huic dicto foret addendum. 2. Locus hic pro sententia D. Lutheri facit. Si enim superbiae initium est apostasia sive incredulitas a Dei verbo deficiens, utique ipsa apostasia fuit prior superbia; ideo additur: quoniam ab eo, qui fecit eum, recessit cor ejus. Bellarminus in paraphrasi hujus dicti concedit, *primum actum superbiae apparuisse in defectione illa hominis a DEO;* atqui illa defectio nihil aliud est, quam incredulitas; qui enim a verbo Dei discedit per incredulitatem, is hoc ipso a Deo discedit. 3. Verba quae in vulgata versione sequuntur, initium omnis peccati est superbia, ea in quibusdam Graecis Codd. sic leguntur: *ὅτι ἀρχὴ ἁμαρτίας ὑπερηφανία*, in quibusdam vero hoc modo: *ἀρχὴ ὑπερηφανίας ἁμαρτία*, quae posterior lectio Bellarmini sententiae adversatur, quam tamen nec prior lectio confirmat; quamvis enim recte dicatur, peccati initium esse superbiam, seu ut veteres loquuntur, superbiam habere influentiam universalem ad omnia scelera, ex eo tamen nondum efficitur, Adamum primo superbia et postea demum incredulitate peccasse.

Tob. 4: In superbia initium sumsit omnis perditio.

30. 2. Tob. 4, v. 17: *In superbia initium sumsit omnis perditio.* Respondemus: 1. etiam hic liber est *ἔξω τοῦ κανόνος.* 2. In Graeco ita habetur: *ἐν τῇ ὑπερηφανίᾳ ἀπώλεια καὶ ἀκαταστασία πολλή,* quod Pagninus ita vertit: *Superbia perniciem multamque perturbationem conjunctam habet.* Tremell.: *Superbiae adest perditio multa ac non stabilitas;* nimirum senior Tobias dehortatur filium a superbia ex hoc fundamento, quia superbia solet hominem in quasvis calamitates praecipitem dare. 3. Sed quid hoc ad quaestionem de primo hominis peccato? fatemur in lapsu Adae superbiam concurrisse; sed addimus, hominem a verbo Dei abductum demum in superbiam et interitum esse praecipitatum.

Rom. 5: Per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi.

31. 3. Rom. 5, v. 19: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Respondemus: 1. Fuit utique peccatum primi hominis inobedientia, quod nec Deo nec Dei verbo obsequentem se praebuit, id quod nostram confirmat sententiam. 2. *Actus primus superbiae est,* ait Bellarminus, *nolle subjici imperio et praeceptis alterius, quae proprie dicitur inobedientia, sicut e contrario humilitatis est, subjici imperio et praeceptis aliorum, quae proprie dicitur obedientia.* Respondemus: Quemadmodum apostolus commendat fidei obedientiam Rom. 1, v. 5. et c. 16, v. 26, ita potest nomine inobedientiae et superbiae generaliter accepto tota protoplastωn transgressio denotari; sed si illa inobedientia atque illa superbia in partes resolvatur, apparebit primos parentes primum ad defectionem a verbo, postea demum ad superbiam fuisse solicitatos; si quis hunc peccati actum velit partem quandam superbiae generaliter acceptae constituere, non repugnamus. 3. Quod Bellarminus addit, *si primum hominis peccatum fuisset infidelitas, non vere nec proprio apostolus illud appellasset inobedientiam,* valde absurdum est; quae enim magis vera ac propria est inobedientia, quam discedere a Dei verbo, cor avertere a praeceptis Dei, magis credere persuasionibus Satanae, quam Dei interdicto ac minis additis? IV. 308.

Dicta veterum de primo protoplastωn peccato, quod illud fuerit superbia.

32. Patrum dicta, quae Bellarminus producit, nostrae sententiae non adversantur. *Dicunt hominem a diabolo ad ambitionem ac superbiam esse solicitatum, ac primos parentes superbia peccasse,* quod nemo nostrum negat. Docet autem series tentationis a Moyse descriptae, quod diabolus primo omnium a verbo Dei hominem abducere conatus fuerit atque occultum dubitationis venenum cordi ejus primum inspirarit, antequam vanam illam divinitatis pollicitationem addiderit. Ex omnibus veterum dictis urgentissimum videtur illud Aug. 11. de Gen. ad lit. c. 30: *Quando* [quomodo] *his verbis crederet mulier, a bono atque utili re divinitus se fuisse prohibitos, nisi jam inesset menti amor ille propriae potestatis et quaedam de se superba praesumtio, quae per illam tentationem fuerat convincenda et humilianda?* sed legat Bellarminus scholia Francisci Maronis in istum locum: *Primum hoc notabile est* [ait], *quod hodie non tenent theologi, quia dicunt, quod in statu innocentiae non potuit peccatum esse, quin ab illo statu caderent.*

Rationes probantes, quod superbia fuerit primum peccatum.

33. Audiamus rationes quas Bellarminus format. *1. Inter actus malos priores fuerunt interiores quam exteriores, tam circa objectum intelligibile quam circa sensibile. Inter actus illos interiores et circa bonum intelligibile prior est actus circa finem, quam circa media, siquidem media appetuntur propter finem; finis autem hominis in malis est excellentia propria, quae superbiae est objectum, non ergo infidelitas.* Respondemus: Lapsus Adae potest considerari dupliciter, ratione intentionis et ratione exsecutionis, nos hic non quaerimus scrupulose de intentione primi hominis, sed Mosaici textus simplicitatem ac perspicuitatem secuti statuimus, primum actum commissionis sive exsecutionis fuisse infideli-

tatem sive discessionem a Dei verbo. *2. Non potuit mens primorum parentum divino lumine illustrata in errorem induci, nisi antea per aversionem a Deo lumine illo fuisset destituta, ergo infidelitatem primorum parentum praecessit aversio a DEO et peccatum.* Respondemus: Illa aversio a Deo nihil aliud est, quam aversio a Dei verbo; nisi enim primi homines satanicarum praestigiarum nebulis a lumine verbi se abduci passi fuissent, utique nec a Deo se avertissent nec in superbiae barathrum praecipites corruissent. *3. Mater infidelitatis est superbia,* teste August. libr. de pastorib. c. 8. *ergo superbia infidelitatem praecessisset.* Respondemus: Superbia accipitur in genere pro quacunque inobedientia, quo sensu Augustinus eam constituit matrem infidelitatis, quo sensu etiam Scholastici dicunt, in quolibet peccato virtualiter superbiam et contemtum DEI concurrere, licèt non formaliter; proprie autem superbia notat speciale quoddam peccatum, qua significatione in quaestione accipitur. *4. In peccatis prior est conversio ad bonum creatum, quam aversio ad bonum increatum, siquidem aversio nec bona est*
IV. 309. *nec appetibilis? jam vero infidelitas est aversio a summo bono, superbia est conversio ad bonum proprium. Ergo haec est illa prior.* Respondemus: Iterum confunduntur intentio et exsecutio primi peccati; fuerit sane ex hypothesi superbia prior in Adamo peccante, ratione intentionis, interim actualis culpa et externa transgressio ita a Moyse describitur, quod Eva primum ex oculis Dei verbum semoverit: adde quod non potuisset homo ad propriam excellentiam se convertere per inordinatum amorem, antequam a diabolo seductus Dei verbum ex oculis removisset. Praeceperat enim Deus, ne ad suam excellentiam per inordinatum amorem se converteret, sed in obedientia praecepti de non comedendo vetitae arboris fructu sese exerceret.

Exceptiones Bellarmini.

34. Exceptiones, quibus vim nostrorum argumentorum elidere conatur Bellarminus 3. de amiss. grat. et stat. peccat. c. 5, scopum non attingunt. *1. Satanas non solum ad infidelitatem et inobedientiam, sed etiam ad superbiam adducere conabatur Hevam, quare mulier primo in superbiam seducta est, postea demum credidit diabolo, et non credidit Deo.* Respondemus: Textus Mosaicus diserte contrarium dicit, Satan enim in primo congressu Evam sic alloquitur: *Nunquid praecepit vobis Deus* etc. postea demum subjicit, *eritis sicut dii* etc.; cum serpens mendax illud promissum suum in medium proferret, jam tum discesserat Eva a Dei verbo, quod particula dubitandi *forte* in verbis ipsius evidenter ostendit. *2. Quia fides est origo justitiae, ideo infidelitas non est origo, sed finis injustitiae; quod enim in generatione primum, id in resolutione est ultimum; quare nunquam dicitur in Scripturis initium omnis peccati infidelitas, sed initium omnis peccati cupiditas, id est, amor sui sive superbia.* Respondemus: Inter statum peccati et reparationem hominis analogiam talem constituimus; quemadmodum primi homines relicta verbi luce in tenebras incredulitatis prium prolapsi, postea in superbiam, inobedientiam et varia peccata sunt a diabolo praecipitati, atque hoc modo pulcherrima divinae imaginis structura in ipsis est diruta; ita reparaturus Deus hoc templum proponit homini verbum suum, per quod Spiritus s. accendit fidem, quae est fundamentum omnis boni operis. Contrariorum sunt contrariae affectiones et contraria effecta. Fides et incredulitas sunt contraria. Ergo fidei et incredulitatis sunt contrariae affectiones, contraria effecta. Ut ex fide procedunt omnis generis bona opera, ita ex incredulitate oriuntur omnis generis peccata; quod toties Scriptura asserit, quoties incredulitatem principale et capitale illud peccatum esse pronuntiat, quo manente reliqua manent, quo sublato etiam reliqua tolluntur. Joh. 3, v. 18. et 36. Joh. 16, v. 8. et 9. Rom. 14, v. 23. Aug. tract. 95. in Joh.: *Hoc peccatum quasi solum sit, prae reliquis posuit, quia hoc manente caetera detinentur, et hoc discedente caetera dimittuntur.* Vide omnino Joh. Huss in sermon. de elucid. fid. Mitto, quod apostolicum dictum 1. Tim. 6, v. 10. a Bellarmino in alienum sensum detorquetur, quasi in eo superbia statuatur omnis peccati radix, cum de φιλαργυρίᾳ istud loqui sonus verborum et circumstantiae textus evidenter probent. *3. Adam non fuisset verbo Dei incredulus, nisi per elationem a Deo aversus divina luce destitutus tenebrescere coepisset.* Respondemus: Quin imo Adami mens divina luce collustrata non avertisset se a Deo per elationem, nisi prius a verbo secessionem fecisset. Non potest de primo peccato rectius judicari, quam ex serie tentationis a Moyse descripta. Serpens primum aggreditur Dei verbum et simul interius dubitationis venenum cordi Evae inspirat, postea demum remota verbi luce in superbiae tenebras eam praecipitat. *4. Initium superbiae in homine potuit esse sine ullo mentis errore praecedente per solam incogitantiam sive inconsiderationem.* Respondemus: Imo vero nunquam dedisset Eva locum persuasionibus Satanae ad superbiam et inobedientiam solicitantis, nisi fallaci et mendaci ejus promisso crederet; nunquam peccat voluntas in opere, antequam praecedat error in mente; illa ipsa incogitantia principium fuit discedendi a verbo, quod arcte et fideliter homo complecti debuisset.

35. Bonaventura 2. sent. dist. 22. q. 1. aliud sibi
objicit argumentum. Salus respondet per oppositum IV 310.
praevaricationi. Atqui salus incepit a fide Mariae Luc. 1. Beata quae credidisti. Ergo etiam praevaricatio incepit ab infidelitate Evae. Respondet Bonaventura: *Etsi fides in conceptione Filii Dei non modicum tenuerit locum, habuit tamen humilitatis usum praeambulum, ratione cujus dicitur virgo Deo placuisse, sicut ipsa dicit: Respexit Deus humilitatem ancillae suae.* Atqui aliud est ταπείνωσις, aliud ταπεινοφροσύνη; illud notat conditionis statum, hoc vero mentis affectum; non gloriatur Maria de merito humilitatis, sed praedicat virtutem Dei humilia respicientis. Manet ergo inconcussa vis argumenti. Quemadmodum Maria verbis angeli fidem habendo

filium Dei in virginali utero concepit, per quem sumus a peccatis redemti; ita Eva verbis Satanae fidem habendo Adamum postea in peccati consortium adduxit, per quem peccatum in mundum intravit. Glossa Luc. 1: *Mulier ab angelo seducta mortem intulit, mulier ab angelo edocta salutem edidit.* Tertull. lib. de carn. Christi c. 14: *In virginem Evam irrepserat verbum aedificatorium mortis, in virginem aeque introducendum erat Dei verbum exstructorium vitae.* Irenaeus lib. 3. c. 33: *Quod alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc virgo Maria solvit per fidem.* lib. 5. p. 587: *Quemadmodum Eva per angelicum sermonem seducta est, ut effugeret Deum praevaricata verbum ejus; ita et haec per angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum obediens ejus verbo.* Bonav. 3. sent. dist 2. enim. 4. *Sicut diabolus tentavit mulierem, ut eam pertraheret ad dubitationem et per dubitationem pertraheret ad consensum et lapsum; sic angelus annuntiavit virgini, ut nuntiando excitaret ad fidem, et per fidem ad consensum, et per consensum ad concipiendum DEI filium per Spiritum sanctum.*

An Adam proprie seductus. 36. Quaeritur 2. *An Adam proprie sit seductus?* Bellar. 3. de amiss. grat. et stat. peccat. c. 7. *id negat, rationem quaerit in pronuntiato apostolico* 1. Tim. 2, v. 14. *Adamus non est seductus.* Respondemus: Intelligendum hoc est non ἁπλῶς et simpliciter, quasi nullo modo Adamus sit seductus, sed de ordine seductionis. Adamus non est seductus scilicet prior, quemadmodum Eva per serpentem seducta Adamo fuit transgressionis causa, quam expositionem confirmant verba sequentia: *Eva seducta fuit in praevaricatione*, i. e. exstitit Adae causa praevaricationis. Theodoretus et Oecumenius in comment. hujus loci. Nec vero per hanc expositionem enervatur argumentum apostoli. Mulier non debet docere nec dominari viro, quia peccati initium a muliere exstitit; sed male cessit modus hic doctrinae, quo femina virum docuit, non tam docuit vel duxit quam seduxit, in cujus seductionis poenam viro subjecta est, cui divino judicio authenticum illud feminae in virum dominium repugnat.

Argumenta sententiae affirmativae. 37. Porro non esse simpliciter et absolute negandum, quod Adam sit seductus, patet ex his fundamentis. 1. Si non ab alio, tamen a se ipso fuit seductus. Bellarm. c. praeced. 6. sic scribit ex Augustino: *Existimavit Adam veniale fore, si contra praeceptum Dei de fructu illo comederet, ne sociam contristaret; in eo quoque erravit, quod, cum videret, uxorem non esse mortuam manducato cibo, sibi ipse persuasit, se quoque non moriturum, si cibum eundem manducaret, credidit denique, se DEO similem futurum; atqui his cogitationibus se ipsum seduxit et a verbo Dei discessit.* Sic appellantur seductores 2. Tim. 3, v. 13. qui tum se ipsos tum alios seducunt. Jer. 14, v. 14. Pseudoprophetae dicuntur seductionem cordis sui prophetare. 1. Joh. 1, v. 8. *si dixerimus, nos peccatum non habere, ipsi nos seducimus.* 2. Si vel maxime Eva non habuit animum seducendi, tamen vere et proprie loquendo Adamum seduxit; siquidem Scriptura seductiones atque scandala non semper aestimat ex animo seducendi et scandalizandi, sed ex re ipsa, h. e. quia persona revera quippiam loquitur et facit, quod alterum seducere vel scandalizare potest. Omnes haeretici sunt seductores 1. Joh. 2, v. 26. c. 3, v. 7. neque tamen omnes habent animum seducendi, quidam eorum statuunt, ipsissimam veritatem a se praedicari; Matth. 16, v. 23. dicit Christus ad Petrum: IV. 311.
Vade post me, Satana, scandalum mihi es, i. e. talia consulis, quae revera sunt scandala, licet actu me non scandalizent. 3. Eva tradens marito comedendum pomum, jam tum erat a diabolo seducta, ac proinde non tam Evae animus respiciendus, quam institutum diaboli, qui per Evam ipsum quoque Adamum seduxit et in peccati consortium adduxit; hinc Deus accusat Adamum, quod obedierit verbo uxoris suae, Gen. 3, v. 17. 4. Adde, quod plurimi ex veteribus diserte dicunt, Adamum fuisse seductum, Ignat. epist. ad Trell. Iren. lib. 3, c. 35. Epiph. haeres. 38. Chrys. in 1. ad Tim. hom. 9. Ambr. de parad. c. 4. August. in Ps. 68. etc.

An primi parentes potuerint venialiter peccare. 38. Quaeritur 3. *An peccatum Adae potuerit esse veniale?* Respondemus: Ostendemus suo loco, omne peccatum esse suâ natura mortale; hinc facile apparet, quod in statu innocentiae, quatenus tali, propter summam hominis felicitatem et cum Deo conformitatem nullum omnino peccatum, nulla etiam qualiscunque poena locum habere potuisset. Sed quia Scholastici statuunt, quaedam peccata esse sua natura venialia, ideo in hac quaestione sibi non constant. Scotus 2. sent. dist. 21. q. 1. et alii statuunt, *fieri potuisse, ut Adamus peccaret venialiter;* huic repugnant Thomas, Bonaventura, Alensis, Richardus, aliique complures, quos sequuntur hodie Jesuitae, ut videre est apud Perer. lib. 5. in Gen. disp. 2. q. 2. Bellarm. 3. de stat. pecc. c. 8, sed vix satisfaciunt argumento Scoti, quod tale est: *Si Adam potuit peccare mortaliter, potuit etiam peccare venialiter, quia mortale peccatum magis repugnat justitiae originali.* Bonaventura respondet, *ea quae nunc sunt venialia, in statu innocentiae propter summam illius status perfectionem et personae dignitatem futura fuisse mortalia;* sed hoc improbat Thomas, et merito; absurdum enim est, id hodie esse veniale, quod ante lapsum fuisset mortale, siquidem lapsus peccati naturam mutasset: ipse autem hoc modo respondet 1. 2. q. 89. art. 3: *In statu innocentiae erat infallibilis ordinis firmitas, ut semper inferius contineretur sub superiori, quamdiu summum hominis contineretur sub Deo, ideo oportebat, quod inordinatio in homine non esset, nisi inciperet ab hoc, quod summum hominis non subderetur Deo.* Atqui hoc ipsum impugnat Scoti argumentum, si potuit homo a diabolo persuasus voluntarie se totum avertere, potuit etiam incogitantia quaedam ex Satanae instinctu ipsi obrepere. Bellarm. praeter Thomae rationem etiam hanc affert: *Si peccatum veniale in statu innocentiae locum haberet, sequetur etiam timorem ac dolorem in eo*

statu locum habiturum. Atqui non omne veniale peccatum trahit secum poenam, ex hypothesi Scholasticorum, cum non sit contra legem, sed tantum praeter legem. Quid, quod Bellarminus c. 5. hujus libri statuit, *incogitantiam vel inconsiderationem quandam praecessisse actum superbiae, quam primum hominis peccatum fuisse pugnat;* illa incogitantia utique fuisset peccatum veniale, si consequens superbiae peccatum fuit primum mortale.

Uter primorum parentum gravius peccaverit.

39. Quaeritur 4. *An Adam gravius peccaverit quam Eva?* Nos quaestionem hanc judicamus otiosam et inutilem, sufficit scire, quod utriusque peccatum fuerit gravissimum, si vel maxime comparatio illa non instituatur. Thom. 2. 2. q. 163. art. 4: *Si consideremus conditionem personae, peccatum viri erat gravius; quantum ad genus peccati, utriusque peccatum est aequale scilicet superbia; quantum ad speciem superbiae, gravius peccavit Eva.* 1. *quia superbia ejus ad hoc se erexit, quod contra Dei voluntatem similitudinem divinam consequi voluit; vir in hoc superbivit, quod voluit eam consequi per se ipsum.* 2. *Mulier non solum ipsa peccavit, sed etiam viro peccatum suggessit.* 3. *Vir in hoc peccatum consensit amicabili quadam benevolentia.* Bonav. 2. sent dist. 22. q. 3: *Quantum ad ingratitudinem, gravius peccavit vir quam mulier, quia magis improba voluntate peccavit, dum concupivit*
IV. 312. *Deo assimilari; quantum ad corruptionem ex culpa ortam, mulier peccavit gravius, quia ab ea processit peccatum in Adamum et posteros per modum occasionis. Aliter potest dici, quod peccatum consideretur primo ratione peccantis, secundo ratione ipsius peccati, priori modo Adae, posteriori vero Evae peccatum gravius fuit.* Biel 2. sent. dist. 22. q. 1. art. 3: *Peccatum Evae simpliciter gravius fuit peccato Adae, processit enim ex majori superbia, majori libidine et contemtu Dei, secuta etiam fuit gravior poena.* art. 4: *ex circumstantia dignitatis personae, resistendi fortitudine, prudentia et vigore damni ac respectu sequelae peccatum Adae gravius fuit.* Placet hic nobis illud Augustini 11. de Gen. ad lit. c. 25: *Peccarunt primi parentes impari sexu, sed pari fastu;* falsum igitur est, quod Lomb 2. sent. dist. 22. lit. E. putat; *Adamum ab ambitione divinitatis alienum fuisse*, cujus contrarium diserte exstat Gen. 3, v. 22. Bellarm. 3. de amiss. grat. et stat. peccat. c. 9. statuit, *virum nec errorem nec culpam agnovisse, ideo gravius quam feminam peccasse;* idem tamen c. 12. ex Irenaeo scribit, *quod in signum poenitentiae induerit se asperis perizomatis ex foliis ficulneis, quasi sacco et cilicio, at* quomodo edidisset poenitentiae signa absque cognitione culpae.

An peccatum Adae omnium fuerit gravissimum?

40. Quaeritur 5. *An peccatum Adae fuerit omnium peccatorum gravissimum?* Respondemus: Adamus totius humani generis personam gerebat, in summa integritate et rectitudine erat creatus, ideoque Dei mandato absque ulla difficultate obtemperare poterat; quibus respectibus peccatum Adae omnibus posterorum peccatis gravius fuit. August. 14. de civ. DEI c. 12: *Nemo existimet peccatum* [primorum parentum] *ideo leve ac parvum fuisse, quia in esca factum est, non quidem mala nec noxia, nisi quia prohibita; sed obedientia commendata est in praecepto, quae virtus in creatura rationali mater quodammodo est omnium custosque virtutum, quandoquidem sic facta est, ut ei subditam esse sit utile, perniciosum autem suam, non ejus, a quo creata est, facere voluntatem. Hoc itaque de uno cibi genere non edendo, ubi aliorum tanta copia subjacebat, tam leve praeceptum ad observandum, tam breve ad memoriam retinendum, ubi praesertim nondum voluntati cupiditas resistebat, quod de poena transgressionis postea est secutum, tanto majore injustitia est violatum, quanto faciliore posset observantia custodiri.* Idem in Enchirid. ad Laur. c. 26: *Adamus stirpem suam, quam peccando in se tanquam in radice vitiaverat, poena mortis et damnationis obstrinxit*; de corrept. et grat. c. 12: *terrente nullo et insuper contra DEI terrentis imperium libero usus arbitrio non stetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi felicitate.* Scholastici disputant, peccatum Adae non fuisse gravissimum simpliciter, sed ex quibusdam circumstantiis. Vide comm. 2. sentent. dist. 21.

41. Quaeritur 6. *An peccatum Adae fuerit per ignorantiam excusabile?* Respondemus: Ignorantia alia est invincibilis, alia voluntaria et affectata. Augustin. de grat. et lib. arbitr. c. 3. *Aliud est nescire, aliud scire noluisse*, libro tertio de libero arbitrio, capite vigesimo secundo, *non quod naturaliter nescit et quod naturaliter non potest, hoc animae deputatur in reatum, sed quod scire non studuit. Jam vero primi parentes ad imaginem Dei, h. e. in perfecta sapientia, justitia et sanctitate erant conditi, quomodo ergo ignorare potuerunt DEI voluntatem, quam diserta prohibitione testatam Deus fecerat?* Biel. 2. sent. dist. 22. q. 2. art. 1: *In primis parentibus ante peccatum non fuit error aut ignorantia circa ea, quae pertinent ad salutem, quia noverant praeceptum, noverant etiam hunc actum esse contra praeceptum,* art. 3: *Peccatum primorum parentum non processit ex ignorantia legis, nec ex infirmitate, sed ex electione, i. e. deliberatione et plena scientia deformitatis actus.*

An Adamus ex ignorantia peccaverit.

CAPUT III. IV. 313.

DE ILLIS, QUAE LAPSUM PRIMORUM PARENTUM SECUTA SUNT, TRACTAT.

42. Hunc primorum parentum lapsum secuta est ingens malorum Ilias. *Aperiebantur oculi ipsorum, et videbant se esse nudos, consuebant folia ficus et parabant sibi perizomata* Gen. 3, v. 7. Illa oculo-

Consecuta post lapsum.

rum apertio est sensus peccati et conscientiae stimulus; tum demum cognoscebant, quam graviter Deum offendissent, ex quanta felicitate deturbati et in quantum miseriarum barathrum per peccatum demersi essent. *Ante lapsum nihil putabant velandum, quia nihil sentiebant refrenandum.* Aug. 11. de Gen. ad lit. c. 1. post lapsum autem videbant se esse nudos, animadvertebant se spoliatos esse concreata justitia et integritate, carnem stimulis libidinum excitari et legem membrorum legi mentis reluctari. August. 14. de civ. DEI c. 17: *Nudi erant* [ante lapsum] *et non confundebantur, non quod eis sua nuditas esset incognita, sed turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido membra illa praeter arbitrium commovebat, nondum ad hominis inobedientiam redarguendam sua inobedientia caro quodammodo testimonium perhibebat.*

43. Quantae tenebrae in locum amissae sapientiae successerint, indicio esse potest, quod ex foliis ficus perizomata sibi consuunt, et perspicaces DEI oculos se fallere posse existimant, cum tamen divinae majestatis oculi omnia penetrent, corda et renes probent, et absconditos cordium nostrorum recessus in lumine vultus sui expositos habeant. *Latere volebant eum, quem latere nihil potest, et carnem occultare ab eo, qui est inspector cordis,* August. de Gen. ad lit. c. 34. Cum excaecatione illa peccatum secuta conjunctus est terror, tremor ac trepidatio; fugiunt enim conspectum Dei, quem antea familiarissime alloquebantur. Trepidant coram eo, quem antea summa cum laetitia audiebant. Terrentur folii vento agitati tenuissimo spiritu, cum antea in summa mentis pace ac tranquillitate viverent.

44. Sed et ad tribunal judicii divini sistuntur, ac causa ipsorum discutitur. Ubi observandum, quod ad tristissimam caecitatem in mente, aversionem et fugam Dei in voluntate, repugnantiam in membris, accesserit etiam peccati extenuatio et culpae in alium translatio. Adamus culpam transfert in Evam, quasi ad hoc data mulier, ut non ipsa potius obediret viro quam ut obedientem haberet virum; Eva in serpentem; quasi non fuisset sufficientibus viribus instructa ad resistendum seductioni. Revera autem in ipsum Deum transfertur culpa, qui serpentem et Evam creaverat, atque hanc viro in adjutorium dederat.

Poena primorum parentum. 45. Bellarm. 3. de amiss. grat. et stat. peccat. c. 11. de poena primi peccati disserentes, in eo peccat, quod *arbitratur* Gen. 2, *nullam fieri a Deo mentionem propriae et adequatae istius poenae, quam homo per peccatum incurrit, videlicet quod per primum peccatum originalis justitia sit amissa.* Atqui quando Deus Adamum vocat et ei dicit: *ubi es?* v. 9. quando ex ipso quaerit, quis indicavit tibi, quod nudus esses? v. 11. Satis perspicue miseriam, quam originalis justitiae amissione incurrit, homini ob oculos ponit; *non enim fuit haec vox ignorantis, sed increpantis.* Aug. 11. de Gen. ad lit. c. 34. *fuit etiam vox commiserantis,* interprete Chrysostomo h. l. Qui fit, quod meum fugis conspectum, quod exhorrescis audita mea voce, cum antea alacris et laetus mihi occurreres? Cur de nuditate erubescis? annon agnoscis corruptionem naturae ex peccato ortam? haec certe eo directa fuerunt omnia, ut ad agnitionem peccati et miseriae per peccatum introductae homo perduceretur. Quae poenae loco primis parentibus denuntiantur, ea proprie loquendo sunt paternae castigationes ipsis tum demum impositae, postquam per IV. 314. evangelicam de semine mulieris caput serpentis contrituro promissionem in gratiam erant a Deo recepti. Evae denuntiatur hoc, quod libidinosum conceptum laboriosa gestatio et multiplices partus dolores sint secuturi, quodque viro cogetur subjici. Viro denuntiatur bonarum frugum sterilitas, noxiarum fertilitas, victus difficultas, laboris anxietas, ac tandem mortis acerbitas. Hae calamitates primis parentibus post peccati remissionem impetratam sunt impositae, ut essent perpetuum μνημόσυνον gravitatis lapsus, ac salutare a peccatis προφυλακτικόν, denique poenitentiae, spei, patientiae et aliarum virtutum παιδευτήριον.

46. Poenam serpenti inflictam ita exponit Bellar- Poena serpentis. minus dicto loco, ut totam istam sententiam primo *referat ad naturalem serpentem, ac postea eandem totam accommodet ad diabolum,* qua in parte discedit a genuina et legitima textus expositione, quippe cujus prior pars ad naturalem serpentem pertinet [non ad diabolum], cum Deus sic intonat v. 14: *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animalia et bestias terrae, super pectus tuum gradieris et terram comedes cunctis diebus vitae.* Posterior comminationis pars proprie ad Satanam spectat [non ad naturalem serpentem], cum Deus ita loquitur v. 15: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius, ipsum conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Cum primos parentes non nudus quidam, sed Satana stipatus serpens seduxerit, quid textui magis conforme, quam si haec comminatio divina, ratione partis prioris ad naturalem, et ratione posterioris partis ad infernalem serpentem referatur? Neque mirum cuipiam videri debet, quod serpenti poena haec infligitur, qui tamen est ζῶον ἄλογον; voluit enim Deus peccati deformitatem et irae suae magnitudinem ob oculos primis parentibus statuere ac publicum reatus signum in eo proponere, quod ipsi omnium creatori et in omnia a se condita authenticum imperium habenti utique licuit; indicitur autem ei poena triplex; quarum prima διαγωγὴν et convictum, altera μορφὴν et corporis formam, tertia δίαιταν et victum concernit. Bellarminus ad Satanam haec accommodans vim textui infert: *Diabolus* [inquit] *maledictus est inter omnia animalia et bestias terrae, quia miser ac vilis effectus est super omnes sive angelos sive homines peccatores. Super pectus graditur diabolus, tum quia in astutia sua confidit, tum quia permittitur a DEO de superbia et falsa potestate gaudere. Terram comedit diabolus,*

vel quia terrenos homines vorat, vel quia in terrena sanctorum corpora potestatem exercet, animas autem occidere non potest. Id facit cunctis diebus vitae suae, id est, usque ad diem judicii; quae omnia sunt contorta et a textu aliena. Sane quidam ex patribus etiam his allegoriis delectantur, interim tamen fatentur, hanc comminationis partem proprie et in sensu literali de naturali serpente intelligenda esse. Posterior pars tantum pertinet ad diabolum, cui bellum per semen mulieris olim inferendum et contritio capitis, hoc est, potestatis ac regni destructio denuntiatur; quam evangelicam promissionem non patiamur a Bellarmino, Calvino, Photinianis
IV. 315. et Rabbinis ita depravari, ut in sensu literali ad naturalem serpentem referatur, qua de re plura superius.

Evangelica promissio primis parentibus data.

47. Vi divinae comminationis pereundum ipsis fuisset aeterna morte, nisi Deus ex arcano suae majestatis consilio et abysso misericordiae suae primam evangelicam promissionem de semine mulieris contrituro caput serpentis protulisset. Semen illud mulieris est Christus DEI filius ex virgine natus, *qui venit ut opera diaboli vicissim destrueret* 1. Joh. 3, v. 8; includitur autem in hac sententia redemtio a peccato, morte et inferno. Si enim serpentis caput conteri debet, profecto oportet aboleri mortem. Si mors aboletur, etiam mortis meritum aboletur, h. e. peccatum. Si peccatum, ergo et maledictio legis, nec id tantum, sed restituitur simul obedientia, quae amissa est, et spes vitae aeternae ostenditur, ut pulchre D. Lutherus hoc observat. Simul etiam ostenditur, redemtionem illam et serpentini corporis contritionem ita fore comparatam, ut Christi calcaneus conteratur, id est, eripiendam ipsi vitam, adigendum eum in crucem, et vera Christi membra cruci in hac vita fore subjecta.

48. Hanc evangelii promissionem de Messia primi parentes vera fide sunt amplexi, et salutis, qua per peccatum exciderant, participes facti; inde Adamus uxorem suam vocat Hevam, id est, viventem, qua ὀνομαϑεσίᾳ fidem suam profitetur, quod scilicet credat, ex Heva nasciturum vitae ducem, qui mortem per peccatum in mundum introductam aboliturus sit, ac vitam hominibus restituturus; inde Eva nato Caino exclamat: *Possedi virum Dominum*, existimans se verum Jehovam serpentini capitis contritorem peperisse. Eo etiam spectant sacrificia Caini et Abelis, quem divini cultus modum procul dubio per Adamum Deus ipsis manifestaverit; eodem spectant verba illa de levatione sive remissione peccati in promisso semine quaerenda. Gen. 4, v. 7. Iren. lib. 3. c. 34: *Nimis irrationabile est, illum quidem, qui vehementer ab inimico laesus erat, et prior captivitatem passus est, dicere non eripi ab eo, qui vicerit inimicum, ereptos vero filios ejus, quos in eadem captivitate generavit, nec victus quidem adhuc parebat inimicus, ipsis veteribus spoliis manentibus apud eum.* c. 35: *Deus non ipsum maledixit Adam, sed terram in operibus ejus, quoniam quidem transtulit Deus maledictionem in terram, ut non perseveraret in homine.* c. 36: *Mentiuntur omnes, qui contradicunt ejus* [Adami] *saluti, semper se ipsos excludentes a vita, eo quod non credant inventam ovem, quae perierat; si autem illa non est inventa, adhuc possidetur in perditione omnis hominis generatio: mendax ergo is, qui prior hanc sententiam, imo hanc ignorantiam et caecitatem induxit Tatianus.*

Peccatum Adae etiam nos attingit.

49. Porro primorum parentum peccatum, et quae illud secuta sunt, non ita intueamur, ac si ad ipsos solos spectassent, nulla autem ex parte nos attingerent; quia *Adam postea genuit filium ad imaginem et similitudinem suam* Gen. 5, v. 3: qualis ipse erat, tales filios generabat, imagine Dei spoliatos, et justitia originali destitutos, peccato, irae Dei, morti et damnationi obnoxios. Fuit Adam et in illo fuimus omnes, periit Adam et in illo periimus omnes.

50. Ut parentibus possessionem feudi amittentibus etiam filii masculi eam amittunt, quia parentes non tantum pro se, sed etiam pro filiis eam acceperunt; ita primi parentes ad imaginem Dei creati, dona illa Dei benignitate sibi concessa pro se et posteris instar depositi fideliter custodienda acceperant, ideo etiam ea non sibi tantum, sed toti stirpi ex se genitae peccando perdiderunt.

51. Per hominem victum tota natura corrupta est et quasi fermentata peccato. Anselm. libr. 1. Cur Deus homo c. 23: *Tota natura humana in illis erat, et extra illos de ea nihil erat, ideo tota spoliata, infirmata et corrupta est, remansit in ea debitum justitiae, quam acceperat, debitum satisfa-* IV. 316. *ciendi, quod eam deseruerat, cum ipsa corruptione, quam per peccatum incurrerat.* Idem. de conc. virg. c. 2: *Quemadmodum igitur ex radice corrupta germina et fructus enascuntur pravi et corrupti, ex impuro fonte sordidi promanant rivuli, ex parentibus leprosis liberi generantur leprosi; ita ex primis parentibus peccato corruptis et depravatis nascuntur omnes posteri per peccatum corrupti et depravati.*

52. Peccatum ergo illud non est modis omnibus a nobis alienum, quia Adam non ut privatus homo, sed ut caput totius humani generis peccavit; atque ut natura humana per ipsum communicata fit propria cuique personae ex ipso genitae, sic et naturae corruptio per propagationem communicatur. Ac proinde quemadmodum tribus Levitica inclusa lumbis Adae decimas obtulisse Melchisedecho dicitur Hebr. 7, v. 9; ita et nos, qui in lumbis Adae peccantis delituimus, in et cum ipso non modo corrupti, sed et rei irae Dei facti sumus. [Collationis gratia huc referri potest, quod l. 5. C. ad l. Jul. majest. statuitur, *ob crimen laesae majestatis etiam liberos puniendos esse.]*

53. Ut ergo Adam post lapsum amisit lucem divinae sapientiae, ita et nos nascimur destituti illa cognitionis divinae luce. Ut Adam fugit conspectum Dei, ita et nos tales nascimur destituti filiali Dei fiducia. Ut Adam peccatum extenuat et excusat; ita et nos tam extreme corrupti sumus, ut extremam illam corruptionem nec satis agnoscamus nec deplo-

remus. Ut Adam per lapsum incurrit Dei offensionem, vocatur ad Dei judicium, et aeternae morti fit obnoxius, ita et nos *natura sumus filii irae* Eph. 2, v. 3.

54. Id sibi responsum statuant Pelagiani, quibus videtur a Dei misericordia et justitia alienum, nos alieni peccati poenas luere: atqui peccatum originale non est malum alienum, nec nos innocentes nascimur, sed peccati illa lues per carnalem generationem in nos propagata in nobis ipsis veluti lepra quaedam residet. August. lib. 6. contr. Julian. c. 4: *Quod dicis alienis peccatis alterum obnoxium non teneri, interest quatenus recte possit intelligi. Neque nunc ago, quod peccavit David, et pro peccato ejus tot hominum milia ceciderunt.* 2. Reg. 24. *et quod de anathemate contra interdictum, quia usurpavit unus in eos, qui hoc non fecerant, nec factum fuisse noverant, vindicta processit. Alia disputatio est, neque nunc terrere nos debet de hoc genere peccatorum sive poenarum. Parentum autem peccata quodam modo dicuntur aliena, et rursus quodam modo reperiuntur et nostra; aliena quippe proprietate sunt actionis, et nostra sunt contagione propagationis.* Idem lib. 13. de civ. Dei c. 14: *Homo sponte depravatus justeque damnatus depravatos damnatosque generavit; omnes enim fuimus in illo uno, quando omnes ille unus corrupit; nondum erat nobis sigillatim creata et distributa forma, in qua singuli viveremus, sed jam natura erat seminalis, ex qua propagaremur, qua scilicet propter peccatum vitiata et vinculo mortis obstricta, justeque damnata, non alterius conditionis homo ex homine nasceretur, ac per hoc a liberi arbitrii malo usu series hujus calamitatis exorta est, quae humanum genus origine depravata, velut radice corrupta, usque ad secundae mortis exitium deducit, quae non habet finem, solis eis exceptis, qui per gratiam Dei liberantur.*

Distributio sequentium.

55. Et hoc est illud, quod dicitur originale peccatum, de quo sequentibus agemus capitibus: 1. An sit. 2. Quid sit, tum ratione nominis, tum ratione τοῦ αὐτοῦ εἶναι. 3. Quodnam ejus sit subjectum. 4. Quomodo in posteros propagetur. 5. Quae sit ejus propria poena. 6. Quomodo ab eo vicissim liberemur. Hisce membris tota hujus originalis luis natura commode explicari poterit.

IV. 317.

CAPUT IV.

AN SIT PECCATUM ORIGINIS?

An sit originale peccatum.

56. Esse peccatum originis, h. e. derivari ab Adamo per carnalem generationem in posteros aliquod vere et proprie dictum peccatum, negavit olim magno conatu Pelagius Brito tempore Theodosii junioris, a quo Pelagiani nomen sunt sortiti, de quibus sic scribit Aug. lib. de haeres. c. 88: *Negant parvulos secundum Adam carnaliter natos contagium mortis antiquae prima nativitate contrahere; sic enim eos sine ullo peccato originalis vinculo asserunt nasci, ut prorsus non sit, quod eis oporteat secunda nativitate dimitti, sed eos propterea baptizari, ut regeneratione admittantur ad regnum Dei, de bono in melius translati, non ista renovatione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti; nam etsi non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen aeternam et beatam vitam; ipsum quoque Adamum dicunt si non peccasset, corpore fuisse moriturum, neque mortuum merito culpae sed conditione naturae.* Idem lib. 2. de bon. persev. c. 2: *Tria sunt, ut scis, quae maxime adversus eos* [Pelagianos] *catholica defendit ecclesia, quorum est unum, gratiam Dei non secundum merita nostra dari; alterum est, in quantacunque justitia sine qualibuscunque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere; tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis et vinculo damnationis obstrictum, nisi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione solvatur.* In prolog. hypogn. cont. Pelag. et Coelest.: *Hujusmodi dogmatis* [Pelagiani] *ista est nefanda blasphemia. Adam, inquiunt, sive peccasset sive non peccasset, moriturum fuisse; tamen peccatum ejus nemini nisi solum nocuit ipsi, et posse hominem per liberum arbitrium tanquam per se sibi sufficienter implere quod velit, vel etiam meritis operum a Deo gratiam unicuique dari; libidinem naturale esse bonum, nec in ea esse quod pudeat; et parvulos baptizatorum filios non trahere originale peccatum, neque perituros a vita aeterna, si sine sacramento baptismi ex hac vita migraverint.*

Pelagiani.

57. Pelagianorum errorem nostro seculo quidam directe propugnant, quidam vero oblique ac per indirectum falsis suis hypothesibus peccatum originis extenuando fulcra et subsidia ei praebent. Directe peccatum originis negant: 1. Anabaptistae, *qui fingunt, peccatum morte Christi ita sublatum esse, ut infantes in N. T. sine peccato ac innocentes nascantur, sola servitute mortis excepta,* referente Sleidano lib. 10, *ideoque infantes baptizandos esse negant, cum nulli peccato nascantur obnoxii.* 2. Photiniani, qui in Cat. Racov. p. 285. διαῤῥήδην *originale peccatum negant, imo asserunt, ne Adami quidem dona naturalia per peccatum corrumpi potuisse, nedum posterorum.* Joh. Sommerus in tr. de justif. f. 40. et 43. *peccatum originis vocat fabulam monachorum, natam ex pravo intellectu Scripturae et excogitatam ad defendendam paedobaptismi superstitionem.* Ostorod. in Inst. Germ. c. 35: *Non concedimus, quod propter primum hominis peccatum natura sit corrupta.* 3. Cinglius, qui in confess. an. 30. edita et Carolo Imp. oblata art. 4. sic scribit: *Velimus nolimus cogimur admittere, peccatum originale, ut est in filiis Adae, non proprie peccatum esse, non enim est facinus contra legem, morbus igitur est proprie et conditio.* 4. Quidam ex Pontificiis: Jacob. Faber in 5. ad Rom. docet, *nihil nos ex Adamo trahere, nisi obli-*

Directe peccatum originis negant: 1. Anabaptistae.

2. Photiniani.

IV. 318. 3. Cinglius.

4. Quidam Pontificii.

gationem ad mortem. Alb. Piggius controvers. prima de peccat. orig. et Ambr. Catharinus lib. de lapsu homin. et peccat. orig. c. 6. statuunt, *peccatum originis non habere veram peccati rationem, sed esse tantum reatum, quo posteri primorum parentum propter transgressionem illorum primaevam sine aliquo vitio proprio et inhaerente naturae pravitate devincti teneanter.* Quam sent. Bellar. 5. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 6. mollissime vocat *minus rectam.* Ruard. Tapper. in art. de peccato origin. sic scribit: *In parvulo recens nato nihil inveniri, quod vere et proprie peccati rationem habeat.* Corn. Canon. Colon. tom. 2. animad. disput, *peccatum originale non esse proprie peccatum, cum non sit defectus perfectionis homini necessariae ad beatitudinem, pravitatem non esse haereditariam nec a parentibus in liberos transmitti posse, cum ipsi sint purgati; solos eos, qui usu rationis ac liberi arbitrii praediti sunt, lege obligari: insanum esse et in Deum blasphemum, si dicatur, originalis peccati pravitatem omnes naturae nostrae partes ita pervasisse, ut omnibus flagitiis et criminibus sit foecunda nec possit aliud, quam DEO et legi repugnare* etc.

Oblique Pelagianismum introducunt: I. Scholastici et Pontificii.

58. Oblique Pelagianismo fomenta praebent et peccatum originis extenuant Scholastici et Pontificiii, dum statuunt, *1. peccatum originis nihil aliud esse quam doni cujusdam supernaturalis carentiam, ipsam interim naturam hominis puram atque integram mansisse; 2. dum libere de τῷ εἶναι hujus peccati disputant ac disputandum relinquunt, ac si esset res quaestionis, non fidei.* Andradius lib. 3. defens. Trid.: *Admodum illustres theologi laborant in explicatione peccati originalis et concil. Trident. cum definiret, peccatum originis vere esse peccatum, illius tamen propriam rationem consulto silentio involvit; 3. dum negant concupiscentiam, in qua vis hujus originalis peccati maxime conspicua est, et cujus nomine d. apostolus ipsum originis peccatum saepius intelligit, peccatum esse; 4. dum liberum arbitrium in rebus spiritualibus perfectam legis impletionem, merita bonorum operum, opera supererogationis, meritum de congruo* etc. *propugnant, adeo ut quidam scribant, Deum ex puris naturalibus super omnia a nobis diligi posse; 5. dum propagationem animae negant, quae tamen est πρῶτον δεικτικὸν peccati,* teste Thoma 1. 2. q. 83. art. 1; *sublato igitur eo, cui proprie et per se aliquid inhaeret, ipsum illud, quod inhaeret, tolli necesse est; 6. dum infantibus absque baptismo ex hac vita decedentibus locum quendam beatum, extra tamen regnum Dei assignant, perinde ut olim Pelagius; 7. dum negant omnes et singulos ex Adamo secundum ordinarium naturae cursum descendentes in et cum peccato nasci.* Alexan. Alensis [referente Trithemio de script. eccles.] de Bonaventura dicere solitus fuit: *In fratre Bonaventura non videtur Adamus peccasse. Excipiunt etiam beatam Mariam; 8. dum statuunt per baptismum ita remitti peccatum,*
IV. 319. *ut nihil amplius sit in renatis, quod habeat veram peccati rationem, quomodo ergo renati propagabunt in posteros originale peccatum?*

Bellarmini pronuntiata Pelagiana.

59. Considerabimus hoc loco quasdam Bellarmini hypotheses, quae cum orthodoxia articuli de originali peccato vix poterunt conciliari: *1. peccatum actuale non potest corrumpere dona hominis naturalia,* libr. 1. de grat. prim. hom. c. 6. Atqui Scriptura docet, justitiam originalem fuisse primo homini naturalem. Ergo non potuit per primum Adae peccatum amitti. *2. Peccatum est nomen operationis malae, quae opponitur operationi virtutis; vitium autem est nomen habitus mali, qui opponitur virtuti, ut virtus habitum significat.* 1. de amiss. grat. et stat. peccat. c. 1. Subsumo: in infantibus non est operatio mala, quae opponatur operationi virtutis. Ergo non erit in eis peccatum proprie dictum. *3. Nihil habet proprie rationem peccati, nisi sit voluntarium, unde in Augustini definitione hoc desiderari videtur, quod voluntarii expressa mentio non sit in ea facta.* Ibid. Subsumo: labes originalis non est voluntaria, sequetur inde, quod non sit peccatum proprie. C. 2. dicit, *esse hoc peccatum voluntarium aliena voluntate.* Ergo respectu Adae tantum fuit voluntarium et proprie dictum peccatum, non autem respectu nostri, inde prompte sequetur conclusio Francisci de Mayronis, quod *peccatum originis sit minus minimo veniali peccato. 4. Lex proprie non datur nisi iis, qui habent usum liberi arbitrii.* Bellarm. lib. 1. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 1. Subsumo: infantes nondum habent usum liberi arbitrii. Ergo iis proprie non datur lex, et per consequens, in eos proprie non cadit peccatum, quod est ἀνομία. *5. Quod naturale est, non potest in crimen vocari; quod in potestate nostra non est, circa illud non peccamus, sicut mors est poena et effectus peccati, non autem peccatum, ita concupiscentia est tantum poena et effectus peccati, non autem peccatum* etc. Bellar. 5. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 9. Subsumo: Peccatum originis post lapsum est homini naturale, neque est in potestate infantis. Ergo non est peccatum. *6. In Adamo praeter actum peccati fuit etiam perversio voluntatis et obliquitas ex actione relicta, per quam peccator proprie et formaliter dicebatur et erat, donec ei per poenitentiam remitteretur; actus peccati non communicatur nobis nisi per imputationem, sed illa perversitas et obliquitas ex actu relicta nobis inhaeret.* Bellarm. 5. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 17. Subsumo: Adamus tum demum genuit filium, cum ei per poenitentiam peccatum esset remissum. Ergo perversitatem et obliquitatem illam in filios propagare non potuit. Idem judicium de omnibus per baptismum renatis, in quibus ipsam peccati maculam abolitam esse Bellarminus disputat. *7. Peccatum originis non esse in quadam positiva qualitate constituendum,* contra alios Pontificios Bellarminus disputat 5. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 15; quomodo ergo doctrinam de peccato originis sincere tractaret.

2. Qui cum Calvino docent,

60. Ad classem eorum, qui per indirectum Pelagianismo militant, referendi sunt etiam illi, qui dis-

sanctos liberos ex sanctis parentibus nasci.

putant, *sanctos ex gratia gignere ex eadem gratia sanctos vi foederis per fidem apprehensi; liberos renatorum jure haereditario in foedere gratiae contineri, nec ideo baptizari, ut filii Dei tunc primum fiant, qui ante alieni fuerint ab ecclesia, sed solenni potius signo in ecclesiam recipi, ac salutem, cujus antea sint participes, in eis obsignari; sanctam ex fidelibus progeniem nasci* etc. Calv. libr. 4. Inst. c. 15. §. 20. 22. et c. 16. §. 24. in defens. 2. contra Westphal. p. 1082. Beza respond. 2. ad colloq. Mompelg. p. 102. 103. 118. 129. etc. libr. 2. quaest. ac resp. qu. 124. 126. Quamvis vero haec a quibusdam ita explicentur, quod non de inhaerente quadam sanctitate, sed de gratia foederis, in qua renatorum liberi etiam ante baptismum recepti, sint dicta, ut hac ratione assertio de sanctitate liberorum ex fidelibus parentibus progenitorum non videatur cum propagatione peccati originalis pugnare,
IV 320. necdum tamen sana est haec assertio, sed distinguendum erat inter sanctitatem spiritualem et ecclesiasticam [ut ita loquar]; liberi fidelium sunt sancti, hoc est, habentur pro natis in ecclesia, et patet ipsis aditus ad baptismum, non autem actu sunt in Dei gratia vel foedere gratiae ante baptismum, sed perinde sunt natura filii irae ut reliqui, qua de re plura suo loco.

Τὸ ὅτι peccati originalis demonstratur.

61. Varias istas ac diversas hujus articuli depravationes, quibus Pelagianum virus fovetur, excutiemus in sequentibus; hac vice contra Pelagianos breviter demonstrabimus τὸ ὅτι peccati originalis. Esse igitur peccatum originis, hoc est, veri et proprii nominis peccatum per generationem carnalem in homines secundum naturae ordinem ex Adamo genitos propagari, ostendunt haec fundamenta: 1. Scripturae dicta Gen. 5, v. 1: *Adam genuit filium ad imaginem suam* [peccato corruptam et depravatam]. Gen. 6, v. 5: *Omne figmentum cogitationum cordis humani tantum malum omni die.* Job. 14, v. 4: *Quis dabit mundum de immundo conceptum semine?* Psalm. 51, v. 7: *Ecce in iniquitatibus conceptus, et in peccatis concepit me mater mea.* Jer. 17, v. 9: *Pravum cor hominis et inscrutabile.* Joh. 3, v. 6: *Quod natum est ex carne, caro est.* Rom. 5, v. 12: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, ac per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Eph. 2, v. 3: *Eramus natura filii irae.* Haec sunt praecipua Scripturae dicta, quae de originali peccato agunt, quorum emphasin postea expendemus; secundario huc referri possunt et haec Spiritus s. effata Ps. 19, v. 13: *ab occultis meis munda me.* Ps. 25, v. 7: *Delictorum juventutis seu infantiae ne memineris.* Ps. 90, v. 8: *Absconditum nostrum collocas in lumine vultus tui.* Esai. 48, v. 8: *Transgressorem ex utero vocavi te.* Ezech. 16, v. 4: *Quando nata es in die ortus tui, non est praecisus umbilicus tuus, et aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis* etc. Rom. 7, v. 23: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae.* Veteres huc referunt ex Esdr. 4, v. 30: *Gramen seminis mali seminatum est in corde Adam ab initio, et quantum impietatis generavit usque nunc et generat usque cum veniat area?* Propria autem sedes hujus articuli est c. 5. ad Rom. 2. Testantur etiam de peccato originis omnia actualia peccata, quae sunt venenati rami ex venenata ista radice enati. Matth. 15, v. 19: *Ex corde exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae.* Matth. 7, v. 8: *Arbor mala non potest bonos fructus facere.* 3. Omnes calamitates, morbi ac mors temporalis, cui etiam infantes sunt obnoxii, de hac originali lue testimonium ferunt. Rom. 5, v. 14: *Regnavit mors etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae.* Rom. 6, v. 23: *Stipendium peccati mors est.* 1. Cor. 15, v. 21: *Per hominem mors,* v. 22: *in Adam omnes moriuntur.* 4. Necessitas παλιγγενεσίας et ἀνακαινώσεως carnalem generationem vitiosam et peccato obnoxiam esse comprobat. Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit regnum coelorum.* v. 6: *Quod de carne natum, caro est.* Accedit consensus veterum etiam eorum, qui ante Pelagianam haeresin exortam scripserunt, ad quem saepius provocat Augustinus in suis contra Pelagium disputationibus. Vide lib. 1. cont. Julian. et lib. 1. ad Bonifacium. Referri etiam huc quodammodo possunt ethnicorum testimonia. Plato lib. 2. de repub.: *Homines natura sunt mali et non possunt induci, ut justitiam colant.* In Sophista docet, *duos esse praecipue animi morbos, ignorantiam et improbitatem.* August. libr. 4. contra Julian. allegat locum ex Cic. de repub.: *Hominem a natura noverca in lucem edi, corpore nudo, fragili atque infirmo; animo anxio ad molestias, humili ad timores, debili ad labores, proclivi ad libidines, in quo divinus ignis sit obrutus, et ingenium et mores.*

Exceptiones Pelagianorum. 1. Peccatum Adae posteris nocuit imitatione.

62. Pelagianorum exceptiones, quibus Scripturae testimonia enervare sunt conati, diligenter exposuit et refutavit Augustinus, potiores tantum attingemus. Prima eaque vulgatissima exceptio erat, *peccatum* IV. 321.
Adae in mundum intrasse, non propagatione, sed imitatione. Respondemus: 1. apostolus diserte addit *mortem,* quae est peccati stipendium, *regnasse etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae,* utique ergo etiam illi peccato sunt obnoxii, qui nondum imitantur Adae peccatum. 2. Eph. 2, v. 5. *οὐ μιμήσει, ἀλλὰ φύσει nos esse irae filios asserit.* 3. Scopus apostoli erat, omnes homines, tam Judaeos quam gentiles, peccati reos agere, id efficacissime demonstrat ex peccato originali in omnes propagato. 4. Pondera verborum apostolicorum illud Pelagii subterfugium plane non admittunt, dicit *omnes peccasse* v. 12. h. e. *peccatores constitutos esse* v. 19, est enim Hebraeae linguae idiotismus, verbo actionis habitum exprimere; c. praeced. 3, v. 11. et 12. testatur, omnes homines ad bonum cogitandum, loquendum aut faciendum inutiles, ad malum contra pronos esse, quod non potest de actuali quodam delicto ad imitationem

peccati Adamici perpetrato intelligi: Confert Adamum et Christum; jam vero justitia Christi non tantum ad imitationem nobis proposita est, sed etiam per regenerationem fit nostra. Ergo etiam Adae delictum non solum imitatione, sed etiam generatione in mundum intravit. 5. Augustinus lib. 1. de peccat. merit. et remiss. c. 9. recte hoc urget: *Si de imitatione peccati agere apostolo propositum foret, tum potius dixisset exemplo Christi* Joh. 8, v. 41. et 44. *per diabolum peccatum intrasse in mundum, is enim primus peccavit.* 6. Etiam hoc Augustini responsum est 6. contra Jul. c. 12; *multos peccare actualiter, qui de Adami peccato non cogitant, quomodo ergo Adami peccatum exemplo eis noceret? particula διὰ cum genetivo veram et propriam rei causam exprimit, jam vero qui peccant, non ideo peccant, ut imitentur Adamum; proinde si de sola imitatione apostolus loqueretur, non dixisset nec potuisset dicere, per unum hominem peccatum in mundum intrasse.* 7. Idem serm. 7. de verb. apostoli, urget verbum: pertransiit quod significat peccatum et mortem non substitisse in Adamo, sed ab eo et ex eo in omnes posteros pertransiisse. 8. *Ut per peccatum mors, ita per unum hominem peccatum in mundum intravit:* Jam vero peccatum est propria causa mortis, non improprie vel ex occasione vel per accidens. Ergo etiam unus ille homo peccator est causa propria peccati, quod in posteros propagatur; si exemplo solum noceret, per accidens et ex occasione causa peccati esset. 9. Loquitur apostolus generaliter de mundo, hoc est, de omnibus hominibus. Infantes vero imitatione peccatum non contrahunt Rom. 9, v. 11. Vide plura apud Augustinum lib. 1. de pecc. merit. et remiss. in libris contra Julian. Pelag. et Coelest. etc.

2. Ἐφ᾽ ᾧ, h. e. propter quod peccarunt.

63. Altera Pelagianorum exceptio haec erat: *Phrasis ἐφ᾽ ᾧ, in quo omnes peccarunt* Rom. 5, v. 12. *sic explicanda est, propter quod omnes peccarunt, h. e. mors pertransiit in omnes, propterea quod Adamum peccando imitantur.* Respondemus: August. lib. 6. contra Julian. c. 12 *hanc visionem improbat et vocabulum ᾧ accipit pro relativo*, sed res eodem recidit. Sive enim ἐφ᾽ ᾧ accipias esse causaliter, sive relative dictum, nihil decedet veritati. Particulas ἐφ᾽ ᾧ quandoque ita usurpari, ut causae redditionem significent, exemplis probant Varinus, Budaeus et Suidas. Unde etiam D. Lutherus in versione Germanica causaliter reddidit, erit ergo sensus: Mors pertransiit in omnes homines, quia omnes peccaverunt, i. e. quia Adamus humani generis parens, omnium posterorum, qui per carnalem generationem ex ipso descendunt, personam repraesentans peccavit, qui ad divinam imaginem conditus non tantum pro sese, sed etiam pro tota posteritate dona illa acceperat. Neque hanc versionem improbat Augustinus, sed novum ac distortum illum sensum, quem ex ea exsculpere nitebatur Pelagius. Si vero in sensu relativo particulas ἐφ᾽ ᾧ exponas, sequetur itidem, in Adamo primo omnium hominum parente tanquam in massa originaliter omnes peccasse, perinde ut apostolus pronuntiat 1. Cor. 15, v. 22. *in Adamo omnes mori.*

IV. 322.

3. Multis, non omnibus nocet Adae lapsus.

64. Tertio subterfugium quaerebant Pelagiani in vocabulo *multi*, ex quo inferebant: *si propagatione peccatum Adae noceret, omnibus utique, non tantum multis, noceret.* Respondemus: 1. Diserte apostolus universalem addit v. 18: *per unius delictum in omnes homines in condemnationem.* 2. *Mortem in omnes homines pertransiisse* dicit v. 12. *quae utique peccati stipendium est* 1. Cor. 15, v. 22. *in Adamo omnes moriuntur.* 3. v. 12, c. 5. Rom. dicit, *peccatum intrasse in mundum*, jam vero mundus proprie notat totum genus humanum. 4. Ergo vox *multi* non est hoc loco restringenda, sed pro universali habenda; multi constituti sunt peccatores, h. e. omnes, qui revera sunt multi. Augustinus libr. 6. contra Julian. c. 12. confert has locutiones. *Patrem multarum gentium constitui te, et in semine tuo benedicentur omnes gentes.* Postea addit: *sanus intellectus est, ideo sic locutam Scripturam, quia possunt esse aliqua omnia, quae non sunt multa, et rursus possunt esse aliqua multa, quae non sunt omnia.*

Argumenta Pelagianorum. 1. Ezech. 18: Filius non portabit iniquitatem patris.

65. Argumenta Pelagianorum potiora haec erant: 1. Ezech. 18, v. 20: *Filius non portabit iniquitatem patris.* Respondemus: Agitur eo loco non de originali, sed actualibus peccatis, quorum poenam non portat filius, si a peccatis flagitiosi parentis desistat et convertatur. Invertimus igitur argumentum, quia infantes puniuntur morbis et morte, utique proprium aliquod peccatum habent, propter quod puniuntur, nimirum peccatum originis in ipsos a parentibus propagatum, quod non amplius est ab eis alienum, sed contagione propaginis in eos transfusum. August. libr. 6. contra Julianum c. 4. 2. Ps. 106, v. 38: *Infantes pronuntiantur innocentes.* Jon. 4, v. 11: *Non noverunt inter dextram et sinistram.* Rom. 9, v. 11: *Nondum natis pueris, cum neque boni quippiam fecissent nec mali.* Respondemus: Comparate haec sunt intelligenda, respectu actualium peccatorum, non autem respectu originalis. 3. Rom. 4, v. 15: *Ubi non est lex, ibi nec praevaricatio.* Respondemus: Infantes et sunt sine lege, id est, ignorant legem Rom. 2, v. 12. et non sunt sine lege, id est, non sunt liberi ab accusatione, qua lex omnem ἀνομίαν arguit ac damnat. 4. *Si statuitur peccatum originis, Deo infantes in utero formanti tribuendum erit peccatum, damnanda erant conjugia* etc. Respondemus: Distinguendum est naturae vitium a Dei naturam formantis beneficio; propagatur utrumque et natura et naturae vitium, quorum illud est bonum, hoc malum: *illud de conditoris largitate sumitur, hoc de originis damnatione attrahitur.* August. de grat. et pecc. orig. c. 33. 5. *Si piorum parentum peccata in baptismo sunt remissa, quomodo ergo in liberos peccatum propagabunt?* Respondemus: Non secundum gratiam, sed secundum naturam fit carnalis generatio. August. serm. 14. de verb. apost.: *Quando Pelagiani dicunt et parvu-*

2. Infantes sunt innocentes.

3. Sunt sine leges.

4. Deus format foetum in utero materno.

5. Parentum piorum peccata sunt in baptismo remissa.

los turbant: si de peccatore peccatores nati sunt, quare non de baptizato jam fideli, cui remissa sunt omnia peccata, justi nascuntur? cito respondeto, ideo de baptizato non justus nascitur, quia non eum generat, unde regeneratus, sed unde generatus est; quod nascitur de carne, caro est. Quaeris, ut de justo non justus nascatur, cum videas justum esse nisi regeneratum omnino non posse? miraris, quare peccator nascatur de semine justi, non te delectat mirari, quare oleaster nascatur de semine olivae. Accipe aliam similitudinem; justum baptizatum pone granum purgatum, non attendis, quia de grano purgato frumentum cum palea nascitur, sine qua seminatur. lib. 6. contra Jul. c. 3: *utitur exemplo Hebraeorum, qui circumcisi generabant liberos incircumcisos.* 6. *Ad peccatum requiritur consensus propriae voluntatis.* Respondemus: August. libr. 3. contra Julian. c. 5: *hoc recte dicitur de proprio cujusque peccato, non de primi peccati originis contagio.* lib. 2. de nupt. et concup. c. 28.

6. Nullum peccatum nisi voluntarium.

IV. 323. respondet, *originale peccatum esse voluntarium voluntate primi parentis, in quo omnes peccarunt,* sed prior solutio simplicior est ac tutior. li. 1. retract. c. 13: *omne peccatum voluntarium esse intelligendum,* 1. *de illo peccato, quod tantummodo peccatum, non quod etiam peccati poena;* 2. *peccata, quae vel a nescientibus vel a coactis perpetrantur, non omnino possunt sine voluntate committi;* 3. *originale peccatum ideo vocatur voluntarium, quia ex primi hominis mala voluntate contractum.* Dicimus ergo, nimis argutum ac procul petitum esse, si peccatum originale dicitur aliena voluntate voluntarium; sequetur enim, quia non in nobis, sed in Adamo proprie voluntarium, quod non in nobis, sed in Adamo proprie sit peccatum, et si in voluntate atque actione Adae proprie peccati nostri ratio quaerenda est, cur non et caeterae ipsius actiones, adeoque etiam ipsa conversio nobis imputantur.

An protestantes negent originale peccatum.

66. Exposuimus hactenus τὸ ὅτι peccati originalis contra Pelagianos, cui tractationi antequam finem imponamus, excutiendum est audax atque impudens illud pronuntiatum Bellarmini libro 4. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 2: *Lutherani, ut donum justitiae originalis naturae superadditum atque habituale minime agnoscunt, ita nec ejus privationem agnoscere possunt, et ideo peccatum originis in ipsa concupiscentia, quam proprie peccatum esse volunt, constituere et collocare coguntur, ex quo sequitur, ut ipsi etiam Lutherani peccatum originis negent, quamvis acriter pro eo asserendo pugnent, nam concupiscentia illa non est peccatum nisi metonymice.* Respondemus: committitur insignis paralogismus et sophisticatio *παρὰ τὸ πῆ καὶ ἁπλῶς*, negamus justitiam originalem fuisse donum aliquod supernaturale et extrinsecum, num propterea absolute et simpliciter originalem justitiam in primo homine ante lapsum et amissionem justitiae originalis post lapsum negamus? diserte dicimus peccatum originale complecti tum *σιέρησιν ἐπικτήτου καλοῦ*, tum etiam *θέσιν ἐπεισάκτου κακοῦ*, quod Bellarm. non ignorat, sic enim scribit lib. de grat. primi hominis c. 5: *Adversarii censent, rectitudinem illam, in qua creatus est Adam, fuisse illi naturalem hoc modo, quod fuerit velut quaedam sanitas debita naturae, aptaque nasci ex ipsa natura bene constituta, h. e. non corrupta, et nunc hominibus, qui eam rectitudinem amiserunt, in Adamo deesse aliquod donum naturale* etc.; huic nostrae sententiae opponit suam, *quod corruptio naturae non ex alicujus naturalis doni carentia neque ex alicujus malae qualitatis accessu, sed ex sola doni supernaturalis ob Adae peccatum amissione profluxit.* Haec Bellarminus nos ab intentato crimine ipsemet liberans. Caeterum quod concupiscentia, in qua vis originalis peccati maxime conspicua est, vere peccatum sit, suo loco evidenter ostendemus.

CAPUT V.

ΤΟ ΕΙΝΑΙ PECCATI ORIGINALIS EXPLICAT.

67. Procedimus ad τὸ εἶναι peccati originalis demonstrandum, quod tum nominis, tum rei definitio nobis manifestabit. Dicitur peccatum originale non ab origine mundi, vel ab origine humanae naturae, sed 1. *ab origine cujusque hominis, qui ex immundo semine concipitur,* Anselmus de concept. virg. c. 1. 2. Quin et respectu Adae, a quo tanquam communi origine in omnes haereditario jure derivatur et tanquam contagium serpit. 3. Addunt quidam, dici originale respectu peccatorum actualium, quae ex eo originem trahunt. Psalm. 19, v. 13: vocatur *peccatum occultum* מִנִּסְתָּרוֹת in gen. femin. *ab occultis munda me.* Psalm. 25, v. 7. distincte recensentur transgressiones, h. e. delicta actualia et delicta נְעוּרַי *juventutis* seu infantiae et nativitatis, ita enim usurpatur haec vox Exod. 2, v. 6. Jud. 13, v. 8. Esa. 7, v. 16. Psalm. 90, v. 8. vocatur haec corruptio Alumenu absconditum nostrum. Id Doct. IV. 324.
Chemnic. sic explicat: *Sicut juvenis in sacra lingua dicitur* Alam *absconditus, ideo quod nondum exercet vel oeconomicam gubernationem vel publicam et politicam aliquam administrationem, sed latet adhuc privatus; ita haeret in nobis illa pravitas, etiamsi actionibus manifestis se non prodat, et tam profunde latet, ut non nisi illuminatione vultus DEI revelari possit.* Doctor Brentius *id declarat similitudine ducta a catulis luporum, qui nondum quidem oves laniant, nihilominus tamen ea indoles illis est ingenita.* Apostolus saepius hoc vocat *peccatum* absque alio addito, est enim fons et origo reliquorum omnium; *peccatum inhabitans* Rom. 7, v. 17, est enim nobis post lapsum *οἰκεῖον* et domesticum factum, nec actu transit, sed manet in carne perpetuo usque ad mortem. Rom. 7, v. 21. dicitur

Peccatum originale quare sic dicatur.

Appellationes peccati originalis ex Scriptura.

κακὸν παρακείμενον, quia proxime nobis adjacet. Hebr. 12, v. 1. vocatur *ἁμαρτία εὐπερίστατος*, quia undique omnes vires et totum hominem occupat, eique tenacissime inhaeret. (Varinus notat *περίστασιν* significare *θλίψιν πανταχόθεν εἰς ἀδημονίαν εἰσάγουσαν*, et particulam *εὖ* usurpari *ἀντὶ τοῦ ἰσχυρῶς*) v. 15. dicitur *radix amaritudinum*, semper enim sursum germinat et vitiosos protrudit stolones. Rom. 6, v. 6. dicitur *corpus peccati*; cui sua membra tribuuntur; Col. 3, v. 5. dicitur etiam *vetus homo* Rom. 6, v. 6. *externus homo* 2. Cor. 4, v. 16. ratione enim veteris nostrae generationis hoc peccatum omnes nostras vires, omnia membra, adeoque nos totos occupavit. Rom. 7, v. 23. dicitur *lex peccati in membris*, captivos enim nos ducit et magno impetu ad omnis generis actualia peccata impellit. 1. Cor. 5, v. 6. dicitur *fermentum antiquum malitiae et nequitiae;* quemadmodum enim fermentum semper ebullit et totam massam fermentat, ita quoque hoc peccatum totos nos corrumpit.

Appellationes originalis peccati ex patribus.

68. Observari etiam possunt appellationes veterum, quibus originale peccatum describunt. Ignatius epist. ad Tral. vocat *antiquam impietatem.* Justin. in dial. cum Tryph.: *Peccando Adam posteros suos morti subjecit, et universos huic delicto obnoxios reddidit.* Iren. lib. 5. contra haeres. *vocat antiqui serpentis plagam.* Idem, *vinculis Adae alligati eramus morsui.* Tertullian. vocat *mali traducem.* Cyprian. lib. 3. epist. 8. vocat *alienum peccatum* (quia ab alio in nos propagatum, non quod omnibus modis a nobis sit alienum). Ibid. vocat *malum domesticum*, *contagium mortis antiquae prima nativitate contractum.* Arnob. 1. cont. gent. p. 20. vocat *infirmitatis ingenitae vitium.* Hilar. in Ps. 118: *sub peccati origine et sub peccati lege nascimur.* c. 7. Matth.: *malitia per conditionem communis nobis originis ne ipsis quidem apostolis defuit.* Ambr. in apolog. David. c. 11: *Antequam nascimur, maculamur contagio; antequam usuram lucis originis ipsius excipimus injuriam, in iniquitate concipimur.* De Davide dicit: *Medito flebiliter deploravit inquinamenta naturae.* Ibid. *ipse partus habet contagia sua.* Contra Novat.: *Ipse ortus in vitio est.* De Sacram. regen. *Genitalibus visceribus infusus et coagulatus delictorum subit contagium.* Nazian. *labem corporeae inundationis et vincula terrenae nativitatis* vocat. August. lib. 2. cont. Coelest. et Pelag. c. 29. meminit *massae perditionis* c. 33. vocat *naturae vitium.* 2. cont. Julian. *Natura ex origine vitiata est.* Ibid. *Peccatum quod ingeneratur, peccati ex origine contagium.* lib. 3. de pecc. merit. c. 3. vocat *propaginem et traducem peccati*; *originale peccatum videtur primus appellasse.* In Scriptis posterioribus lib. 4. hopognost. et in enchirid. c. 13. vocat *naturale* (qua appellatione propter Manichaeos primum abstinuerat), non quod sit ipsa hominis natura, sed quia totam hominis naturam corrupit, et cum ipsa natura assumitur, sicut contra Bernh. homil. de pass. *peccatum actuale vocat personale.* Chrysost. in c. 6. ad Ephes. vocat *πρώτην ἁμαρτίαν.* Idem: *Venit semel Christus, invenit nostrum paternum chirographum, quod scripsit Adam, ille initium induxit debiti, nos foenus auximus posterioribus peccatis* etc. *Adam grandi suo peccato omne genus humanum in commune damnavit.* Idem homil. 40. in 1. Cor. vocat *radicale peccatum.* Anselm. de conc. virg. c. 2: *Tota natura humana infirmata et corrupta est.* IV. 325. Idem passim vocat *naturale peccatum* et terminum illum recte exponit. Scholastici recensent octo appellationes: 1. vocatur *lex carnis.* 2. *Peccatum originale.* 3. *Concupiscentia.* 4. *Fomes.* 5. *Tyrannus.* 6. *Lex membrorum.* 7. *Lex naturae.* 8. *Concupiscibilitas.* Luth. vocat *peccatum haereditarium, capitale, principale* etc.

Descriptio originalis peccati ex Scriptura.

69. Porro quia peccatum, hoc est *absconditum* Psal. 90, v. 8. *et ignotum nisi Dei lege reveletur* Rom. 7, v. 7, ideo observandum, quomodo Scriptura *τὸ εἶναι* illius describat et ejus magnitudinem exaggeret; certum enim est, non cognosci magnitudinem gratiae per Christum nobis praestitae, nisi cognoscatur magnitudo peccati. Ex morbi periculo aestimatur medicinae pretium.

1. Est carentia seu defectus originalis justitiae.

70. Peccatum ergo originale ita describitur: 1. quod sit privatio seu defectus et carentia justitiae originalis. Adamus ad imaginem Dei conditus, justitia et sanctitate vera erat ornatus, sed per peccatum illa dona amisit, inde etiam ejus posteri nascuntur destituti illa Dei imagine, et non habent vim seu dona efficiendi justitiam spiritualem erga legem Dei nec in mente nec in voluntate nec in corde, h. e. veram agnitionem, timorem, dilectionem Dei, fiduciam erga Deum et perpetuam obedientiam omnium virium cum norma legis divinae congruentem non possunt per naturae vires praestare.

71. Id Scriptura docet, quando homini animali detrahit potentiam intelligendi Deum et faciendi bonum. Rom. 3, v. 10: *non est justus.* v. 11: *non est intelligens nec requirens Deum.* v. 18: *non est timor Dei ante oculos eorum.* v. 23: *egent gloria Dei.* 1. Cor. 2, v. 14: *animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi, et non potest intelligere.* 2. Cor. 3, v. 5: *non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis.* Joh. 1, v. 5. Eph. 5, v. 8. homines non regenerati vocantur *tenebrae.* Apoc. 3, v. 17. *inutiles, infirmi, pauperes, nudi et egeni* dicimur. Ad justitiae originalis *στέρησιν* etiam hoc pertinet, quod amicabile illud consortium atque arctissimum amoris vinculum inter Deum et genus humanum sit disruptum, qui ante lapsum fuissent dilecti Dei filii, illi hodie post lapsum sunt natura filii irae.

2. Est vitiosa qualitas.

72. 2. Nec vero per lapsum natura humana solummodo spoliata est, sed etiam misere corrupta, quae corruptio successit in locum imaginis divinae. Hanc vitiosam qualitatem et extremam naturae corruptionem Scriptura exprimit nomine concupiscentiae, per quam non intelligatur aliquod accidens naturae concreatum, nec tantum corruptio qualitatum corporis, sed prava et inordinata conversio ad carnalia et Deo

adversa, tam in superioribus quam inferioribus hominis viribus, ut sunt carnalis securitas, contemtus Dei, odisse judicium Dei, irasci Deo, habere fiduciam rerum praesentium etc.

73. Ut ergo propter defectum natura humana non est conformis legi Dei, et inepta ad faciendum ea, quae lege Dei praecipiuntur; ita propter corruptionem secutam propensa est et magno impetu fertur ad faciendum ea, quae lege Dei prohibentur. Talis inclinatio in mente est propensio ad cogitationes vanas et falsas de Deo, ad comminiscendos errores, ad dubitationes de Dei verbo; in voluntate est propensio ad securitatem carnalem, ad diffidentiam erga Deum etc. In corde est impetus ad iram, livorem, odia, in reliquis membris ad libidines, immunditiem etc.

74. Sic Rom. 7. apostolus τὸ εἶναι hujus morbi exprimit non solum στερήσει (v. 18: *perficere bonum non invenio*, id est, sentio in me esse ἀδυναμίαν naturalem ad faciendum bonum. v. 39: *non facio hoc, quod volo, bonum)*, sed etiam θέσει. v. 23: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis.* Genes. 6, v. 5: *omne figmentum cogitationum cordis humani tantum malum omni die, et quidem a pueritia* Genes. 8, v. 21. Utique ergo peccati veneno ita infectum et corru-
IV. 326. ptum est cor hominis, ut propterea omne figmentum ejus sit tantum malum omni die a pueritia, ubi observanda pondera verborum. Ne quis cogitet inferiores hominis vires tantum corruptas, mentio fit cogitationum cordis (vocabulo enim *cordis* Scriptura etiam mentem complectitur), ne quis cogitet, interdum hallucinari et aberrare hominem, rationem tamen ut plurimum deprecari ad optima (ut loquuntur), ideo adduntur particulae universales, *omne figmentum cogitationum est malum*, quin et exclusiva additur, *est tantum malum*, et quidem *omni tempore*, jam inde *a prima pueritia*, signum universale ostendit nullum diem dari posse, quo cor hominis hoc malo careat. Et repetit Deus hanc querelam de cordis humani corruptione; cum jam post diluvium solus Noah justus cum paucis adhuc superstes esset.

75. Psalm. 51, v. 7. testatur David, se Dei vatem etiam in peccatis conceptum, et peccatum haesisse tunc in sua massa, cum primum inciperet formari, et matrem sanguine suo in utero peccatorem aluisse. Ponitur enim in sancta lingua talis vox, quae hoc denotat, cum massa embryonis in primo ardore conceptionis primum inciperet uteri calore foveri, jamtum eam fuisse peccato contaminatam: *In peccatis* ἐκίσσησε, *calefecit me mater mea.* In Hebraeo est singularis numerus: *In peccato concepit me mater;* non transfert propheta regius culpam in parentes, sed suam agnoscit et deplorat immunditiem, seque non adulterio demum peccasse, sed ab utero se peccatorem esse conqueritur. Job. 14, v. 4: *Quis faciet mundum de immundo conceptum semine?* Ergo semen, ex quo formamur, est immundum et peccato infectum. Hebraea veritas proprie sic habet: Quis dabit mundum ab immundo? non unus (scilicet mundus est.) LXX. τίς γὰρ καθαρὸς ἔσται ἀπὸ ῥύπου; ἀλλ' οὐδείς, ἐὰν καὶ μία ἡμέρα ὁ βίος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς, quis mundus est a sorde? nemo certe, si vel unius diei ipsius vita super terram. Latinus interpres paraphraseos loco addidit vocem seminis. Vulgatissimum autem in Scriptura, nomine immunditiei non corporalem aliquam, sed spiritualem immunditiem, videlicet peccatum intelligi. Unde Bernh. serm. 4. in vig. nat. col. 43: *In ipsa origine et radice mea infectus et inquinatus sum, immunda est conceptio mea.* In medit. c. 2. col. 1190: *secundum exteriorem hominem de parentibus illis venio, qui ante me fecerunt damnatum, quam natum.* Jerem. 17, v. 9: *Pravum est cor hominis et inscrutabile.* In sancta lingua usurpatur vox deducta a calcaneo, et describitur pravitas cordis; metaphora ducta a via, quae saepe calcatur et redditur callosa, dura et aspera: nec solum pravum est cor hominis, sed etiam insanabile et desperatae curationis. Addit propheta: *quis cognoscet?* innuens, malum istud ab omni humana cognitione remotum esse, *DEUM autem ponere absconditum nostrum in lumine vultus sui*, Psalm. 90, v. 8: *is scrutatur corda et renes.*

76. Joh. 3, v. 6. dicit Salvator: *Quod natum est ex carne, caro est*, ubi per carnem intelligitur tota natura corrupta carens spirituali et interiori obedientia erga legem. Lex spiritualis est, requirit integrum et spiritualem omnium virium obedientiam, sed quod ex carne nascitur, caro est et carnale, toto impetu fertur ad carnalia, destituitur spirituali luce et rectitudine, ideoque etiam regno DEI excluditur, *quia caro et sanguis regnum DEI non haereditabunt* 1. Cor. 15, v. 50. Rom. 8, v. 7. φρόνημα τῆς σαρκὸς *est inimicitia adversus Deum;* strenui militis instar hostiliter legi mentis assidue repugnat et reluctatur. Ephes. 2, v. 3. *sumus natura filii irae,* id est, naturali propagatione peccatum in nos derivatur, quando naturam accipimus, simul cum natura propagatur in nos tale quid propter quod sumus filii irae, id est, irae Dei, judicio et aeternae morti obnoxii, quia super quos manet ira Dei, non videbunt vitam, ut ostendit oppositio Joh. 3, v. 36.

77. Et quemadmodum alias ex fructu fit de semine judicium, ita omnia peccata actualia, quorum est farrago innumera, testantur de vitiosissimo peccati originalis semine, quod quamvis non in omnibus sese exserat, cum Spiritu ejus impetus vere pii retundant, tamen sua natura tale est et manet, ut vitiosissimos illos omnes generis fructus proferre possit
ac proferat, nisi prohibeatur Matth. 15, v. 19: *ex* IV 327
corde exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae. v. 20: *haec sunt quae coinquinant hominem.*

78. Recte ergo dicit ex D. August. D. Lutherus, *quod peccatum originale totam naturam nostram leprae aut luis pestiferae instar pessime corruperit et tabificaverit.* Thomas 1. 2. q. 82. art. 1: *Sicut aegritudo corporalis habet aliquid de privatione, in*

quantum tollitur aequalitas temperamenti et sanitas et aliquid positivum ut ipsos humores inordinate dispositos; ita peccatum originale non est pura privatio, sed corruptus quidam habitus. Gerson dicit: *vitium originale esse impotentiam ad bonum et potentiam ad malum.*

3. Reatus. 79. Quia ergo omnes homines, qui naturali et communi generationis cursu nascuntur, peccato sunt obnoxii, ideo etiam omnes natura sunt filii irae rei mortis et damnationis; non enim potest non Deus irasci peccatis. Atque hoc jam est tertium, quod ad τὸ εἶναι peccati originalis exprimendum pertinet, videlicet reatus: *inde omnes moriuntur, etiam illi, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae*, Rom. 5, v. 14; *quia per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors* v. 12. Reatus est sua natura ἑπόμενόν τι et ad utrumque, videlicet tum στέρησιν concreatae justitiae, tum θέσιν introductae corruptionis respectum habet, interim docendi gratia ad partes hujus mali, quod ejus proprie consequens est, referre voluimus.

80. Atque ita probatum dedimus, peccatum originale complecti haec tria: justitiae originalis inesse debitae carentiam, secutam naturae extremam corruptionem seu pravam concupiscentiam et reatum, ita ut propter hoc in nos propagatum malum simus rei irae et judicii divini. Hugo sic effert: *Morbum hunc complecti ignorantiam boni, concupiscentiam mali, et supplicium de utroque.*

De peccato originali dupliciter loquitur Scriptura. 81. Observabunt industrii Scripturae interpretes, quod Scriptura quandoque in genere de hoc malo loquatur, nimirum quando ponit definitum et peccati nomine carentiam justitiae originalis, vitiosam qualitatem et reatum denotat; quandoque vero in specie ac distincte de singulis definitionis partibus agit. Sic de carentia justitiae originalis loquuntur haec dicta. Rom. 3, v. 23: *Omnes peccaverunt et carent gloria Dei* (quam coram Deo habere debebant.) Rom. 7, v. 18: *Perficere bonum non invenio.* De vitiosa qualitate agunt haec testimonia: Gen. 6, v. 5: *Omne figmentum cogitationum cordis tantum malum.* Rom. 7, v. 7: *concupiscentiam nesciebam.* v. 24: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae* etc. De reatu sic loquitur Scriptura: Rom. 5, v. 12: *in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Eph. 2, v. 3: *natura sumus filii irae.* Joh. 3, v. 33: *qui non credit in Filium, ira DEI manet super eum.*

Ut et pii veteres. 82. Eodem modo veteres ecclesiae doctores quandoque in genere de hoc malo concionantur, quando id vocant labem, contagium, inquinamentum, malitiam etc., quandoque vero distincte de singulis hujus mali partibus loquuntur; sic de carentia concreatae rectitudinis, Ambros. vel potius Prosper. 2. de vocat. gent. c. 3: *Omnes homines in primo homine sine vitio conditi sumus, et omnes naturae nostrae incolumitatem ejusdem hominis praevaricatione perdidimus* etc. *fide perdita, spe relicta, intelligentia obcaecata, voluntate captiva, nemo in se, unde reparetur, invenit.* Anselm. de conc. virg. c. 2: *remansit in natura humana* (corrupta) *debitum justitiae, quam accepit, et debitum satisfaciendi, quod eam deseruit.* De corruptione naturae sive vitiosa qualitate sic loquuntur: August. l. de nupt. et conc. c. 25: *Concupiscentia est affectio quaedam malae qualitatis sicut languor.* c. 31: *Carnem appellavit apostolus, ubi est morbidus quidam carnis affectus, carne servio legi peccati, habendo desideria peccati.* Bernh. IV. 328. serm. 4. nativ. col. 43: *In ipsa origine et radice mea infectus et inquinatus sum, immunda est conceptio.* Ambros. loco dicto: *inde* (ex primi hominis praevaricatione) *multiplex corporis animique corruptio, inde ignorantia et difficultas, curae inutiles, illicitae cupiditates, sacrilegi errores, timor vanus, amor noxius, injusta gaudia, poenitenda consilia.* Anselm. loco dicto: *remansit in natura debitum justitiae, quam accepit, et debitum satisfaciendi, quod eam deseruit, cum ipsa corruptione, quam propter peccatum incurrit.* De reatu his utuntur verbis: Ambr. in c. 15. Lucae: *Periit Adam, et in eo perimus omnes.* lib. 10. epist. 10: *Manifestum est, omnes in Adamo obnoxios esse damnationi nascendo, nisi in Christo liberati fuerint renascendo.* Bernh. in medit. c. 2. col. 1190: *Secundum exteriorem hominem de parentibus illis venio, qui ante me fecerunt damnatum, quam natum.*

83. Circa τὸ εἶναι peccati originalis explicandum a veritatis tramite, tum in defectu, tum in excessu quidam abeunt. Ad priorem classem pertinent Scholastici et Pontificii, qui nimis tenuiter de peccati originalis atrocitate sentiunt; ad posteriorem classem pertinent Manichaei et nostri temporis Flaciani, qui αὐτοσύστατόν τι illud esse statuunt ac cum ipsa naturae substantia confundunt. Antithesis eorum, qui hic in defectu vel excessu aberrant.

84. Scholastici varie de peccato originali disputant; plerique eo abeunt, ut statuant, *quod peccatum originis sit carentia doni cujusdam supernaturalis, ipsa interim hominis natura integra permanente.* De concupiscentia dicunt, *quod sit tantum fomes quidam seu languor naturae, qui non nisi accedente demum consensu peccati nomen mereatur, atque hunc peccati fomitem in appetitu sensitivo tantum haerere dictitant, superiores autem animae facultates ab eo immunes esse;* quidam ex ipsis statuunt, *concupiscentiam esse tantum poenalitatem seu reatum mortis sustinendae, nequaquam autem damnationis aeternae;* inde concilium Tridentinum decret. 1. ses. 5. definit *peccatum originis esse vere peccatum unicuique proprium, illius tamen propriam rationem silentio involvit,* quod Andradius secretorum hujus concilii conscius lib. 3. defens. fid. Trid. ita interpretatur: *consulto id factum esse, ac libertatem opinandi unicuique hic relictam.* Scholastici.

85. Nobis cum Bellarmino res erit, is lib. 5. de amiss. grat. et stat. pecc. cap. 4. contra Hoffmeisterum, Alphonsum et alios scriptores Pontificios, qui nostris ecclesiis veritatis testimonium in hoc articulo dederant, statuit, *duo inveniri in doctrina nostra, quae longissime distent a sana ac vera* Bellarm.

doctrina de natura originalis peccati: primum, quod originale non distinguamus ab actuali peccato; alterum quod vulnera naturae et morbos ex peccato originali relictos, ut ignorantiam, difficultatem, concupiscentiam, statuamus esse vere et proprie illud originis peccatum. Posterius infra discutietur; hac vice considerabimus, quomodo prius crimen nobis intentatum Bellarminus probet. Profert ex Luthero, Philippo, Chemnicio et apologia Augustanae confessionis quaedem dicta, quae eo torquet, ac si peccatum originale cum actualibus confundatur, cum tamen omnes libelli methodici, omnia nostrorum de hoc articulo scripta diligenter ac fideliter discrimen peccati originalis proponant, explicent, urgeant. Audiamus Bellarminum. Luther. in assert. art. 3. dicit, *impossibile esse, ut fomes sit absque actuali peccato.* In assert. art. 2. dicit, *fomitem seu concupiscentiam esse peccatum originale.* In assert. ejusd. art. 3. *originale peccatum, ut omnia peccata, ita et incredulitas est, fomes est res viva et quae movetur, fomes vere est actuale peccatum.* In Comment. 2. Genes. *peccatum originale est incredulitas, desperatio et alia similia.* Respondemus: D. Luther. pugnat contra eos, qui peccatum originale extenuant, et nudum peccati fomitem illud esse disputant, quibus vere et solide hoc opponit, fomitem illum seu pravam concupiscentiam esse rem actuosissimam ac vivacissimam, per peccata actualia perpetuo in hac vita sese
IV. 329. exserentem, interim non tollit discrimen inter originale et actualia peccata; neque enim ea, quae perpetuo conjuncta, sunt omnino eadem; incredulitatis nomine intelligit Lutherus defectum illum, quod ex nostris viribus non possumus verbo Dei credere, quem defectum esse originali peccato acceptum ferendum quis tandem negabit? peccatum originale est certo loquendi modo omnia peccata, siquidem est semen omnium peccatorum. 2. Philippus *in locis originale peccatum vocat actualem quandam pravitatem.* In confess. August. artic. 2. ponit, *peccatum originale esse, quod homines sint sine metu et fiducia DEI.* In apologia dicit, *ad ἀταξίαν illam, in qua proprie peccatum originis consistit, pertinere ignorationem Dei, dubitationes, esse sine timore, sine dilectione, amare se magis quam DEUM* etc.; *atqui contemtus Dei, odium judicii divini, irasci Deo, fugere judicantem DEUM, desperare gratiam* etc. *sunt vere actualia peccata.* Respondemus: nomen actualis cupiditatis opponit Philippus Scholasticorum disputationibus, quod peccatum originis sit tantum privatio originalis justitiae, et quod fomes ille peccati sit res torpens ac otiosa. Philippus contra pronuntiat, peccatum originale esse actualem cupiditatem, h. e. vitiosam, eamque actuosissimam qualitatem; sic enim se ipsum in verbis praecedentibus declarat. *Peccatum originale,* inquit, *est nativa propensio et quidam genialis impetus et energia, qua ad peccandum trahimur.* Ad alterum objectum respondet apologia August. confess. *vocibus hisce non tantum notari actum, sed etiam potentiam et dona* (sive vires) *efficiendi timorem et fiduciam erga Deum,* hanc vero fuisse mentem suam, probat ex confessione Germanica, quae sic habet: *omnes ab utero matris plenos malarum cupiditatum et inclinationum, nullum verum DEI timorem, nullam veram fidem in Deum habere posse.* Causas vero cur hisce vocabulis, quae etiam actus connotant, hoc loco usa sit, exponit has: 1. quia Scholastici extenuant peccatum originis et de fomite disputant, quod sit qualitas corporis, quaerunt utrum qualitas illa contagione pomi an afflatu serpentis contracta sit, utrum augeatur medicamentis? etc. graviora humanae naturae vitia non commemorant; 2. quia nimium tribuunt viribus humanis et actibus elicitis; 3. quia facile aequus lector judicare potest, non tamen culpas actuales esse, sine metu Dei et fide esse, sed durabiles in natura non renovata defectus; 4. ut doceret, quid justitia originalis (cujus privatio est peccatum) in primo homine fuerit, ac poni timorem et fiduciam Dei propterea, quia sint praecipua pars imaginis divinae et fundamenta reliquarum virtutum. 5. Chemnicius in exam. conc. Trid. p. 456. *dictum* Gen. 6. *refert ad peccatum originis, cum tamen ibi de figmento cordis, h. e. de actuali cogitatione agatur.* Respondemus: actus secundus testatur de natura actus primi, effectum manifestat qualitatem causae; Scriptura igitur absconditum illud malum intimis cordis nostri fibris inhaerens describit ab effectu, ut ad aliquam istius cognitionem penetrare possimus. Quia enim *omne figmentum cordis humani tantum malum omni die,* hinc facile intelligitur, 1. ipsum cor hominis peccati veneno infectum esse; 2. omnes animae vires etiam superiores, quas ita vocant, in cogitando ac deliberando occupatas, corruptas esse; 3. denique toto vitae tempore corruptionem illam nobis adhaerere; quod probe expendit Dn. Chemnicius ideoque propositam hujus sententiae explicationem sic concludit: *Quod Andradius dicit, non cor ipsum, sed figmentum cordis accusari, ineptum est; sicut enim ex bono thesauro cordis proferuntur bona, ita mala ex cordis thesauro malo proferuntur, ex abundantia enim cordis os loquitur,* inquit Christus Luc. 6. Et Jeremias vocat *cor hominis pravum.* Hactenus Chemnicius. In fumum igitur ac vapores abit Bellarmini illa accusatio de sublato peccati originalis et actualis discrimine nobis intentata.

86. Quae vero Bellarmini est sententia de propria peccati originalis natura ac ratione? lib. 5. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 15. fatetur, *quosdam catholicos statuere, quod peccatum originis sit non nuda privatio, sed positiva quaedam qualitas, videlicet prava concupiscentia seu morbida qualitas in anima* IV. 330.
prava desideria perpetuo excitans. Ita docent Lombard. 2. sentent. dist. 31. lit. B. et C. Henricus quodlib. 2. q. 11. Greg. Arim. 2. sent. dist. 30. q. 1. Driedo lib. 1. de grat. et lib. arbit., sed Bellarmino haec sententia videtur omnino improbanda, quae tamen est ipsa veritas. Primo notat, *concupiscentiam in hac quaestione non significare appetitum boni, nec ipsum desiderii motum, qui per se indifferens est; sed vitium illud, quo proni sunt homines ad appe-*

tenda bona sensibilia, contra ordinem rationis. Secundo notat, *vitium istud potissimum quidem in carne residere, h. e. in parte hominis inferiore, quae dicitur sensualitas, interim tamen in parte etiam superiore simile vitium inveniri, cum ea quoque prona sit ad concupiscendos honores, inanem gloriam et alias vanitates, inde apostolum.* Galat. 5. *inter opera carnis etiam numerare idololatriam, haereses, inimicitias; carnem interdum accipi pro toto homine, qualis est sine gratia DEI post lapsum.* Respondemus: 1. diligentissime notandum et imis sensibus reponendum est, quod Bellarm. contra Scholasticos fere omnes diserte fatetur, *vitium pravae concupiscentiae non solum in sensualitate, h. e. in facultatibus animae inferioribus, sed etiam superioribus locum habere*, cujus observationis usus est longe maximus; si enim ipsi rationi hominis nondum regenerati adhaeret tale vitium, non poterit dici, concupiscentiam oriri ex materiae conditione, h. e. ex pugna partis inferioris et superioris; 2. si talis pronitas ad malum invenitur etiam in facultatibus animae superioribus, non debebat Bellarminus concupiscentiam in genere ita definire, quod hoc vitio proni sint homines ad appetenda bona sensibilia contra ordinem rationis; imo vero ipsa ratio quandoque ad mala excogitanda, ipsa voluntas sive appetitus rationalis ad mala eligenda interdum prono impetu fertur; quomodo ergo bona tantum sensibilia statuentur objectum hujus pravae concupiscentiae? quomodo poterit dici, concupiscentiam illam ferri contra ordinem rationis, seu ut Scholastici loquuntur, rationem semper deprecari ad optima. 3. Vitium pravae concupiscentiae non residet potissimum in sensitivo appetitu, sed aequaliter in rationali et sensitivo appetitu residet, sed in parte sensitiva magis se prodit, ut explicat Augustinus passim, hoc est, homines nondum renati aliquo modo intelligunt, vitiosos esse illos motus sensitivi appetitus, sed corruptionem rationis et voluntatis non agnoscunt, dubitationes illas de Deo, diffidentiam, securitatem, occultam cordis superbiam etc. peccata esse non agnoscunt.

con- i- ntia ra sit itiva litas.

87. His praesuppositis Bellarminus probare instituit concupiscentiam non esse positivam qualitatem. *Profert primo loco auctoritatem* Augustini; is libr. 2. de pecc. orig. c. 4. lib. 4. adv. Julian. c. 5. et in Psal. 103. conc. 4. docet, *illud esse in homine vitium concupiscentiae, quod est in animantibus rationis expertibus natura; jam vero in brutis nulla datur corrupta qualitas, sed solus appetitus sensitivus.* Idem lib. 1. de nupt. et conc. c. 25. *concupiscentiam* negat *substantialiter manere, sed esse sicut languorem, intelligit autem Augustinus nomine substantiae omne positivum.* lib. 1. de pecc. merit. et remiss. c. 16. et alibi passim *causam concupiscentiae tantum ad gratiae absentiam refert. Ergo concupiscentia non est positiva quaedam qualitas; sed est ipsa sensualitas freno originalis justitiae destituta.* Respondemus: 1. Augustin. 14. de civit. Dei c. 2. 3. et 4. agnoscit vitium concupiscentiae pravae etiam in superioribus animae viribus haerere, quomodo ergo dici poterit juxta Augustini mentem, pravam concupiscentiam nihil aliud esse, quam ipsam sensualitatem sive appetitus sensitivi motum? 2. comparatio hominis per peccatum corrupti cum beluis latius extenditur, quam scopus Augustino propositus permittit. Per pronum illum ad libidinem et reliqua peccata impetum homo comparatur brutis, interim tamen ex eo minime inferendum, appetitum hominis sensitivum in puris naturalibus fuisse a Deo talem, h. e. cum illo prono ad peccatum impetu conditum, minime vero, quia quod in brutis natura est, hoc in homine vitium est; appetitus homini IV. 331.
sensitivus ante lapsum non solum superaddito justitiae originalis dono exterius erat sanatus et expressus, sed etiam interius erat integer et rectus a Deo conditus, quia hominis non bruti appetitum Deus condiderat. 3. Concupiscentiam esse substantiam, h. e. αὐτοσύστατόν τι Augustinus contra Manichaeos recte negat, vitiosam qualitatem esse non negat, quin potius diserte lib. 1. de nupt. et concup. c. 25. vocat *affectionem quandam malae qualitatis.* c. 31: *morbidum carnis affectum*, alibi passim vocat *morbum et languorem*, ex quo recte concludit Thom. 1. 2. 2. quaest. 82. art. 1: *Sicut aegritudo corporalis habet aliquid de privatione, in quantum tollitur aequalitas temperamenti et sanitas, et aliquid positivum, ut ipsos humores inordinate dispositos; ita peccatum originis non est pura privatio, sed corruptus quidam habitus.* 4. Pravae concupiscentiae originem refert Augustinus ad privationem gratiae, sed nomine gratiae non intelligit donum quoddam supernaturale et extrinsecum, sed concreatum justitiae originalis donum, quin imo diserte testatur, per lapsum primi hominis non tantum subtractam gratiam, sed etiam vitiatam esse naturam.

88. Argumento ex auctoritate Augustini ducto addit Bellarminus varias rationes, quibus probare conatur, peccatum originis non esse positivam qualitatem: *1. Si concupiscentia esset qualitas positiva, haberet causam positivam; at talis non datur, quia nec Deus, nec diabolus, nec serpens, nec pomum, nec ipse homo.* Respondemus: quando pravam concupiscentiam dicimus esse qualitatem positivam, non intelligimus hoc secundum ἀκρίβειαν metaphysicam. Metaphysici subtiliter distinguunt inter rem ipsam et malum rei adjacens, quod semper dicunt esse privativum, non autem positivum quid. Scriptura quando peccatum originis describit, non nuda tantum privatione, sed et per pravam concupiscentiam imitatur modum loquendi ethicis usitatum; illi enim agnoscunt vitiosos habitus et actiones malas. Dilucidius rem ipsam sic proponimus: Disputant Pontificii, peccatum originis esse tantum justitiae originalis, doni illius supernaturalis privationem, ipsam interim hominis naturam adhuc talem esse, qualis fuit primo condita; nos contra pronuntiamus, per peccatum originis non tantum concreatam justitiam esse deperditam, sed ipsam quoque hominis naturam miris ac miseris modis

corruptam, illam naturae corruptionem, quae complectitur omnium animae virium ad malum pronitatem ac impetum, vocamus positivam qualitatem, non quasi aliqua vis agendi in se et per se sit peccatum, sed quia illa vis agendi in homine est tantum ad peccatum prona atque promta; interim non prohibemus, quin inter ipsam agendi vim et inter vitium istius potentiae subtiliter distinguatur, sicut inter ipsam actionem et vitium actionis distinguitur. Jam si quaeratur de causa istius corruptionis, breviter respondemus ex parabola Christi Luc. 10. Causa corruptionis est diabolus vulnerans et voluntas primi hominis peccans. Peccatum actuale primi hominis diabolicae seductioni obsequentis totam naturam humanam, quae in ipso erat et extra ipsum de illa nihil erat, corrupit, tabefecit et peccato quasi fermentavit: *Quid quaerit Bellarminus latententem hujus corruptionis introductae rimam, cum habeat apertissimam januam?* quibus verbis Pelagio id ipsum quaerenti respondet August. libr. 2. de nupt. et concup. c. 28. Plura de hoc argumento vide in praecedente loco de imagine Dei. *2. Si concupiscentiae vitium esset qualitas positiva, non posset ostendi, quemadmodum transmitteretur ad posteros, quia habitus acquisiti non trajiciuntur in prolem.* Respondemus: cum ipsa natura humana etiam vitium et corruptio naturae a parentibus in posteros propagatur; calculosi generant calculosos, cur non et peccator Adam gigneret filium peccatorem? *3. Deus est auctor omnium rerum positivarum.* Respondemus: quatenus sunt res positivae et bonae, non autem quatenus positiva quaedam qualitas est mala. *4. Si vel maxime in carne haereret qualitas morbida, tamen non intelligi posset, quomodo caro infecta inficeret hominem, cum corpus non agat in spiritum?* Respondemus: contra nos, qui animae corruptae ex anima corrupta propagationem propugnamus,
IV. 232. argumentum hoc non pugnat, neque enim Lombardum, Driedonem et reliquos hujus sententiae patronos in eo sequimur, quod animam ex contactu carnis pollui statuunt et pravam animae concupiscentiam a morbida corporis qualitate oriri dictitant. *5. Fieri non posset, quin tam longo tempore qualitas illa esset imminuta vel exstincta.* Respondemus: peccatum instar fermenti totam naturam pervasit, unde Hebr. 12, v. 1. vocatur ἡ ἁμαρτία εὐπερίστατος, Rom. 7, v. 21. *κακὸν παρακείμενον*, quod non nisi totali corporis corruptione tandem aboletur. 6. *Ut caro concupiscat adversus spiritum, sufficit dari appetitum sensitivum freno originalis justitiae destitutum; ut animus sequatur temperamentum corporis, sufficit in eadem animae essentia radicem habere sensum ac rationem.* Respondemus: appetitus sensitivus ante lapsum non indigebat freno remorante, sed intrinseca bonitate ferebatur tantum ad bonum. Gen. 1, v. 31: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et ecce erant bona valde;* unde ergo illa ἀταξία naturae humanae per se bonae et omnibus partibus integrae a Deo conditae, si non intercessit corruptio? 7. *Sequeretur, peccatum originis non tolli per baptismum, cum prava illa concupiscentia in baptizatis maneat.* Respondemus: August. 6. cont. Jul. c. 6: *peccatum remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur.* libro 1. de nupt. et concup. c. 25: *dimittitur concupiscentia carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur.* Ibid. dicit, *manere etiam post baptismum illum languorem, illam affectionem malae qualitatis*, cui non satisfacit Bellarmini exceptio, *quod nomine malae qualitatis, languoris ac morbidi affectus intelligatur ipsa naturalis inclinatio sensualitatis justitia originali destituta, non autem aliqua positiva tabe vitiata*, imo vero per lapsum non tantum originalis justitia est amissa, sed etiam ipsa hominis natura est corrupta, ut suo loco ex Scripturis ostendimus.

89. Exposita et refutata eorum „catholicorum" sententia, qui peccatum originis esse positivam qualitatem statuunt, Bellarminus libro 5. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 16. improbat etiam Piggii ac Catharini sententiam, qui disputabant, peccatum originale nihil aliud esse, quam primam illam Adami inobedientiam, quae in ipso fuerit re ipsa, in posteris tantum per imputationem, ita ut nihil sit in parvulis re ipsa inhaerens, quod veram peccati rationem habeat. Quem Pelagianum errorem mollius tractat Bellarminus, quam par erat. Tandem c. 17. et tribus sequentibus suam de natura peccati originalis sententiam proponit et explicat, ubi quidem videri vult accuratius, quam reliqui Scholastici hoc malum tractare et definire, interim tamen in ἐλλείψει adhuc peccat in nuda tantum privatione justitiae originalis et reatu qualicumque illud constituens. Videbimus quid praestet: *Peccati nomen* (inquit) *accipitur bifariam; uno modo pro libera transgressione praecepti, alio modo pro eo, quod remanet in anima peccatoris post actionem illam transgressionis, quemadmodum calor per calefactionem acquiritur, quod esse vere et dici proprie peccatum, patet ex eo, quod qui peccatum commiserunt, dicuntur proprie et formaliter peccatores.* Id postea ad peccatum originale sic accommodat: *Peccatum si accipiatur primo modo non in nobis, sed in prima tantum origine, h. e. in primo parente quaerendum est, nec quicquam aliud est, quam inobedientia illa voluntaria, per quam se et posteros suos justitia originali spoliavit, reos mortis effecit et turpes ac DEO invisos reddidit, hoc peccatum communicatur nobis per imputationem.* libr. 4. de stat. pecc. c. 16. id hoc modo declarat: *Quando Adae filii dicuntur in Adamo peccasse, id intelligendum est, quod peccatum potentia, non actu contraxerint, siquidem tunc non erant ipsi in actu, sed in potentia, sive quod idem est, non in se, sed in parente peccarunt. Sed quemadmodum in Adamo praeter actum illius peccati fuit etiam perversio voluntatis et obliquitas ex actione relicta, per quam peccator dicebatur, ita in nobis omnibus praeter imputationem inobedientiae Adami est etiam similis perversio et obliquitas unicuique inhaerens; atque hinc statuunt Scholastici, quod peccatum originale sit carentia* IV.

An peccatum origina sit tant reatus.

justitiae originalis debitae inesse, in quo tamen explicando non conveniunt, unde quinque ipsorum classes Bellarminus constituit, et postea suam sententiam de natura peccati originalis subjicit. *Si peccatum pro actione cum lege pugnante accipiatur, peccatum originale est prima Adami inobedientia ab ipso commissa, non ut erat singularis persona, sed ut personam totius generis humani gerebat. Si vero peccatum accipiatur pro eo, quod residet in homine post actionem, et unde idem homo non peccans, sed peccator nominatur, peccatum originale est carentia justitiae originalis sive habitualis aversio et obliquitas voluntatis, quae et macula mentem DEO invisam reddens appellari potest;* cujus sententiae utramque partem c. 18. et 19. probat, ac contraria argumenta c. 20. dissolvit. Respondemus: 1. Bellarminus repugnat sibi ipsi et veritati. Antea enim probare voluit, peccatum originis non consistere in quadam positiva qualitate, jam vero vocat habitualem aversionem et obliquitatem voluntatis, eamque confert cum calore per calefactionem acquisito, quae certe sunt positivae qualitates. Si vero nomine habitualis aversionis et obliquitatis nudam originalis justitiae carentiam absque ulla naturalium virium corruptione intelligit (ut salvis suis hypothesibus intelligere cogitur), discedimus ab eo secuti Scripturam, quae non tantum nuda originalis justitiae carentia, sed etiam vitioso habitu seu prava inclinatione malum hoc describit, dum per vitia, quae sunt habitus in anima, illud definit, dum tribuit ei effecta commissionis, dum vocat vitiositatem in natura haerentem etc. 2. Alia est ratio prima peccati actualis in Adamo, alia vero in nobis; peccatum personale in Adamo fuit causa originalis, h. e. Adamus peccans justitiam concreatam pro se et posteris amisit, ac totam naturam humanam in ipsius lumbis haerentem fermento peccati tabefecit; sed peccata actualia in nobis sunt effectus originalis peccati, h. e. istius corruptionis et immunditiae, quam ex primis parentibus per carnalem generationem trahimus. 3. Peccatum originale non est actuale illud primi parentis delictum, sed consequens istius, videlicet corruptio naturae ex eo orta et in omnes posteros per carnalem generationem propagata. 4. Nervus igitur sententiae Bellarminianae totus consistit in eo, quod peccatum originale vocat aversionem habitualem; quomodo vero eam describit? c. 17. nominat *perversionem et obliquitatem unicuique inhaerentem, donec per baptismum remittatur.* c. 19. vocat *aversionem manentem per modum habitus*, eamque declarat hoc modo: *Ut is, qui faciem a sole avertit, manet aversus, donec iterum ad eundem solem faciem convertat; et digitus sponte curvatus curvitatem retinet, donec iterum per actum contrarium dirigatur: sic etiam voluntas, quae per actum peccati a Deo recessit, in eo recessu permanet, donec iterum per poenitentiam ad Deum accedat. Distinguit* ibidem *hanc aversionem habitualem a vitioso habitu hoc modo, quod habitus acquisitus sit qualitas positiva, peccatum autem habituale sit privatio; quod habitus acquisitus non possit tolli per unum actum voluntatis, quamvis efficacissimum; peccatum autem habituale uno actu tollatur: quod habitus acquisitus possit esse cum actu contrario et cum gratia, peccatum autem habituale non possit; denique quod habitus acquisitus non possit dici proprie voluntarius, cum maneat in nobis per aliquod tempus nobis invitis et repugnantibus, peccatum autem habituale sit voluntarium, quia manemus in peccato voluntarie et si efficaciter velimus non manere, non manemus* (sed quid fiet Thomae, qui 1. 2. q. 82. art. 1. vocat *corruptum habitum?*) *Denique hanc habitualem aversionem dicit re idem esse cum privatione gratiae et macula sive foeditate animae. Ut enim gratia Dei per modum habitus in voluntate inhaerens eam formaliter conversam ad Deum, justam, rectam, formosamque efficit, ita ex ejus privatione voluntatem habitualiter aversam, injustam, obliquam et deformem fieri.* Haec omnia Bellarminus, quae ex Scholasticorum et rationis corruptae tenebris hausta atrocitatem peccati originalis multis modis extenuant. Si enim aversio illa habitualis per baptismum penitus tollitur non solum reatu, sed etiam actu; si per unum actum contrarium conversionis ad Deum haec macula penitus abole- IV. 334.
tur: si perversio et obliquitas illa statim desinit manere, quamprimum efficaciter volumus eam non manere, cur Scriptura verbis tam tragicis hoc originale malum accusat? cur de eo apostolus tam misere conqueritur, imo cur propter maculam adeo leviculam et tam cito transeuntem Deus tantopere homini irascitur? Credimus potius Spiritui sancto, qui diserte testatur, peccatum originis non esse nudam quandam doni supernaturalis privationem, sed horribilem totius naturae ac omnium animae virium corruptionem; non maculam quandam ἐπιπολάζουσαν uno contrario actu delebilem, sed peccatum intimis visceribus ac fibris arctissime per omnem vitam adhaerens: non ἐμπόδιον quoddam externum, quo vires per se integrae in suis actionibus impediantur, sed ἀκαταστασίαν καὶ ἀταξίαν omnibus facultatibus intime adhaerentem, per quam homo amissa concreata rectitudine atque integritate ad omne bonum ineptus, ad omne malum pronus, irae divinae obnoxius ac aeternae mortis nexibus est illigatus.

90. Remotis igitur Pelagianorum ac πελαγιανιζόντων in defectu circa peccati originalis naturam aberrantium opinionibus restat, ut Manichaeorum et Flacianorum in excessu aberrantium et peccatum originis cum ipsa hominis natura confundentium opinionem refutemus. Manichaei referente Augustino de haeres. ad Quodvultdeum haeres. 46. docebant, *carnalem concupiscentiam non ex vitiata in primo homine natura nobis inesse infirmitatem, sed substantiam esse contrariam sic nobis adhaerentem, ut quando liberamur atque purgamur, separetur a nobis* etc. Flacius non in omnibus quidem, in eo tamen Manichaeos sequitur, quod

Manichaei.

Flaciani.

peccatum originis statuit substantiam malam; sic enim scribit part. 2. Clav. tr. 6. de pecc. orig. p. 480: *Totus homo, quantus jam est sive in substantia sive in accidentibus quatenus talis est, mera abominatio ac peccatum est.* Ibid. *Nos olim fuimus in prima creatione quiddam valde bonum tum in accidentibus tum in substantia, postea mutati sumus essentialiter in rem valde malam substantia sua, ut si vinum optimum esset mutatum in acetum acerbissimum.* p. 482: *hoc modo assero et sentio peccatum originale esse substantiam, quia anima rationalis et praesertim ejus nobilissimae substantialesque potentiae, nempe intellectus et voluntas, nunc sunt adeo prorsus inversae, ut sint vera et viva imago Satanae* etc. p. 496: *Scriptura testatur hominem in novam formam conditum, ut si sibi Satan ex illis pulcherrimae domus ruderibus novum quoddam tristissimumque aedificium condidisset.* Haec Flacius, quibus similia plura inveniuntur in aliis ipsius scriptis, praesertim vero in demonstrationibus de essentia imaginis Dei et diaboli, in defensione sanae doctrinae de justitia ac injustitia originali edita Basileae anno 70. in libr. Nosce te ipsum etc.

An D. Lutherus Flacii errorem probet.

91. Antequam errorem hunc profligemus, respondendum prius calumniis Bellarmini, qui D. Lutherum et omnes, qui ipsum sequuntur, ejus reos peragere non dubitavit libro 5. de stat. peccat. et amiss. grat. capite 1. et seq. Argumentis utitur hisce: 1. Lutherus super 3. Genes. statuit, *peccatum esse de essentia hominis*, in Psalm. 50. dicit, *foetum in utero peccatum esse.* Respondemus: Disputat eo loco Lutherus contra Scholasticos, qui justitiam originalem statuunt non fuisse intrinsecam naturae
IV. 335. qualitatem, sed donum exterius superadditum; contra hos pronuntiat Lutherus, justitiam originalem ante lapsum et peccatum originis post lapsum esse de essentia hominis, hoc est, justitiam originalem fuisse totius humanae naturae integritatem, et peccatum originis esse ejusdem penitissimam atque intrinsecam corruptionem, non nudam doni extrinseci corruptionem. Eodem sensu totum hominem peccatum vocat, hoc est, peccato corruptum et depravatum; quam sententiam suam in illis ipsis aliisve locis diserte exposuit Doctor Lutherus. Sic enim scribit in c. 4. Genes.: *Spirituales homines distinguere debent inter peccatum originale et creaturam.* in c. vigesimo quinto Gen.: *Necessario ἀταξία seu deformitas discernenda a creatura.* In explicatione Psalm. 90. utitur voce accidentis in descriptione originalis peccati. 2. Wigandus in propositionibus de peccato originis prop. 119: *peccatum originis* dicit *esse rem ream et sua natura dignam aeterna morte et damnatam a Deo, nisi per Christum remissio fiat.* prop. 123. *per peccatum originis totam hominis substantiam esse corruptam et depravatam.* Heshusius in lib. de peccat. orig. dicit, *imaginem Dei in homine fuisse salvam.* Chemnicius in Resolv. de peccat. orig. dicit, *totam massam animae corruptam esse summa atque extrema depravatione.* In exam. conc. scribit, *peccatum esse quicquid repugnat legi sive sit defectus, sive inclinatio, sive actio. Hi omnes videntur Bellarmino sive imprudentes sive praevaricantes in castra Flacii abire.* Respondemus: Qua conscientia Bellarminus illis diligentissimis hujus dogmatis interpretibus et Flacii accuratissimis refutatoribus hoc crimen intentat? nimirum remota declaratione expresse addita verba ipsorum in alienum sensum detorquet. Wigandus peccatum originis vocat rem ream, h. e. ut manifeste se ipsum explicat, hominem propter illud esse coram Deo reum; vocabulum igitur rei opponit nudae negationi, hoc significatu: peccatum originis non est nuda negatio, sed res sive ens, scilicet privativum, et vitiosa qualitas. Tota substantia hominis per peccatum recte dicitur corrupta, ex eo autem non sequitur, quod sit in aliam substantiam mutata. Imago Dei fuit in homine substantia ipsa, hoc est, essentialis quaedam humanae substantiae perfectio. In verbis Chemnicii, quae Bellarminus adducit ex concilii Tridentini examine, manifestum est erratum typographicum; rationis vox corrigenda est per actionem, quod Bellarminus non potuit ignorare, cum sint ex Augustino verba illa adducta. *3. Lutherani statuunt, peccatum originis esse positivam qualitatem. Ergo sunt Manichaei.* Respondemus: imo vero calumniatur Bellarminus, neque enim dicimus, peccatum originis esse αὐτοσύστατόν τι, vel accidens quoddam naturae concreatum, sed pravam inclinationem et totius naturae corruptionem, sensu eo, quem superius late exposuimus. Quid, an non ipse Bellarminus lib. 5. de stat. pecc. c. 19. col. 414. agnoscit habitum quendam vitiosum, qui sit qualitas positiva, num propterea patietur Manichaei haeresin sibi tribui?

92. Enumerabimus breviter argumenta Flacio opponenda: 1. Scriptura peccatum originis ab ipso homine distinguit, dum vocat κακὸν παρακείμενον Rom. 7, v. 21. ἁμαρτίαν εὐπερίστατον Hebr. 12, v. 1. καὶ ἐνοικοῦσαν Rom. 7, v. 17. Propheta regius sese in peccatis conceptum pronuntiat Psalm. 51, v. 7, idem petit, ut peccatorum Deus oblivisci, sui vero meminisse velit Psalm. 25, v. 7. Apostolus itidem inter suam personam et peccatum in se habitans sibique adjacens accurate distinguit Rom. 7. 2. Imago Dei in primo homine non fuit ipsa hominis substantia, sed accidentalis quaedam perfectio, ut suo loco ostendimus. Ergo etiam peccatum originis, quod in locum imaginis divinae successit, non est substantia, sed extrema substantiae corruptio. 3. Peccatum originis non est a Deo, sed a Satana et prava hominis voluntate. Jam vero omnis substantia est a Deo creatore. 4. Series articulorum fidei praecipuorum id ipsum comprobat. Deus ipsam cujusque hominis naturam etiam post lapsum creat et in utero format, Job. 10, v. 8. et alibi passim. Peccatum vero non creat nec format. Filius Dei assumsit veram humanam naturam anima et corpore constantem, juxta quam est nobis ὁμοούσιος, peccatum IV. 336—344 [sic].
autem non assumsit; *est similis nobis per omnia excepto peccato* Hebr. 4, v. 15. Christus redemit

Peccatum originis non esse ipsam hominis substantiam.

homines a peccato, non autem peccatum ipsum redemit; justificat hominem a peccato, non autem ipsum peccatum justificat; per baptismum abluit hominem a peccatis, non autem ipsum peccatum baptizat; corpus ex morte resuscitatum atque animae unitum vitae aeternae particeps reddit, non autem ipsum peccatum in vitae aeternae consortium admittit. 5. Qui statuit, peccatum esse ipsam hominis substantiam, multis se absurdis implicat et a blasphemia vix ac ne vix quidem temperat. Sequitur enim ex eo pronuntiato: aut Deum peccati, aut diabolum substantiae alicujus creatorem; Filium Dei aut peccato contaminatum, aut nobis ἑτερούσιον esse, hominem per lapsum in aliam substantiam esse transformatum; Adamum substantia alium conditum, alium vero in peccatum prolapsum; peccatum originale et actualia esse ἑτερογενῆ ac diversorum generum species; aut non ipsum hominem resurrecturum, aut peccatum etiam resurrecturum etc. 6. Denique veteres unanimi consensu docent, peccatum non esse aliquid per se subsistens; sed παρεισακτόν τι, non esse naturam, sed naturae vitium ac corruptionem. Tertull. de resurr. pag. 75: *tam vetustatem hanc quam novitatem ad moralem, non ad substantialem differentiam pertinere defendimus.* Videatur Iren. libr. 5. adv. haeres. Basil. in orat. Quod Deus non sit auctor mali. Ambros. libr. 1. Hexaëm. c. 81. de vocat. gent. c. 3. Chrysostom. serm. 13. Ephes. col. 1037. August. libr. 1. contra Julian. c. 3. libr. 2. de pecc. orig. c. 33. libr. 1. de nupt. et concupisc. c. 23. de natura et grat. c. 201. et in omnibus libris contra Manichaeos, Cyrillus, Nazianzenus, Damasc. 4. orth. fid. c. 21. etc.

Flacii exceptiones. 93. Exceptiones Flacii, quas Fraxineus repetit et urget, potiores hae sunt: *1. Distinguendum esse inter substantiam integram et corruptam, illam esse a Deo, hanc a diabolo.* Respondemus: Omnis substantia, sive ea sit integra sive proprio vitio corrupta, a Deo est per creationem, et ab eodem adhuc sustentatur per conservationem. Quod si tota hominis substantia est peccatum, sequetur Deum esse peccati auctorem et conservatorem. Sed nec diabolus potuit per peccatum naturam hominis essentialiter mutare, quia mutationes essentiales soli Deo adscribendae. *2. Distinguendum esse inter hominis considerationem physicam et theologicam.* Respondemus: Diversus considerandi modus non facit ipsum hominem substantia diversum: non solum philosophia, sed etiam theologia unum essentia hominem agnoscit, sed diversas eidem propter ipsam substantiam et propter corruptionem substantiae adhaerentem affectiones adscribit. Paulus regeneratus idem est (quoad substantiam) cum Paulo persecutore. Homines nondum renati scriptam habent legem in cordibus suis Rom. 2, v. 14. et naturae ductu faciunt interdum ea, quae sunt legis; jam vero in ipsum peccatum lex non est scripta, quippe quod est ἀνομία, nec peccati ductu gentes, quae legis sunt, faciunt. *3. Christum assumsisse naturam humanam, non qualem nos habemus, sed qualis fuit in Adamo ante lapsum, resurrecturum etiam eundem hominem, sed substantiali forma mutatum.* Respondemus: Si natura humana, qualis fuit ante lapsum et qualis est in nobis post lapsum substantialiter differunt, sequitur omnino, Christum non esse nobis ὁμοούσιον. Recte dicitur, Christum assumsisse naturam humanam, non qualem nos habemus, peccato scilicet infectam et contaminatam, sed qualis fuit in Adamo, sancta scilicet atque integra, interim manet firmum fixum, quod eandem assumserit naturam, quam nos habemus post lapsum, intellige ratione substantiae, non autem ratione qualitatum. Idem ad effugium alterum responsum esto. Eadem caro resurget, non autem earundem qualitatum vitiosarum particeps; intercedet aliqua mutatio, sed non substantialis; si enim forma hominis substantialis mutabitur, quomodo idem homo resurget.

94. Argumenta Flacii potiora haec sunt: *1. Scriptura descriptione peccati originalis utitur verbis substantialibus, nominat enim carnem, veterem hominem, corpus peccati.* Respondemus: Fit illud Argumenta Flacii. propter arctam et in hac vita indissolubilem naturae et morbi originalis conjunctionem per usitatam Scripturae metonymiam; se ipsam interim Scriptura recte declarat, vocans hoc malum παρακείμενον καὶ εὐπερίστατον. Deinde quia peccatum originis absque natura seorsim non peccat, cum per se ac seorsim non subsistat, sed substantia cordis humani quatenus originali hac lue est foedata, et quia non accusat Deus seorsim peccatum, sed ipsam naturam ut peccatricem atque ἄνομον seu propter peccatum, ideo etiam merito verbis substantialibus Scriptura utitur. IV. 345. Quid nomine veteris hominis intelligatur, apostolus diserte explicat Coloss. 3, v. 8 et 12: *deponite iram, malitiam, et induite viscera misericordiae, benignitatem* etc. quid nomine carnis, id exponit Galat. 5, v. 19: *manifesta sunt opera carnis, fornicatio, immundities* etc. quid per corpus peccati intelligat, exponit Coloss. 3, v. 4: *mortificate membra vestra, quae sunt super terram;* ubi explicat istius corporis membra, posset etiam non incommode per corpus peccati lex sive impetus peccati intelligi, ut patet ex Rom. 7, v. 23: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae. 2. Peccatum originis est radix et fons omnium peccatorum* Rom. 7, v. 17: Jam vero alibi ipsum *cor* dicitur *radix et fons peccatorum* Matth. 15, v. 19: *Ergo ipsum cor est peccatum originis.* Respondemus: Peccatum originis quatenus tale et per se est fons et causa peccatorum actualium, cor hominis non quatenus tale nec per se, sed quatenus corruptum atque ideo κατ' ἄλλο. *3. Peccatum est id omne, quod cum lege pugnat: Atqui ipsum cor, ipsa anima, ipse totus homo pugnat cum lege. Ergo ipsum cor, ipsa anima, ipse homo totus est peccatum.* Bellarminus ridicule dicit, *a Chemnicio hoc argumentum solvi non posse, cum concedat majorem.* Sed enim Dn. Chemnicius solvit id jamdudum solidissime, nimirum quod peccatum proprie ac formaliter sit ἀνομία, ipsa a lege exorbitatio, non autem totum

id, quod *ἄνομον*, sit peccatum, quod ergo ipsum cor et totus homo dicitur peccatum, id sic intelligendum, quod omnes hominis vires, omnes animae facultates sint peccato corruptae, manet interim perpetuum discrimen inter facultates ipsas et inter adhaerentem corruptionem, inter naturam et naturae vitium. 4. *Quicquid a re separari nequit, est de ejus essentia. Peccatum originis separari nequit ab hominis substantia. Ergo est de ejus essentia.* Respondemus: utraque propositio falsa. Dantur enim accidentia quaedam inseparabilia, et venenum peccati in resurrectione e carne extergetur. 5. *In regeneratione tollitur cor lapideum, et datur cor carneum. Ergo intercedit substantialis mutatio.* Respondemus: dicitur cor lapideum propter similitudinem, quae est inter cordis contumaciam ac lapidis duritiem, et cor carneum propter similitudinem, quae est inter cordis flexibilitatem ac carnis mollitiem, usitato igitur tropo cor lapideum tolli, et ejus loco cor carneum dari dicitur, quando duritie ablata cor hominis molle ac flexile per Spiritum sanctum redditur.

CAPUT VI.

DE SUBJECTO PECCATI ORIGINALIS.

Subjectum peccati originalis est totus homo.

95. Postquam naturam peccati originalis exposuimus hactenus, age dispiciamus de subjecto hujus morbi, quae consideratio non mediocriter confert ad gravitatem ejus cognoscendam. Dicimus ergo, hominem esse subjectum peccati originalis, non aliqua tantum sui parte, sed totum anima et corpore, singulis membris ac potentiis, quod confirmamus his argumentis: 1. Scriptura dicit, *totum hominem concipi et nasci in peccatis* Psal. 51, v. 7. *Ex immundo semine* Job. 14, v. 4. *esse carnem* Joh. 3, v. 3. Id ipsum etiam per partes ostendit; de mente et intellectu hominis dicit, *quod homo sit caecus, sit tenebrae, nec possit intelligere, quae sint Spiritus Dei* Eph. 5, v. 8. 1. Cor. 2, v. 14. de voluntate et corde dicit, *quod omne figmentum cordis tantum malum omni die a pueritia* Genes. 6, v. 5. c. 8. v. 21. *quod pravum cor sit et inscrutabile* Jerem. 17, v. 9. *quod*
IV. 346. *homo sit servus peccati* Joh. 8, v. 34. *mortuus in peccatis* Eph. 2, v. 1. de corpore et ejus membris dicit, *quod oculus et dextra scandalizent hominem* Matth. 5, v. 29. et 30. *quod peccatum habitet in mortali nostro corpore* Rom. 6, v. 12. etc. Rom. 3, v. 13. et seqq. singula fere membra hominis enumerantur. 3. Cumque habitus et privationes circa idem versentur subjectum, ideo ex subjecto originalis justitiae colligi potest, quodnam peccati originalis, quod in locum ejus successit, subjectum sit. Justitia originalis non fuit tantum aequabile temperamentum corporis, sed praecipue fuit rectitudo omnium animae virium. Ergo etiam peccatum originale non est tantum morbida aliqua corporis qualitas. Originalis justitia complectebatur integritatem et conformitatem virium hominis cum utraque decalogi tabula, nec sita tantum fuit in exterioribus actionibus vel inferioribus viribus, sed illius sedes fuit tota hominis anima cum omnibus viribus et potentiis. Ergo etiam peccatum originale non est tantum inobedientia appetitus sensitivi, nec sedes ejus tantum in inferioribus animae viribus, sed spiritualis haec lepra totum pervasit hominem, *ut nihil sani sit in ipso a summo vertice ad imum usque calcem.* Esa. 1, v. 6. 4. Idem ostendit hominis renovatio: Cum enim necesse sit, homines per Spiritum sanctum in anima et corpore renovari, utique etiam peccato originis anima et corpus depravata fuerunt. *Renovantur pii spiritu mentis suae* Ephes. 4, v. 23. *reformantur novitate mentis suae* Rom. 12, v. 7. *ut sapiant, quae sursum sunt* Coloss. 3, v. 2. *quin imo mundant se ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore DEI* 2. Cor. 7, v. 1. Ergo per naturam sunt carne et spiritu corrupti.

96. Audiendi ergo non sunt quidam ex Scholasticis, qui disputant, peccatum originis in inferiore tantum animae facultate sensitiva collocandam esse, superiores autem vires mentis ac rationis esse ab eo immunes. Quaerunt erroris patrocinium in c. 7. Rom. ubi apostolus dicit v. 18. *in carne sua non habitare bonum*, et v. 23. mentem a membris et carne discernens dicit, *se mente servire legi Dei, carne autem legi peccati.* Sed per carnem eo loco apostolus non intelligit corpus solum nec tantum sensitivam appetitionem, sed totum hominem cum omnibus facultatibus et viribus, quatenus nondum est regeneratus et adhuc sub vetustate carnis constitutus. Opponit enim eam Spiritui et conqueritur, se, quatenus nondum regeneratus, nec mente nec voluntate nec sensitivo appetitu recte uti, perinde ut Christus Joh. 3, v. 3. dicit, *quod ex carne natum est, esse carnem.* Et Galat. 5, v. 20. inter opera carnis recenset apostolus haereses; quas mentis, non autem appetitus sensitivi operationes esse manifeste constat Rom. 8, v. 6. tribuitur carni *φρόνημα*. Similiter legem mentis non de mente, qualis illa est natura, sed de mente Spiritu Dei renovata et illustrata, et membra de potentiis omnibus cum suis organis in homine (quatenus nondum regeneratus est) intelligit et dicit, se non mente, quatenus *λογιστικὴ* est, sed quatenus regenerata est, legi Dei servire.

Non inferiores tantum animae facultates.

97. Aperta ista veritas ipsius etiam Bellarmini assensum meruit. Sic enim scribit libr. 5. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 15. col. 429: *Negandum non est, etiam in parte animae superiore simile vitium inveniri; nam ea quoque animae pars prona est ad concupiscendos honores, inanem gloriam, et alias vanitates et, etiamsi nolimus, interdum ejusmodi parit desideria. Quocirca B. Paulus in epistola ad Galat. c. 5. cum dixisset, carnem concupiscere adversus spiritum, statim enumerans opera carnis, non solum nominavit fornicationem, ebrietatem et alia id genus, sed etiam idololatriam, haereses, inimici-*

Quod fatetur ipse Bellarm.

tias etc.: *quod diligenter notavit* S. August. lib. 14. de civit. Dei c. 2. 3. et 4, *ubi demonstrat, carnem interdum accipi pro toto homine, qualis est sine gratia Dei post lapsum Adami, et eum dici carnalem, qui secundum se ipsum, non secundum Deum vivit. Itaque concupiscentiae vitium licet praecipue in sensualitate, tamen etiam in mente sedem habet. S. autem Augustinus in libris contra Pelagianos ideo paene ubique loquitur de vitio sensualitatis,*
IV. 347. *quia in sensualitate magis hoc vitium sese prodit, non quod ignoraret etiam in mente locum habere.* Haec Bellarminus sibi ipsi diserte contrarius, nam lib. 5. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 7. col. 375. probaturus concupiscentiam non esse peccatum utitur hoc argumento: *Apostolus dicit, hujusmodi malum non esse in se, sed in carne sua; constat autem, carnem non esse capacem peccati proprie dicti.* Quo pertinet, quod quidam ex Scholasticis statuunt, duas esse in homine malas qualitates, unam in carne, alteram in anima, quarum posterior a priore oriatur, cum anima ex carnis contactu polluatur. Vide Lombard. 2. sent. dist. 31. lit. B. et C. Henricum quodlib. 2. q. 11. Arim. 2. sent. dist. 30. q. 1, quos sequitur Driedo lib. 1. grat. et lib. arbit. Alii contra fomitem illum peccati tantum in carne statuunt, quod Occam. p. 3. quodlib. 10. sic explicat: *Fomes est qualitas carnis inordinata inclinans appetitum sensitivum ad actum deformem et vitiosum in habente judicium rationis. Sicut infirmitas causatur quandoque ex improportione humorum, aliquando ex putrefactione illorum causatur qualitas distincta ab humoribus; ita ille fomes vel est improportio humorum, vel aliqua qualitas distincta ab humoribus.* Haec Occam. Biel ab utraque parte gratiam inire voluit, sic enim scribit 2. sent. dist. 30. q. 2. art. 6: *secundum magistrum duae qualitates morbidae ponendae, una in anima, quia in sola anima est peccatum, altera in carne, quia qualitas illa est in semine, priusquam infundatur anima, alioqui non contraheretur a parente* art. 7; secundum Anselmum *una qualitas videtur sufficere, quae subjectatur in carne, quia cavenda pluralitas.*

CAPUT VII.

DE MODO, QUO PECCATUM ORIGINIS PROPAGATUR.

…des propaga…nis …cati …gina…, est …era…car…lis.

98. Exposito originalis peccati subjecto, dicendum erit de modo, quo hoc malum propagatur. Statuimus autem originalem istam labem propagari in omnes Adae posteros per generationem carnalem. *1. Quia ex carne nascimur caro* Joh. 3, v. 3. *in peccatis concipimur* Psalm. 51, v. 7. *et ex immundo semine in utero formamur* Job. 14, v. 4. Ergo per generationem carnalem peccata et immundities propagantur. *2. Natura sumus filii irae* Ephes. 2, v 3. Ergo nascendo contrahimus tale quid, propter quod rei sumus irae Dei et judicii divini. 3. Quomodo omnes homines pendent ab Adamo, ea etiam ratione peccatum per Adamum in eos transit. Atqui omnes homines pendent ab Adamo ratione carnalis generationis. Ergo carnali generatione peccatum in omnes homines pertransit. 4. *Adam genuit filium ad imaginem suam* Gen. 5, v. 1. Ergo gignendo imaginem suam peccato corruptam in filium et omnes posteros propagavit.

An, si Eva sola peccasset, peccatum originale in posteros propagasset.

99. Explicandae hoc loco quaedam quaestiones: 1. Quaerunt Scholastici, *si Eva sola peccasset, Adamo in innocentia permanente, an peccatum Evae ad posteros fuisset traductum?* Thomas 1. 2. q. 81. art. 5. hoc negat, *peccatum originale* (inquit) *traducitur in filios a parente, in quantum ipse movet ad generationem natorum, principium activum in generatione est a patre, mater subministrat materiam.* Bellarm. 4. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 13: *Conveniunt omnes, peccatum proprie dictum non fuisse trajiciendum in posteros, si sola Eva peccasset; tamen in eo dissentiunt, quod aliqui existimant, ex peccato solius Hevae dimanaturam in filios moriendi necessitatem et caetera incommoda, quae mortalitas secum trahit; alii contra disputant, neque peccatum neque moriendi necessitatem in filiis Adae locum habitura ex peccato Adae.* Respondemus: 1. Quaestio haec inutilis est et otiosa, si enim Eva sola peccasset, procul dubio Adamus eam non cognovisset. 2. Sin contra, propagatum utique fuisset peccatum in posteros; IV. 348.
licet enim mater non sit principium generationis activum, tamen subministrat materiam, quam ex hypothesi peccato infectam et contaminatam Eva foetui communicasset, sicque ex immundo semine immundus foetus conceptus ac natus fuisset. 3. Quando apostolus *per unum hominem peccatum in mundum intrasse* pronuntiat, non excluditur Eva, quia personam generis humani non gessit solus Adam, sed etiam simul Eva, et ad generationem concurrit uterque parens; ideo autem unus homo nominatur, *quia conjuges non sunt duo, sed una caro,* Genes. 2. Matth. 19. 4. Absurdum est statuere, quod ex peccato Evae tantum mortalitas, non ipsum peccatum fuisset in posteros propagatum, *quia mors est stipendium peccati,* nec nisi per peccati portam mors in mundum intravit vel intrare potuit.

An peccata proximorum parentum in liberos transeant.

100. Quaeritur secundo: *An etiam proximorum parentum peccata transeant in liberos?* Lombard. 2. sent. dist. 33. sect. 5. negat, quem sequuntur reliqui Scholastici et Bellarmin. lib. 4. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 18. Nos cum Augustino dicimus in Enchirid. c. 46: *Parentum quoque peccatis parvulos obligari, non solum primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur, illa quippe divina sententia: reddam peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem, tenet eos utique, antequam per regenerationem ad testamentum novum incipiant pertinere.*

Nec valet exceptio Bellarmini, *quod Augustinus et reliqui patres fortasse non de contagione culpae, sed de communicatione poenae loquantur.* Nam 1. per voculam d u b i t a n d i ostendit, se huic solutioni non multum tribuere. 2. Verba Augustini sunt diserta et perspicua, conjungit enim primorum hominum et proximorum parentum peccata. Jam vero non poenae solum, sed ipsius culpae ratione primorum parentum peccatum propagatur. 3. Ratio addita id ipsum comprobat. Si enim Deus vult visitare iniquitatem parentum in filiis in tertiam et quartam generationem, utique filiis illa ipsa parentum peccata communicantur, alias puniret DEUS in liberis id, cujus non sunt revera participes, contra dictum Ezech. 18, v. 20, neque dari posset ratio, cur Deus in tertiam et quartam tantum generationem puniret eorum peccata, qui oderunt ipsum, si non propensionem illam singularem ad peccata a proximis parentibus in liberos communicatam puniret. 4. Suffragatur testimonium experientiae: Quemadmodum enim ex calculosis generantur calculosi, ita ex libidinosis vel avaris parentibus nascuntur liberi ad libidinem vel avaritiam prae reliquis hominibus proni. Interim tamen Augustini modestiam secuti non improbabiliter hoc dici asserimus, nec ut fidei articulum hoc propugnamus. Scholasticorum ac Bellarmini argumenta pro negante quaestionis parte adducta leviora sunt: *1. ut peccatum transferatur in sobolem, requiritur carentia justitiae et debitum habendi, hoc est, quod proles constituta sit debitrix habendi justitiam in parente, quod contingit, si parens accepit justitiam pro se et sua prole.* Biel. 2. sent. dist. 33. q. un. art. 3. Respondemus: Non originalis solum justitiae integritatem, sed etiam omnimodam a peccatis carentiam debemus Deo, tales enim sumus initio conditi. *2. Homo generat sibi idem in specie, non autem secundum individuum; ideo ea, quae directe pertinent ad individuum sicut personales actus et quae ad eos pertinent, non traducuntur a parentibus in filios.* Thom. 1. 2. q. 81. artic. 2. Respondemus: non quidem ipsi habitus, interim tamen semina habituum; non quidem personales actus, interim tamen actionum initia in sobolem transfunduntur, generatio terminatur quidem in idem specie, non in idem numero, quis interim negabit liberos et lineamentis corporis et propensionibus animi ut plurimum ad parentes proximos magis, quam ad reliquos homines accedere? *3. Apostolus dicit, uno unius hominis delicto peccatores constitutos esse plures, ideoque Adamum et Christum comparat, quod ille solus omnem posteritatem suam perdidit, hic solus omnem posteritatem reparavit.* Bellarm. l. d. Respondemus: Comparatio illa ratione peccati originalis instituitur,
IV. 349. quod ab uno homine pendere et in omnibus haerere manifestum est, sed ex eo nondum necessario evinci potest, proximorum parentum peccata nullo modo in liberos transfundi. *4. Experientia docet, saepe viros admodum malos genuisse viros admodum bonos, sic Ezechias, Josias et alii ex parentibus pessimis prognati, ipsi fuere optimi ac praestantissimi.* Respondemus: Propagatio peccati originalis ad omnes dimanat ac perpetua est, sed propagationi reliquorum peccatorum misericordia Dei metas ac terminos saepius constituit.

101. Quaeritur tertio: *An embryo nondum animatus habeat veram et propriam rationem peccati?* An em- bryo n dum an matus s peccato infectu
Bellarm. lib. 5. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 16. col. 371. *vocat incredibile paradoxum ac Illyrici vel Manichaei delirium,* quod Chemnicius in exam. concil. Trid. hoc affirmaverat. Sed expendat 1. emphasin dictorum Scripturae Job. 14, v. 4: *Quis dabit mundum ex immundo semine* (sic enim legit vulgata translatio.) Ergo ipsum semen, ex quo foetus formatur, est immundum et peccato infectum. Psalm. 51, v. 7: *In iniquitatibus* חוֹלָלְתִּי *genitus sum, et in peccatis* יֶחֱמַתְנִי *concepit me mater mea.* Ne quis putet, nos tum demum infectos esse, cum mater nos enixa est, audiat hic assererentem vatem, quod in peccatis calefecerit ipsum mater, hoc est, quod in primo conceptionis ardore peccati venenum una cum ipso calore a matre sit in ipsum transfusum. Nec absurde huc referri posset, quod Job. 15, v. 16. dicitur *homo bibere sicut aquam iniquitatem.* Vox enim שָׁתָה bibere ratione circumstantiarum habita optime potest referri ad nutritionem infantis in utero per cotyledones, quam ergo primum foetus nutrimentum a matre attrahit, statim etiam peccatum simul imbibit. 2. Dicta veterum Ambros. in Apol. David. c. 11: *Antequam nascimur, maculamur contagio; antequam usuram lucis, originis ipsius excipimus injuriam, in iniquitatibus concipimur* etc. *Merito David flebiliter deploravit in se ipso inquinamenta naturae, quod prius inciperet in homine macula quam vita.* Ibidem: *Nec illi materni conceptus dies sunt sine peccato, concipimur in peccato parentum.* Bernh. serm. 4. in nativ. col. 43: *in ipsa origine et radice mea infectus et inquinatus sum, immunda est conceptio mea* etc. Anselm. de conc. virg. c. 7. scribit, *homines in peccato originali concipi ante infusionem animae.* 3. Quin imo agnoscat Bellarminus sua verba, sic enim scribit lib. 4. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 4. col. 266: *Si solus Deus potest mundare hominem de immundo* conceptum *semine, sequitur eundem hominem ab ipsa* conceptione *esse immundum* etc. col. 267: *David se miserum ab ipsa conceptione fuisse dicit, verbum* Colaletthi *refertur ad formationem corporis, quae post parentum concubitum a Deo fit, ac voces* הֵמָּה עָוֹן *significant proprie verum peccatum. Vox* יֶחֱמַתְנִי *calefecit, refertur ad illud tempus, quo foetum jam formatum et animatum mater in utero fovet ac fovendo calefacit; certum autem est, nullum intervenire parentum peccatum, vel cum proles concepta formatur, vel cum jam formata in utero confovetur.* Haec Bellarminus sibi ipsi contrarius. Si enim homo ab ipsa conceptione est immundus, si foetus peccato obnoxius est eo etiam tempore, quo corpus ejus formatur, utique embryo nondum animatus habet veram peccati rationem.

Idem lib. 4. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 16. col. 327. *dicuntur in peccato concipi omnes filii Adae, cumprimum foetus in utero matris exsistere incipit, quamvis informis et inanimis. Tametsi enim peccatum proprie non possit esse nisi in anima rationali et foetus conformari incipiat longo tempore ante animationem, tamen quia tunc revera incipit homo exsistere ratione unius suae partis, (unde dicuntur filii in uteris matrum novem mensibus gestari* 2. Maccab. 7.) *et pars illa ex natura corrupta originem habet et vitiata recte nominari potest, atque ei ex vi suae generationis debetur, ut, cumprimum animam rationalem sortita fuerit, inde exsistat homo peccator et irae divinae filius, propterea non immerito dicuntur homines tunc primum in iniquitatibus generari.* Explicat hoc multis verbis
IV. 350. S. Anselm. in lib. de conceptu virginali et peccato originali c. 7. *et de hac prima conceptione exponit illud* Psal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Hactenus Bellarminus.

Peccatum originale non intravit in mundum imitatione.

102. Ex hoc theoremate de propagatione peccati originalis per carnalem generationem deducimus quatuor porismata. Primum esto: Non imitatione tantum per Adamum peccatum in mundum esse introductum, sicut Pelagius olim voluit, et apostolicum dictum Rom. 5, v. 12. eo modo depravavit, qua de re diximus plura superius.

Humana Christi natura non est in peccato concepta.

103. Alterum porisma (quod et ipsum observatu dignum) esto: Humanam Christi naturam non esse in peccato conceptam, nec lue hac infectam: *Non enim ex virili semine, sed mystico spiramine verbum Dei factum est caro, fructusque ventris floruit. Spiritus s. supervenit in Mariam,* Luc. 1, v. 35, id est, actione extraordinaria et coelesti supra communem naturae cursum in ea operatus est et perfecit, ut praeter rerum seriem sine virili semine virgo conciperet foetum, ac massam illam, ex qua formata est Christi caro, mundavit et separavit a peccato, Hebr. 7, v. 26; *extersit venenum peccati, et*
IV. 351. *fermentum ejus expurgavit*, ut loquitur Lutherus super 38. Genes. *ut quod ex ea natum est, fuerit sanctum* Luc. 1, v. 35. *et Messias sit sanctus sanctorum* Dan. 9, v. 24. *per omnia quidem nobis se-*
IV. 352. *cundum assumtam naturam similis, excepto tantum peccato* Hebr. 4, v. 15. Conceptus est Christus sine paternae carnis concupiscentia, sine maternae integritatis injuria, quia futurum omnium salvatorem talis ortus decebat, qui et in se haberet humanae substantiam naturae et humanae carnis inquinamenta nesciret.

104. Hac de re ita scribit Augustin. epist. 157. ad Optat. *Quomodolibet se origo habeat animarum, sive ex illa una* (primi hominis) *sive ex nulla alia propagentur, mediatoris tamen animam nullam ex Adam traxisse peccatum, dubitare fas non est. Si enim nulla propagatur ex altera, ubi omnes tenentur propagata carne peccati, quanto minus credendum est ex propagine peccatricis animam venire potuisse, cujus caro venit ex virgine, non libidine concepta, sed fide, ut esset in similitudine carnis peccati, non in carne peccati. Si autem peccato primae animae peccatricis ideo caeterae tenentur obnoxiae, quia ex illa sunt propagatae, profecto illa, quam sibi unigenitus coaptavit, aut peccatum inde non traxit, aut omnino inde non tracta est. Neque enim non potuit animam sibi trahere sine peccato, qui solvit nostra peccata, aut qui novam creavit ei carni, quam sine parente fecit ex terra, non potuit novam creare carni, quam sine viro sumsit ex femina.* Damasc. lib. 3. orth. fid. c. 2: *μετὰ τὴν συγκατάθεσιν τῆς ἁγίας παρθένου πνεῦμα ἅγιον ἐπῆλθεν ἐπ' αὐτὴν καθαῖρον αὐτὴν καὶ δύναμιν δεκτικὴν τῆς τοῦ Λόγου θεότητος παρέχον, ἅμα δὲ καὶ γεννητικὴν, καὶ τότε ἐπεσκίασεν ἐπ' αὐτὴν ἡ τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου ἐνυπόστατος σοφία καὶ δύναμις, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ὁ τῷ πατρὶ ὁμοούσιος οἱονεὶ θεῖος σπόρος, καὶ συνέπηξεν ἑαυτῷ ἐκ τῶν ἁγνῶν καὶ καθαρωτάτων αὐτῆς αἱμάτων σάρκα ἐψυχωμένην ψυχῇ τε λογικῇ τε καὶ νοερᾷ, ἀπαρχὴν τοῦ ἡμετέρου φυράματος, οὐ σπερματικῶς ἀλλὰ δημιουργικῶς διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Post consensum s. virginis Spiritus s. supervenit in illam, mundans ipsam et virtutem divinitatis Verbi susceptivam ei praebens, simul et generativam. Et tunc obumbravit ei Dei altissimi in sua subsistens hypostasi sapientia et virtus, filius Dei Patri consubstantialis, velut divinum semen, et construxit sibi ipsi ex castis et purissimis ipsius sanguinibus carnem animatam anima rationali et intellectuali, primitias nostrae conspersionis, non seminaliter, sed opere conditorio per Spiritum sanctum* etc.

Etiam renatorum liberi nascuntur peccato originali obnoxii.

105. Tertium porisma esto: Etiam fidelium et renatorum liberos afferre secum in mundum hanc originalem luem. Cinglius in lib. de baptismo statuit, *nihil esse in filiis fidelium etiam ante baptismum, quod proprie peccatum dici possit.* Calv. lib. 4. Instit. c. 15. sect. 22: *non ideo baptizantur fidelium liberi, ut filii Dei tunc primum fiant, qui ante alieni fuerint ab ecclesia.* c. 16. sect. 24: *Isaacus* (et alii fidelium liberi) *ex eo, qui in foederis societatem receptus est, progenitus haereditario jure secundum promissionis formulam jam a matris utero in foedere continentur.* Et postea: *Qui a Christianis originem ducunt infantes in foederis haereditatem statim ac nati sunt, a Deo excipiuntur.* Idem in lib. de rat. eccles. reform. p. 454. *sanctam ex fidelibus progeniem nasci asserit.* Beza resp. 2. ad colloq. Momp. p. 102: *sancti ex gratia gignunt ex eadem gratia sanctos vi foederis per fidem apprehensi.* Ibid. *Haec est illa parentum fides sic aliena, ut electis eorum infantibus nascendo facta sit sua ad foederis in baptismo obsignationem, alioqui non admittendis.* p. 103: *ex quo sit, ut Christi membra nascantur.* p. 118: *Sanctos eos nasci pronuntiat.* p. 129: *aeternae vitae jus ex foederis forma acquisitum illis ex piis parentibus nascendo fuisse affirmat.* Martyr. sup. 17. Gen. scribit: *Infantes ex fidelibus natos ante baptismum ad Deum pertinere, et si patrem aut matrem non habuerint Deo conjunctos, forte habuisse aliquos ex suis majoribus, ideoque eos*

esse membra ecclesiae, propterea sanctos ex mera Dei misericordia, licet fidem veram in Christum non habeant. Innocent. Gentilletus in Apol. pro Christ. Gallis c. 6, n. 2: *maxime rationi congruum, ut credamus, liberos ex parentibus domus DEI do-*
IV. 353. *mesticis procreatos quasi vernas domesticos esse.* Candidus in notis, nota 4, p. 11: *Ex Christianis nasci Christianos asserit, sicut ex Judaeis Judaeos, ex Turcis Turcas.*

Quod probatur ex Scriptura.

106. Sed hunc ipsorum errorem jugulamus sequentibus Scripturae fundamentis: 1. Generalia sunt Spiritus s. pronuntiata, quae posteros Adae per carnalem generationem ex ipso propagatos peccato originali obnoxios nasci testantur, nuspiam fidelium liberi excipiuntur. Joh. 3, v. 6: *Quicquid ex carne natum, caro est.* Rom. 5, v. 12: *per unum hominem intravit peccatum in mundum, et per peccatum mors, atque ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* 2. In specie de fidelium liberis idem pronuntiatur, quod in genere de omnibus. David natus erat ex circumcisis ac piis parentibus, interim tamen fatetur Ps. 51, v. 7. *se in iniquitatibus conceptum esse.* Paulus apostol. de se et aliis renatis diserte pronuntiat, Eph. 2, v. 3: *Eramus natura filii irae sicut et caeteri.* Adamus per Spiritum s. jam renatus ac renovatus nihilominus filium generat secundum suam imaginem peccato corruptam, Gen. 5, v. 1. 3. Baptismus est primus ad ecclesiam ac Dei gratiam aditus, *est lavacrum regenerationis ac renovationis,* ut suo loco docebimus. Jam vero etiam fidelium liberi baptismo indigent, utique ergo ante baptismum nondum sunt membra ecclesiae, necdum renati. 4. Piorum liberos non nascendo sed renascendo filios Dei fieri diserte ostenditur, Joh. 1, v. 12: *quotquot receperunt Christum, dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus.* v. 13: *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* 5. Quae fuit ratio circumcisionis in V. T., eadem est ratio baptismi in Novo, Coloss. 2, v. 11. Jam vero per circumcisionem demum Israëlitarum liberi in foedus et gratiam Dei recipiebantur, alias subjecti divinae comminationi, Gen. 17, v. 14: *masculus habens praeputium, qui non circumciderit carnem praeputii sui, peribit de populo suo.* Ergo etiam per baptismum demum Christianorum liberi in foedus gratiae recipiuntur.

Et patribus.

107. Idem docent veteres, quando baptismum pro ordinario regenerationis ac salutis medio agnoscunt, quando omnes peccato obnoxios nasci pronuntiant, quando Pelagianis parentum renatorum conditionem urgentibus respondent generationem carnalem fieri secundum carnem, non secundum gratiam etc. Tertull. in Apologet. c. 17. in fine: *Fiunt, non nascuntur Christiani;* quod repetit Hieron. ad Laetam. Cypr. lib. 3. Epist. 8. ad Fidum; *etiam fidelium liberos contagium antiquae mortis prima nativitate contrahere*, scribit August. lib. 3. de pecc. merit. et remiss. c. 9: *Quid respondebitis, quare de Christianis non Christianus nascatur, nisi quia non facit generatio, sed regeneratio Christianos?* serm. 14. de verb. apost. id ipsum declarat duobus similibus oleastri ex semine oleae et frumenti cum palea ex grano purgato nati 1. de nupt. et concup. c. 18. et seqq. lib. 6. adv. Julian. c. 2. et seqq. lib. 16. de civit. Dei c. 27. et alibi passim id repetit. Beda in c. 1. Luc.: *ad distinctionem nostrae sanctitatis Jesus singulariter sanctus nasci asseritur. Nos quippe etsi sancti efficimur, non tamen nascimur, quia ipsa naturae corruptibilis conditione constringimur, ut merito cum propheta gementes singuli dicamus: Ecce in iniquitatibus conceptus sum.* Anselm. in 1. Cor. 7: *nec parvuli de quibuslibet sanctis justisque procreati originalis peccati reatu absolvuntur, nisi in Christo fuerint baptizati.* Eadem constans reliquorum omnium assertio. Fulbertus pulcherrime: *Scimus et vere scimus, nos prima nativitate pollutos, secunda nativitate mundos; prima nativitate captivos, secunda nativitate liberos; prima nativitate terrenos, secunda nativitate coelestes; primae nativitatis vitio carnales, secundae nativitatis beneficio spirituales; per illam filios irae, per istam filios gratiae.* Refero huc, quod Aretius scribit part. 1. problem. 7. fol. 88: *Alia est ratio vitii, quod in naturam transiit, quam fit ratio beneficii, quod precarium est et plane gratuitum; naturalia non est mirum naturaliter propagari, sed ut re-* IV. 354.
missio peccatorum non est naturae, sed gratiae divinae, ita in parentibus manet donum gratiae divinae, nec fit haereditarium.

Exceptio Calvini

108. Excipiunt *peccati originalis propagationem in liberos fidelium a se non negari, sed hoc tantum doceri, quod liberi fidelium pertineant ad foedus gratiae etiam ante baptismum.* Respondemus: 1. Si liberi fidelium nascendo ex parentibus renatis participes fiunt gratiae divinae ac salutis aeternae, utique nascendo non amplius erunt filii irae; haec enim immediate sibi invicem repugnant. Generatio ex piis parentibus est vehiculum irae divinae, non ergo gratiae. 2. Si fidelium liberi ex sanctis nascuntur sancti, utique non nascuntur peccato obnoxii: haec enim itidem sibi immediate opponuntur. 3. Nec valet subterfugium de sanctitate foederis. Patet quidem Christianorum liberis aditus ad baptismum, per quem divino foederi inseruntur et in filios Dei cooptantur; interim tamen non nascuntur foedere isto jamdum comprehensi, hoc est, per ipsam carnalem nativitatem non inseruntur huic foederi, sed per spiritualem *παλιγγενεσίαν* in baptismo; habent jus ad rem (propter divinas promissiones), non autem habent jus in re (propter carnalem nativitatem peccato obnoxiam).

Argumenta partis adversae 1. Ex Deus seminis tui, Gen.

109. *Ψευδοθεμέλια* potiora haec sunt: 1. Gen. 17, v. 7: *pollicetur Deus, se fore etiam seminis nostri Deum.* Respondemus: Promissio haec est, quae applicationem requirit, medium istius applicationis erat ipsum circumcisionis sacramentum v. 9: *tu autem pactum meum servabis.* v. 10: *circumcidatur in vobis omne masculinum*: quod si absolute quis

hanc promissionem accipere velit, ei repugnat v. 14, qui comminatur excisionem illis, qui hoc Dei pactum per circumcisionis contemtum faciunt irritum. Referendus huc locus Act. 2, ubi pulcherrime promissio illa foederalis explicatur. Monet Petrus apostolus Israëlitas v. 38, ut poenitentiam agant ac baptismum suscipiant, v. 39. addit rationem, *vobis enim facta est promissio et filiis vestris;* finge posteros Abrahae actu in foedere gratiae etiam ante circumcisionem in V. et baptismum in N. T. fuisse, nulla erit in verbis apostoli connexio. Res ergo eo redit: Deus peculiarem hanc praerogativam concedit posteris Abrahae, quod pateat ipsis aditus ad foedus gratiae, nimirum ordinarie per circumcisionis sacramentum, quae promissio divina ex parte nostra requirit fidem, cujus excitandae atque augendae medium sunt sacramenta; deficiente conditione cessat conditionalis promissio, atque inde *non omnes, qui sunt ex Israël, Israëlitas esse, sed qui ex fide sunt, eos demum filios Abrahae esse*, pronuntiat apostolus Rom. 9, v. 6. Gal. 3, v. 7. *3.* 1. Cor. 7, v. 14: *Filii vestri sancti sunt.* Respondemus: Sanctitas hic non intelligitur spiritualis et interna (quia per conjugem fidelem alterum infidelem sanctificari apostolus pronuntiat, quod de sanctificatione interna ac spirituali exponi nequit), sed ecclesiastica. Liberi ex conjugio personae fidelis ac infidelis progeniti sunt sancti, id est, habentur pro natis in ecclesia, ita ut pateat ipsis aditus ad baptismum, hinc Tertullianus: *Sancti sunt, id est, sanctitati destinati.* Hieronymus: *Christianae fidei candidati sunt, ac in privilegio consequendae sanctitatis constituti.* Augustin. 2. de peccat. merit. et remiss. c. 25: *Illa sanctificatio, cujuscunque modi sit, quam in filiis fidelium esse dixit apostolus, ad istam de baptismo et de peccati origine vel remissione quaestionem omnino non pertinet; nam et conjuges infideles in conjugibus fidelibus sanctificari dicit eo ipso in loco; non opinor quisquam tam infideliter intelligit, quodlibet in his verbis intelligat, ut ob hoc existimet, etiam maritum non Christianum, quod Christiana fuerit uxor ejus, neque jam baptizari oportere, et ad peccatorum remissionem pervenisse, et in regnum coelorum esse intraturum, quod sanctificatus dictus est in uxore. 3. Nisi liberi fidelium ante baptismum sancti et in DEI gratia constituti, sequetur eos, qui absque baptismo decedunt, aeternae morti obnoxios esse.* Respondemus: Distinguendum est id, quod extraordinarium, a communi regula. Ostendemus suo loco in tractatu de baptismo, quod extraordinarie et in casu necessitatis Deus infantes per parentum et ecclesiae preces sibi oblatos, etiam eos, qui absque baptismo ex hac vita exeunt, in gratiam recipiat, ibidem de reliquis quoque adversariorum argumentis videbimus.

2. Filii vestri sancti sunt, 1. Cor. 7.

3. Morientes absque baptismo parvuli non damnantur. IV. 355.

An b. Maria peccato originali nata fuerit obnoxia.

110. Quartum porisma esto: Nec Mariam exceptam esse speciali privilegio, quo minus peccato huic originali fuerit obnoxia. Orta est gravis hac de re concertatio circa annum Christi 1370. inter monachos ordinis Praedicatorum et Minorum seu Franciscanorum. Illi asserebant b. Mariam, ut et alios homines, in peccato originali conceptam; hi vero id pernegabant: enormes Praedicatorum imposturas in miraculis ad sententiae suae confirmationem excogitatis et confictis vide Cent. 16. Wolffii anno 1507. p. 10. ex Stumphii chron. Helvetico. Franciscanos (qui praeeuntem habent Scotum 2. sent. dist. 3. Thom. de Argent. 2. sent. dist. 4.) hodie sequuntur Jesuitae, sic enim Costerus in Christ. Instit. lib. 5. ad Mariam: *Nunquam vel naevum habuisti peccati, sive quod a primis humani generis parentibus propagatum, sive quod aliqua culpa tua commissum esset etiam levissimum et venia facile dignum, nihil, inquam, vel opere vel verbo vel cogitato admisisti, quod non usque quaque Deo gratissimum.* Suarez. in Thom. p. 3. q. 27. art. 1: *Est hoc privilegium b. virginis speciale, in prima sua conceptione immunem a peccato fuisse.* Salmer. Comm. in 5. Rom. disp. 51. initio non erubescit sic scribere: *Multitudini doctorum* (qui privilegium immaculatae conceptionis b. Mariae negant,) *opponimus aliam multitudinem, ut clavus clavo trudatur, et universae paene ecclesiae consensum opponimus, et universitatum omnium concordem sententiam, praesertim ejus, quae primaria est, Parisiorum* etc.

Dissensiones Pontificiorum in hac quaestione.

111. Sed enim nec omnes Pontificii immaculatam Mariae conceptionem statuunt (ut postea apparebit) nec, qui eam statuunt, uno eodemque modo ab originali peccato b. virginem liberant. Quidam existimant, *b. virginem ne quidem in Adamo potentia peccasse, et addunt, legem de non gustando ligno scientiae boni et mali datam quidem fuisse primo parenti pro se et omnibus posteris, sed exceptam fuisse Mariam virginem, ac proinde illam, ut fuit in lumbis Adae, gustasse cibum vetitum, non tamen peccasse, quia prohibitio ad eam non pertinuerit* (hanc sententiam Bellarmin. c. 16. col. 328. dicit, *minus tutam esse, cum et ipsa virgo Christi sanguine sit redemta.)* Quidam vero dicunt, *primam Mariae conceptionem* (qua foetus informis ac inanimis in utero exsistere incipit) *similem fuisse aliorum conceptioni,' sed animam Mariae in primo instanti creationis et infusionis animae sine peccati originalis macula fuisse, ita ut nunquam persona illa actu exsistens peccatum habuerit; atque in hoc differre Mariam a caeteris sanctis, qui per gratiam Dei ac meritum passionis Christi a peccato originali liberantur, quod illi communiter liberentur post nativitatem, alii pauci ante nativitatem, sed post animationem, sola autem Maria in ipso instanti animationis.* (Hanc sententiam tuetur Bellarminus loco dicto), sed in legenda sanctorum narratur, *Mariam non ex congressu connubiali, sed ex osculo Joachimi, quod conjugi Annae fixerat, conceptam esse*, et Galatinus lib. 7. de arc. Cath. verit. refert, *materiam Mariae virginis ab initio productam et membro Adae insertam ac conservatam, quae postea emanarit ad Seth, deinde ad Enos, deinde succedaneo jure ad reliquos usque ad sanctum Jojakim, ex qua* (materia) *Maria virgo sit formata.* Ex quo sequeretur, etiam primam illam (quam Bellarm. ita vocat) b. Mariae

IV. 356.

conceptionem fuisse ab omni peccati labe immunem. Biel 3. sent. dist. 3. q. 1. conclus. 3. statuit, *B. Mariam post sui animationem esse in utero sanctificatam, priusquam in hujus seculi lucem nata;* ex quo sequeretur, non in ipso animationis instanti (quod vult Bellarminus) sed post animationem ante nativitatem Mariam fuisse a peccato originis liberam, quod tamen Thom. p. 3. q. 27. art. 1. *rationabiliter tantum concludi dicit*, *ac nihil hac de re in scriptura canonica tradi.* Quidam statuunt, *fomitem in b. virgine penitus ablatum et exstinctum esse*, de qua sententia Thomas p. 3. q. 27. art. 3. pronuntiat, *quod videatur hoc pertinere ad dignitatem matris, sed revera dignitati Christi aliquid derogare.* Quidam vero existimant, *per gratiae plenitudinem fomitem illum ita debilitatum, ut non potuerit ad peccatum inclinare.* Denique quidam existimant, *sententiam de immaculata b. virginis conceptione esse articulum fidei* (ut Clichtoveus et omnes, qui concilium Basiliense sequuntur). Quidam vero statuunt, *piam saltem ac probabilem eam esse,*
IV. 357. *non tamen de fide* (ut Bellarminus et alii complures).

An immaculata b. Mariae conceptio Pontificiis sit articulus fidei.

112. Nobis cum Bellarmino res erit. Is lib. 4. de amiss. gratiae et stat. peccati c. 15. primo dicit, *non haberi apud catholicos pro re certa et explorata ac fide catholica tenenda, b. virginem sine peccato fuisse conceptam*, *ideoque graviter accusat* Bugenhagium, quod in comm. c. 44. Jerem. *scripserat*, *pro articulo fidei hoc apud catholicos* (Pontificios) *haberi; concilium quidem Basil. hoc definire, sed non ut articulum fidei*, *neque a sede apostolica illud concilium esse probatum.* Respondemus: de hoc negotio rectissime nos erudire poterit Biel, is 3. sent. dist. 3. q. 1. art. 2. sic scribit: *Ecclesia statuit festum conceptionis generaliter celebrandum. Est autem ecclesiae auctoritas major auctoritate cujusque sancti saltem post canonicos scriptores. Determinatum est in concilio Basiliensi et sub plumbo publicatum in sessione* 36. 15. Cal. Octob. an. 1439. *in haec verba: Doctrinam illam disserentem, gloriosam virginem Dei genetricem Mariam praeveniente et operante divini muneris gratia singulari nunquam actualiter subjacuisse originali peccato*, *sed immunem semper fuisse ab omni originali et actuali culpa, sanctamque et immaculatam, tanquam piam et consonam cultui ecclesiastico, fidei catholicae, rectae rationi et Scripturae sacrae*, *ab omnibus catholicis approbandam fore tenendam et amplectendam definimus, nullique de caetero licitum esse in contrarium praedicare vel docere.* *Haec ex originali plumbato.* (Hactenus Biel, ex quo ita concludimus. Quodcunque ut cultui ecclesiastico fidei catholicae rectae rationi et Scripturae sacrae consonum ab omnibus ita definitur amplectendum, ut nulli liceat contrarium docere, id pro articulo fidei habendum definitur; atqui immaculatam conceptionem Mariae eo modo definit concilium.) Pergit Biel et notari jubet quod Sixtus IV. *papa historiam de hoc festo suà ordinatione editam, in qua expresse continetur, Mariam virginem sine originali peccato conceptam*, *repetitis vicibus approbaverit, et omnibus eam in festo conceptionis in ecclesiis publice cantantibus, dicentibus aut interessentibus indulgentias largas sit largitus.* Vide ipsam constitutionem Sixti c. cum praeexcelsa Extra. de reliquiis et vener. sanctorum. Quid, quod quidam ex ipsis Pontificiis statuunt, concilium esse supra papam, contra quos non procederet ista exceptio, quod Basiliense concilium non sit a Romano pontifice approbatum, qua de re vide historiam hujus concilii ab Aenea Sylvio editam. Clichtoveus in lib. 3. Damasc. de orth. fid. c. 2. p. 168: *Sacrosanctam virginem primaevae culpae et ab origine contractae contagio in ipso conceptu fuisse contaminatam*, *non modo ecclesiae catholicae determinationi et pietati fidei est contrarium*, *sed et sacris literis et Scripturis.* Surius in Comm. rerum gestar. p. 20. refert, *quod in academia Moguntina nulli promoveantur theologiae doctores*, *nisi juramento interposito*, *se immaculatam virginis conceptionem credere*, *affirment.* Salmeron Comment. 5. Rom. disp. 51. §. Deinde. *scribit*, *quod in academia Parisiorum nullus magistri in theologia titulo dignus habeatur*, *qui non prius jurisjurandi religione se adstrinxerit ad hoc virginis privilegium tuendum et propugnandum.* Canisius lib. 1. c. 7. de virgine Deipara, *idem in Hispaniae academiae usitatum esse testatur.* Quid ergo mirum, si Bugenhagius pronuntiavit in ecclesia Romana pro fidei articulo hanc sententiam haberi?

B. Mariam peccato originali fuisse obnoxiam probatur ex Scriptura.

113. Secundo scribit Bellarminus *sententiam de immaculata virginis conceptione nec haereticam nec erroneam esse, cum nec Dei verbo nec ecclesiae declarationi sit contraria.* Respondemus: imo vero Scriptura, veteres doctores, quidam ex Scholasticis, adeoque quidam ex ipsis Pontificiis b. Mariam in peccatis conceptam esse testantur. Ex Scriptura haec producimus argumenta: *1. Ubi lex non distinguit, ibi nec nos distinguere debemus*, dicunt jurisconsulti; pari modo, ubi Scriptura non distinguit, ibi nec nos distinguere debemus. Jam vero Scriptura IV. 358.
in genere pronuntiat, omnes carnali generatione ex Adamo propagati peccato originali obnoxios nasci. Rom. 15, v. 12: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et mors pertransiit in omnes, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον.* Rom. 5, v. 12: *Quicquid ex carne natum, caro est.* Rom. 3, v. 22: *omnes peccaverunt.* Frigide respondet Bellarminus, probabiles rationes afferri pro speciali isto Mariae privilegio; quales illae sint, videbimus postea; privilegia specialia disertis et expressis verbis concipiuntur, cum generali regulae derogent. 2. Scriptura soli Christo hoc privilegium assignat, quod sit κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, Hebr. 7, v. 26, quod solius Christi conceptio sit munda, sancta et incontaminata; in consortium hujus dignitatis ἄτερ γραφῆς b. Maria non est admittenda. 3. Maria non caruit peccatis actualibus. Ergo nec originali, quippe fons actualium peccatorum est originale. Antecedens patet; *quia perseveravit cum apostolis in precatione.* Actor.

1, v. 14, sine dubio ea, quae a Christo praescripta petitionem remissionis peccatorum continet, Luc. 11, v. 28; ecquis credat, pericopen istam a Maria omissam? Praeterea, non ea, qua par erat, cura custodivit Christum Luc. 2, v. 23. reprehenditur a Christo, quod in illis, quae ad curam maternam non pertinebant, praescribere ipsi voluit, Joh. 2, v, 4. Luc. 2, v. 29; absit autem, ut hanc Christi reprehensionem non dicamus justam. Luc. 8. consentit in consilium agnatorum, qui Christum ad tempus secludendum sicque a docendo removendum censent. Chrysostom. hom. 12. in Matth. *importunitatem, ambitionem ac vanam gloriam ei tribuit.* In comm. Psalm. 13. *dubitationis gladium tempore passionis animam ipsius pervasisse* scribit. In c. 2. Joh. *ambitionis gloriaeque humanae affectum itidem ei tribuit.* His similia inveniuntur apud Origenem hom. 17. in Luc. Augustinum quaest. V. et N. quaest. 73. Theophyl. in c. 2. Lucae etc. 4. Maria beatitudinem ex auditu verbi ejusque custodia habuit Luc. 8, v. 20. 21, unde in cantico Deum servatorem suum grato corde praedicat; beatior fuit percipiendo fidem, quam concipiendo carnem Christi etc. 5. Maria fuit calamitatibus et morti, quae sunt poenae peccatorum, obnoxia, ergo et originali peccato. Consequentia patet, quia aut calamitates ac mors ipsius fuerunt λύτρον quoddam pro peccatis nostris, aut consequens proprii peccati. Si quis assumtionem Mariae in coelum obvertere velit, audiat Sixtum Senens. lib. 2. Biblioth. tit. Mariae transitus. *Nihil hujusmodi invenitur apud Latinos patres,* (inquit Augustinus) *est hoc apocryphum dogma* (inquit Hieronym.), et istam historiam Beda refellit, ut evangelistae contradicentem.

Ex patribus.

114. Ex patribus referenda huc dicta ea, in quibus solum Christum sine peccato conceptum esse pronuntiant, in quibus omnes carnali generatione ex Adamo propagatos peccato originali obnoxios nasci statuunt, in quibus Mariae peccata actualia tribuuntur, in quibus testantur, Spiritum sanctum in conceptione Christi ex guttulis illis sanguinis, e quibus Christi corpus in Maria formatum est peccati labem extersisse. Ne sit necessarium multa ex patribus huc afferre, observa confessionem adversariorum. Biel 3. sent. dist. 3. q. 1. art. 2. testatur, *sententiae isti, quod Maria in instanti animationis non fuerit praeservata a contagione peccati originalis, assensum suum praebere Augustinum* de fide ad Petrum c. 23. lib. 2. contra Julian. c. 36. de perfect. justitiae circa finem, de natura et gratia circa medium, lib. 10. in Genes. c. 14. Ambrosium super Lucam, Leonem serm. de nat. Dom. Damascenum, IV. 230. Anselmum de concept. virg. lib. 2. Cur DEUS homo, c. 16. Bernhardum in epist. ad Canon. Lugdunens. etc. Canus lib. 7. loc. theol. c. 1. num. 1. *Ex hoc loco* (Rom. 5. in quo omnes peccaverunt) *sancti omnes uno ore asseverarunt, b. virginem in peccato originali conceptam fuisse.* Chrysostomus, Eusebius, Remigius, Ambrosius, Augustinus, Bernhardus, Beda, Anselmus, Erardus Martyr, S. Antonius, D. Bonaventura etc. Suarez in Thom. p. 3. q. 27. art. 1: *Antiqui patres pauca de hoc privilegio b. virginis locuti sunt, tum quia Spiritus s. ecclesiam paulatim instruit, tum etiam quia illi in aliis gravioribus mysteriis explicandis distinebantur.* Salmeron com. in Rom. 5. disp. 51. §. Deinde. *Quidam proferunt ducentos patres, alii ut Bandellus fere trecentos, Cajetanus quindecim, et illos quidem, ut ait, irrefragabiles* (cui argumento ita respondet Salmeron, *ut multitudini doctorum veterum opponat aliam multitudinem doctorum recentiorum.)* Ergo non erit opus patrum dicta recensere, cum ipsorum consensum ultro nobis largiantur.

Ex Scholasticis et Pontificiis.

115. Quin imo quidam ex ipsis Scholasticis et Pontificiis nostrae sententiae calculum addunt. Lombard. 3. sent. dist. 3. lit. A.: *Sane dici potest et credi juxta sanctorum attestationem ipsam verbi carnem prius peccato fuisse obnoxiam, sicut reliqua virginis caro, sed operatione Spiritus s. mundatam, ita ut ab omni contagio immunis uniretur verbo.* Glossa in c. pronuntiandum. 3. de consecr. dist. 3. in voce Nativitas. *Festum conceptionis Mariae non est celebrandum, quia in peccatis fuit concepta, sicut et caeteri sancti, excepta unica persona Christi.* Tomas Aquin., Bonaventura, Capreolus sup. 3. sent. dist. 3. Alex. Alensis p. 3. q. 9. Greg. de Arim. 2. sent. dist. 30. q. 2. Cajetan. in comm. Thom. Dominic. Bannes 2. sent. q. 1. art. 10. sequuntur Lombardi sententiam; quibus annumera monachos Dominicanos Franciscanorum in hoc artic. adversarios.

Argumenta pro immaculata b. Mariae conceptione. Ex Scriptura.

116. Tertio loco ostendere conatur Bellarminus, non temere, sed pie ac recte existimari, b. virginem singulari Dei privilegio ab omni peccato immunem fuisse, cum probabiles ac congruentes rationes ex Scriptura, ex patribus, ex consensu ecclesiae et ex ratione afferri possint: *1. Adamus est figura Christi* 1. Cor. 15; *ille ex terra nondum maledicta a Deo conditus, ergo etiam secundus Adamus ex virgine, quae omnis maledictionis ac peccati expers, a Spiritu s. formatus, atque hinc fortasse benedicta inter mulieres ab angelo salutata est.* Respondemus: Ex figuris non ducuntur firma argumenta, nisi ipsa Scriptura ostendat applicationem. Paulus Rom. 5. et 1. Cor. 15. Christum comparat cum Adamo, sed hujus applicationis non meminit. Si omnino etiam in hoc tertio (sicuti Tertullian. libr. de carne Christi,) Adamum et Christum comparare animus est, sufficit, massam illam, ex qua Christi caro est, non fuisse peccato et maledictioni obnoxiam, nimirum per specialem ἐπελθόντος Spiritus s. operationem, cui soli immaculata Filii Dei in utero b. Mariae conceptio accepta ferenda est. Nec opus est dubiis conjecturis, cur Maria dicatur benedicta inter mulieres, quia Elisabetha disertam addidit verborum suorum explicationem Luc. 1, v. 42: *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui,* ubi particula καί, interprete Theophylacto, ponitur αἰτιολογικῶς ἀντὶ τοῦ γάρ; ideo ergo benedicta Maria, quia benedictum illum ventris fructum, in quo solo omnes benedicuntur, concepit,

edidit et in eum credidit. Nam illa ipsa corporalis Christi conceptio ad salutem ei nihil profuisset, nisi spiritualis accessisset; ideo addit Elisabetha v. 45: *Beata es, quae credidisti.* Augustin. lib. de S. virg. c. 3: *Beatior Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi.* Materna propinquitas Mariae nihil profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset. Ideo hanc Bellarmini conjecturam Christus diserte refellit, Luc. 11, v. 27. et 28. Cum enim quaedam mulier ex turba promiscua exclamaret: *Beatus venter, qui te portavit, et beata ubera, quae suxisti*, respondet
IV. 360. ei Christus: *quinimo beati, qui audiunt verbum Dei et* (fidem in corde ex auditu ejus concipiendo) *custodiunt illud.* Augustin. tract. 10. in Joh.: *Mater mea, quam appellasti felicem, inde felix, quia verbum Dei custodivit, non quia in illa Verbum caro factum est et habitavit in nobis; sed quia custodivit ipsum verbum Dei, per quod facta est, et quod in illa caro factum est.* 2. *Heva fuit typus Mariae, at Heva fuit sine peccato primum formata, ergo etiam Maria mater omnium viventium vita spirituali.* Respondemus: Tertullianus, Irenaeus, Epiphanius et alii ex veteribus Mariam et Evam conferunt, sed non in hoc tertio, verum in eo, quod Maria virgo verbis angeli fidem adhibendo Christum Salvatorem concepit atque edidit, quemadmodum Eva adhuc virgo fallacibus Satanae promissis credendo peccati causa Adamo exstitit, per quem in omnes posteros peccatum et mors intrarunt. Nimirum ex literali Scripturae sensu immaculata Mariae conceptio prius demonstranda erat, tum demum allegoriae superstrui possent. 3. Cant. 12: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias hominum.* Et, *tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.* Cant. 4: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Hoc multi veterum de b. virgine exponunt, et ecclesia in festis b. virginis ex Canticis lectiones recitari jubet.* Respondemus: Totum illud Canticum de Christo et ecclesia agit fatente ipso Bellarmino, ad Mariam non nisi coacte et detorte referri potest; quid quod locum illum: *tota pulchra es*, diserte apostol. Eph. 5, v. 27. ad ecclesiam, non ad Mariam accommodat? Nec firma argumenti hujus connexio: Maria est tota pulchra, nec macula in ea, ergo caret peccato originali; quod enim Deo placuit, gratiae est, non naturae. *Ecclesia* tota dicitur *sancta et immaculata, non habens maculam vel rugam.* Eph. 5, v. 28. omnes sancti dicuntur ὁλοτελεῖς καὶ ἄμεμπτοι 1. Thess. 5, v. 23; num propterea peccati originalis contagio statuentur omnes exemti? minime vero, sed in hac vita sunt immaculati imputative ac inchoative, in vita aeterna tales erunt consummative.

Ex patribus. 117. Sed et patrum consensum emendicare nititur Bellarminus, quod merito alicui mirum videatur, cum scriptores Pontificii diserte testentur, se veterum assensu hic destitui, et cum illi ipsi patres, quos producit Bellarm., aliis in locis contrarium expresse scribant. 1. Ambr. in Psalm. 118. v. ult.: *suscipe me non ex Sara, sed ex Maria, ut incorrupta sit virgo, sed virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* Respondemus: Loquitur de incorrupta Mariae virginitate, non de totali ab omni peccato immunitate; ita enim scribit verbis proxime praecedentibus: *Suscipe me in carne, quae in Adam lapsa est;* quod Bellarm. omisit. Ibid. dicit Ambros.: *Deum solum esse sine peccato*, lib. 2. in Luc. c. 1. de circum cis. scribit: *Solus per omnia ex natis de femina, sanctus Dominus Jesus, qui terrenae contagia corruptelae immaculati partus novitate non sensit.* 2. Hieron. in Psalm. 77: *nubes illa* (Maria) *non fuit in tenebris, sed semper in luce.* Respondemus: Omnes pii sunt filii lucis, nec ambulant in tenebrarum operibus, sed in luce, interim a peccato originali immunes non sunt. 3. August. in lib. de nat. grat. c. 36: *Excepta sancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem; inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Respondemus: Agitur ibi de peccatis actualibus, et diserte dicit Augustinus, Mariae collatam gratiam ad vincendum peccatum; quod si Maria sine peccato concepta fuisset, non opus fuisset conferri ipsi gratiam ad vincendum peccatum. Ideo etiam ubique Augustinus generaliter de peccato originali loquitur et solum Christum excipit de fide ad Petrum c. 23: *Firmissime tene et nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri et mulieris concipitur, cum peccato originali nasci impietati subditum mortique subjectum, et ob hoc natura filium irae nasci.* lib. 1. de nupt. et concup. c. 12: *Solus ibi* (in conceptione Christi) *nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine illa carnis concupi-* IV. 361.
scentia, quae accidit ex peccato, sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati, ut hinc etiam doceret, omnem, quae de concubitu nascitur, carnem esse peccati, quando quidem sola, quae non inde nata est, non fuit caro peccati. lib. 5. contra Julian. c. 9: *Quod si sine dubio caro Christi non est caro peccati, sed similis carni peccati, quid restat ut intelligamus, nisi ea excepta omnem reliquam humanam carnem esse peccati? et hinc apparet, illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propaginem mali, quod Mariae corpus, quamvis inde venerit, tamen non trajecit in corpus, quod non inde concepit*, etc. lib. 10. de Genes. ad lit. c. 18: *Quid incoinquinatius illo utero virginis, cujus caro, etiamsi de peccati propagatione venit, non tamen de peccati propagine concepit, ut ne ipsum quidem corpus Christi ea lex severit in utero Mariae, quae in membris posita corporis mortis repugnat legi mentis* etc. *proinde corpus Christi, quamvis ex carne feminae assumtum est, quae de illa carnis propa-*

gine concepta fuerat, tamen quia non sic in ea conceptum est, quomodo fuerat illa concepta, nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati. lib. de perfect. justit.: *Quisquis esse vel fuisse in hac vita aliquem hominem vel aliquos homines putat, excepto uno mediatore Dei et hominum, quibus necessaria non fuisset remissio peccatorum, contrarius est Scripturae, quae dicit: Per unum hominem peccatum intravit in mundum.* 4. Cyprianus serm. de Nativ.: *Maria plurimum a caeteris differens natura communicabat, non culpa.* Respondemus: Auctor illorum sermonum non est Cyprianus, fatente ipsomet Bellarmino, Pammelio et Sixto Senensi lib. 4. biblioth. Quid quod paulo ante auctor istorum sermonum scribit: *Spiritus sanctus obumbratione incendium originale in Maria Christum concipiente exstinctum esse?* ergo non omni culpa, sed temeratae virginitatis culpa Mariam a caeteris mulieribus verbis istis eximit. Idem Cyprianus in expositione symbol. (quae tamen Rufino rectius tribuitur) de Christi conceptione sic scribit: *Adest Spiritus sanctus, ut et conceptus sanctificetur et partus.* 5. Damascenus orat. 1. in nat. virg.: *Natura gratiam* (in Maria) *antevertere ausa non est.* Respondemus: lib. 3. orthod. fid. c. 2. diserte scribit: *πνεῦμα ἅγιον ἐπῆλθεν ἐπ' αὐτὴν (Μαριὰμ) καθαῖρον αὐτήν;* quod interpres latinus minus recte reddidit, instruens ipsam, cum de mundatione vox Graeca loquatur. 6. Anselmus lib. de concept. virg. c. 18: *decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret.* in comm. 2. Cor. 5: *Omnes mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, demta matre Dei, sive originalibus sive etiam voluntate additis.* Respondemus: Idem lib. 2. Cur Deus homo. c. 16. diserte scribit: *Virgo ipsa, unde assumtus est Christus, in iniquitatibus concepta est, et in peccatis concepit eam mater ejus, et in originali peccato nata est, quod et ipsa in Adam peccavit, in quo omnes peccaverunt.* De reliquorum testimoniis, quae adducit Bellarm., videlicet Idiotae, Petri Damiani, Brunonis etc. non sumus valde soliciti, uti nec de pontificum vel Basil. concilii decreto.

Ex rationibus. 118. Audiamus rationes, quas Bellarmin. producit. *Certum est potuisse Mariam ab originali peccato a Deo praeservari.* Respondemus: Potuit omnino fieri, sed re ipsa id esse factum probari debebat. Voluisse igitur hoc Deum, ita probat Bellarmin: *1. tam honor quam ignominia matris redundat in prolem.* Respondemus: Thom. part. 3. q. 27. art. 3: *videtur id pertinere ad dignitatem matris, quod fomes totaliter ex ea sublatus, sed tamen derogat in aliquo dignitati Christi.* Bernhard. epist. 174. ad Lugdun: *Dico Mariam gloriosam de Spiritu sancto concepisse, non autem et conceptam fuisse; dico peperisse virginem, non tamen et partam a virgine, alioqui ubi erit praerogativa matris Domini, qua singulariter creditur exsultare et munere prolis et integritate carnis, si tantundem dederis matri ipsius?* Quare cum Scriptura *μόνως καὶ ἐξαιρέτως* Christo tribuat, de Spiritu sancto sine IV. 362. peccato conceptum esse, utique in Christi injuriam vergit, de Maria idem *ἄτερ γραφῆς* affirmare. Recte Beust. in homil. Domin. in die concept. p. 666: *non vergit in contumeliam Mariae virginis aut Domini, conceptam eam esse in peccato originis, quia negari nequit, Christum, qui sine peccato fuit, natura tamen esse ex peccatoribus.* Rom. 1, v. 3. *2. Mater Christi singularem affinitatem et conjunctionem cum Christo habuit, quae autem conventio Christi et Belial?* Respondemus: *Christus natus ex patribus secundum carnem.* Rom. 1, v. 3; num et illos ab originali peccato immunes statuemus? conventio illa, de qua apostolus loquitur, definitur consensione et conformitate cum diabolo in falsis dogmatibus et peccandi studio, quam Mariae absit ut tribuamus. *3. Filius Dei, qui est ipsa sapientia, singulari modo habitavit in Maria, jam vero in malevolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Sapient. 1. Respondemus: Aliud est malevolam habere animam et corpus peccatis subditum, quae est descriptio peccati regnantis; aliud vero est peccato naturaliter inquinatum esse, cujus tamen desideriis per Spiritum sanctum resistatur. Fatentur omnes sancti se habere peccatum 1. Joh. 1, v. 10, et tamen corpora ipsorum sunt Spiritus sancti templa 1. Cor. 6, v. 19. *4. Debuit in virgine impleri id*, quod Cant. 2. dicitur, *tota pulchra es.* Respondemus: Imo vero non in sola virgine, sed in tota ecclesia quotidie illud impletur ac in vita aeterna perfecte implebitur, quam tamen omni peccato carere quis dixerit? *5. Maria praestat omnibus angelis et ipsis primis parentibus in primo creationis momento sanctificatis.* Respondemus: Praestat illis non naturae conditione vel integritate, sed quia est *θεοτόκος*, singulari Dei gratia; alias ex eodem medio inferri posset, Mariam non corporeae, sed plane angelicae naturae esse. *6. Revelationes Brigittae id ipsum comprobant.* Respondemus Ad legem et testimonium Esa. 8, v. 20: *Habemus Moysen et prophetas;* Luc. 10, v. 29: *Suspecta est omnis revelatio* (dicebat Gerson), *quam non probat lex cum evangelio.* Si Bellarmino probantur revelationes Brigittae, agnoscat, *papam esse interfectorem animarum, ovium Christi dispersorem et laceratorem, esse abominabiliorem Judaeis, immitiorem Juda, injustiorem Pilato, pejorem et deteriorem ipso Lucifero, assessores ejus arsuros in igne sulphureo et inexstinguibili, Romam esse agrum zizaniae feracem* etc. Haec enim omnia in revelationibus Brigittae diserte exstant.

119. Quarto loco Bellarminus vim argumentorum nostrorum infringere conatur c. 16. col. 327. et seqq. Exceptiones contra argumenta nostra. *7. Scriptura dicit Christum non novisse peccatum, fuisse innocentem et impollutum* etc., *tamen non addit soli Christo hoc convenire, quin potius, si verborum sonum attendamus, etiam aliis similia tribuit.* Respondemus: Christus est *κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν* Hebr. 7, v. 26, ergo solus ipse ex omnibus est sine peccato. Scri-

ptura in genere de omnibus pronuntiat; coram Deo nemo innocens: *Non est homo qui non peccet*, *si dixerimus nos non habere peccatum*, *mendaces sumus* etc. Ergo soli Christo hoc privilegium vendicat *πανταπῶς ἀναμάρτητον εἶναι*. 2. *Christus solus ab originali peccato immunis vi generationis*, *solus enim non ex viri semine*, *sed Spiritus sancti virtute conceptus*, *Maria caruit originali macula privilegio divinae gratiae*. Respondemus: Illud privilegium ὑπὲρ γραφῆς asseritur, generalia igitur Scripturae pronuntiata ex eo non possunt nec debent limitari. 3. *Maria peccavit et mortua est in Adamo*, *hoc est*, *obnoxia facta fuit*, *ut quando actu esse inciperet*, *re ipsa in se peccatum haberet*, *sed praeventa fuit a Dei gratia*, *ut simul et esse et justa esse inciperet; natura fuit filia irae*, *sed gratia semper fuit filia misericordiae*. Respondemus: Haec non erant nude proferenda, sed confirmanda: Si nullo unquam tempore Maria fuit peccato originali obnoxia, quomodo φύσει, natura et per carnalem generationem fuit unquam irae filia. 4. *Maria fuit peccato obnoxia tribus temporibus*, *primo quamdiu in lumbis Adae et caeterorum parentum fuit; deinde quando concepta est in utero matris ante animationem; denique in primo instanti conjunctionis animae cum corpore; tametsi enim in eodem instanti temporis*
IV. 363. *fuit justificata*, *tamen quia ordine naturae prius est subjectum*, *quam accidentia*, *ideo prius fuit ordine naturae persona illa extra suas causas*, *quam aut peccatum aut justitia in illa haereret*. Respondemus: Ratione primi temporis non actu, sed potentia tantum; non in se, sed in parente tantum peccato fuit obnoxia; ratione secundi temporis exstitit tantum una sui parte, videlicet corpore (juxta Bellarmini hypothesin), quod peccato proprie obnoxium non est (juxta ejusdem hypothesin, vocat enim horribile paradoxum, quod embryo nondum animatus peccato obnoxius a Chemnicio dicitur); ratione tertii temporis itidem nuda mentis nostrae ἐπινοίᾳ vel certe potentia tantum fuit obnoxia peccato. In ipso enim primo animationis instanti (juxta Bellarminum) fuit ab omni peccati labe immunis, nec unquam ullo tempore actu ei subjecta. Ergo sunt mera effugia et spumae verborum, quando Bellarminus asserit, Mariam nihilominus fuisse peccato obnoxiam, si vel maxime immaculata ejus conceptio propugnetur. 5. Quod Augustinus de nat. et grat. c. 36. dicit: *Mariae datam gratiam ad vincendum omni ex parte peccatum*, *id Bellarminus sic explicat*, *quod per gratiam in ipsa creatione infusam vicerit peccatum originale*, *hoc est*, *aditum ei omnino praecluserit et maculas omnis actualis peccati evaserit*. Respondemus: Augustinus in locis quam plurimis omnes Adae posteros per carnalem generationem ex ipso propagatos peccato originali obnoxios esse confirmat, Mariam nuspiam excipit; hoc loco de peccatis actualibus agit, ut totus istius capitis contextus probat, ad quae omni ex parte vincenda Mariae gratiam collatam esse probabiliter disputat; utique ergo peccatum etiam in ipsa habitasse praesupponit; nulla enim est victoria absque hoste et pugna. Bellarmini interpretatio a scopo et verbis Augustini est aliena; quomodo enim Maria in ipso animationis instanti a peccato praeservata illud vicisse dicenda, a quo nunquam fuit impugnata? 6. Dicta Augustini, Ambrosii et aliorum, quibus omnes homines, solo Christo excepto, originali peccato obnoxios esse testantur, Bellarminus sic explicat, *quod solus Christus vi generationis non traxerit originale peccatum*, *Maria autem ex gratiae privilegio*. Respondemus: Hanc limitationem et hoc privilegium nuspiam ipsi commemorant. 7. Dictum Augustini lib. de perfect. justit., quod omnibus hominibus necessaria sit peccatorum remissio, uno mediatore excepto, Bellarminus sic detorquet: *Mariae remissa fuisse peccata*, *non in quae inciderat*, *sed in quas incidere potuisset*, *sicut ab aegritudine dicitur liberari*, *qui ab ea praeservatur*. Respondemus: Augustinus diserte addit, ideo omnibus omnino necessariam esse peccatorum remissionem, quia apostolus pronuntiat, per unum hominem intrasse peccatum in mundum; jam vero peccatum non solum potuit intrare in mundum, sed revera intravit, ergo etiam omnibus necessaria peccatorum remissio, non quae habere potuissent, sed quae revera habent. Quod mediator Dei et hominum omnibus est necessarius, ad illud non sufficit, habere posse peccatum (alias etiam primi parentes ante lapsum Christo mediatore indiguissent), sed re ipsa habere peccatum. 8. Evidentiam pronuntiati Augustiniani lib. 5. advers. Julianum c. 9. asserentis, *carnem omnium hominum adeoque ipsius Mariae esse carnem peccati*, conatur Bellarminus effugere solita distinctione, *quod vi conceptionis beata virgo esset peccato polluenda*, *nisi gratiae privilegium intercessisset*. Atqui Augustinus non quaerit de potentia, sed de actu, carnem omnium hominum, excepta solius Christi carne, esse carnem peccati asserit, a quo generali pronuntiato nec ipsam Mariam excipit. 9. Verba Bernhardi conceptionem beatae Mariae peccato obnoxiam in epist. 174. ad Can. Lugd. statuentis explicat Bellarminus *de primo conceptionis tempore ante animae infusionem et urget hoc*, *quod Bernhardus statuat*, *Mariam ante sanctam fuisse*, *quam natam*, *eandemque omnis actualis peccati fuisse expertem*, *uti et illud*, *quod Bernhardus Romanae ecclesiae se subjiciat*. Respondemus: Bernhardi tempore magna doctrinae inclinatio jam erat facta, improbat tamen ibidem diserte festum conceptionis Mariae, idque superstitiose observari scribit.

120. *Denique mendacia et calumnias* (quas ita vocat) Dn. Chemnicii Bellarminus c. 17. refellit. IV. 364. Depulsi mendaciorum et calumniarum
Primo *dixerat* Chemnicius, *tempore* Lombardi *ignotam fuisse adhuc opinionem de immaculata virginis conceptione*, *id falsum* esse Bellarmin. dicit, *cum patres ante Lombardum praesertim vero Anselmus in* 1. Cor. 5. *idem docuerint*. Respondemus: Veterum dicta in alienam ac peregrinam sententiam detorquet Bellarminus, quod quidam ex ipsis Jesuitis agnoscunt, uti superius vidimus. Verba Lombardi

sunt satis manifesta. 3. sent. dist. lit. A.: *Sane dici potest et credi oportet juxta sanctorum attestationem, ipsam verbi carnem prius peccato fuisse obnoxiam, sicut reliqua virginis caro, sed operatione Spiritus sancti mundatam, ita ut ab omni contagio immunis uniretur verbo.* Deinde *dixerat* Chemnicius, Lombardum *occasione ex verbis Augustini arrepta disputare coepisse, b. virginem in conceptione Christi ab omni peccato atque etiam a fomite liberatam.* Bellarm. regerit, *Lombardum non fuisse primum, sed Anselmum* lib. 2. cur Deus homo c. 16. et de concept. virg. c. 18, imo et ipsum Augustinum de natura et gratia c. 36. Respondemus: Augustinus victoriam, non carentiam omnimodam peccati tribuit sanctae virgini, neque cogit quenquam ad assensum, sed modeste respondet Pelagianis (qui dixerant Mariam sine peccato confiteri necesse esse pietati) excepta sancta virgine, *de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem, unde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum.* Anselmi (qui Lombardum integro seculo antecessit) tempore festum de Mariae conceptione in quibusdam locis usitatum fuisse non negat, nec dissimulat Dn. Chemnicius, cum originem hujus festi ex eo describat. 3. Dixerat Chemnicius, *eos qui Lombardum secuti sunt, disputare coepisse, quod Maria, cumprimum in peccato originali concepta fuisset, postea in utero sanctificata sine peccato fuerit nata.* Bellarmin. *hoc vocat insigne mendacium, cum tempore Bernhardi ac Damiani, qui Lombardum non secuti sunt, sed ejus aequales vel majores fuerunt, celeberrima fuerit sancta virginis nativitas in universa ecclesia.* Respondemus: Bernhardus sane dicit epist. 174, ecclesiam reputare sanctum ipsum nativitatis Mariae diem et omni anno cum exsultatione universae terrae votiva celebritate suscipere; neque hoc ignotum fuit Chemnicio, qui hanc ipsam Bernhardi epistolam allegat; quando autem sententiam de immaculata Mariae nativitate tribuit eis, qui Lombardum secuti sunt, loquitur de variis disputationibus in scholis hac de re post Lombardi tempora enatis ac magna contentione agitatis. 4. Dixerat Chemnicius, *post Lombardi tempora Festum conceptionis institui coeptum,* Bellarmin. itidem regerit *hoc insigne mendacium esse, cum Anselmus et Bernhardus festi illius meminerint.* Respondemus: Id vero itidem Chemnicio non erat ignotum, cum ex Anselmo originem festi describat; sed loquitur de solenni et universali hujus festi institutione a Sixto IV. demum anno 1466. confirmata. Bernhardi tempore in quibusdam locis celebrari incipiebat hoc festum, sed privata magis superstitione (ut ipse testatur), non publica consuetudine, ideo etiam celebrationem istius festi Bernhardus improbat. 5. Dixerat Chemnicius, *concilium Tridentinum liberum reliquisse extra, praeter, aut etiam contra verbum Dei opinari, an b. Maria concepta fuerit sine peccato originali; hoc et alia quae sequuntur apud Chemnicium* (videlicet quod concilium praecavere voluerit, ne ex Scriptura reprehendatur opinio asserens, Mariam in ipsa conceptione et animatione ab omni originalis peccati contagio fuisse praeservatam, neve repudiarentur illae revelationes et miracula, quibus opinio illa praeter et contra Scripturam stabilitur; quod contra concilium statuere voluerit, ut festum conceptionis cum indulgentiis papalibus respectu causarum, propter quas a Sixto institutum est, religiose servetur) *haec, inquam, omnia Bellarminus vocat impudentem calumniam et mendacium; ideo enim libertatem opinandi hac in re a pontifice Sixto et concilio Tridentino relictam, quod intelligerent, neutram partem verbo Dei aperte repugnare.* Respondemus: Sententiam de immaculata b. virginis conceptione non niti firmis et immotis Scripturae documentis, sed repugnare generalibus ejus de peccati propagatione pronuntiatis superius ostendimus, quare cum pontifex, cujus sententiam Tridentini patres sequuntur, liberam opinandi sententiam in hac quaestione omnibus reliquerit, imo propter revelationes et miracula celebrationem hujus festi instituerit ac largas indulgentias festum hoc celebrantibus concesserit, an non praeter et contra Scripturam tam pontifex Sixtus, quam Tridentini patres aliquid decernunt? IV. 365.

Quid in quaestione de immaculata Mariae conceptione observandum.

121. Antequam coronidem huic quaestioni de conceptione beatae Mariae virginis imponamus, monendum est, 1. nos hac disquisitione nihil detractum velle dignitati beatae Mariae, quam Scriptura ipsi tribuit, quod nimirum ab omnibus generationibus beata et θεοτόκος sit praedicanda. 2. Si vel maxime cum Bernhardo epist. 174. dicatur *Maria in ipso utero prius sanctificata quam nata* (quod Scriptura tribuit Jeremiae et Johanni baptistae, Bernhardus etiam Davidi), ex eo tamen minime sequitur, quod a peccati originalis contagio plane immunis fuerit; sanctificatio enim peccati reatum tollit ac peccati fomitem minuit; non autem plane exstinguit. 3. Mariam nullis illicitarum ustionum flammis unquam obnoxiam fuisse, sed potius anima et corpore virginitatis decus perpetuum obtinuisse et sic perfecto modo virginem fuisse, pie credimus.

CAPUT VIII.
DE EFFECTIBUS PECCATI ORIGINALIS.

Effectus peccati originalis.

122. Exposita peccati originalis propagatione, de ejusdem effectis sive poenis dicendum erit. Dicimus autem quosdam effectus peccati originalis esse tantum poenas, quosdam simul poenas et peccata. Poenae sunt temporales et aeternae. In classem poenarum sunt referendae: 1. Multiplices hujus vitae calamitates ac miseriae. Sic Evae et omnibus filiabus ejus denuntiatur Genes. 3, v. 16: *Multiplicando multiplicabo dolores et conceptus tuos cum*

dolore paries filios etc. Adae et omnibus ejus filiis denuntiatur v. 17: *Maledicta terra propter te, in labore comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae.* v. 18: *Spinas ac tribulos germinabit tibi, et comedes herbas agri.* v. 19: *In sudore vultus tui vesceris pane.* 2. Morbi varii ac tandem mors corporis sive temporalis Genes. 3, v. 19: *pulvis es et in pulverem reverteris.* Sapient. 2, v. 23: *invidia diaboli mors intravit in mundum, nimirum per peccatum,* ut exponitur Rom. 5, v. 12. 3. Ira Dei et aeterna damnatio: Ephes. 2, v. 3: *eramus omnes natura filii irae.* Joh. 3, v. 36: *Qui non credit in Filium, ira Dei manet super eum.* Rom. 5, v. 16: *judicium ex uno in condemnationem.* v. 18: *per unius delictum in omnes homines in condemnationem.*

123. De hac poenarum Iliade ita loquuntur veteres. Justinus in Tryph.: *Per Adam genus humanum in mortem concidit.* Ambrosius 2. de vocat. gent. c. 3: *Omnes naturae nostrae incolumitatem primi hominis praevaricatione perdidimus: inde tracta mortalitas, indeque multiplex corporis animique corruptio.* Augustinus epistol. 28. ad Hieronymum: *si enumerare velim poenas* (ex primo peccato in mundum introductas, non aeternas solum, sed et temporales) *prius tempus, quam exempla deficient. Languescunt* (parvuli) *aegritudinibus, torquentur doloribus, fame et siti cruciantur, debilitantur membris, privantur sensibus, vexantur ab immundis spiritibus.* Bernhard. in medit. c. 2. col. 1190: *secundum exteriorem hominem de parentibus illis venio, qui me ante fecerunt damnatum quam natum.*

IV. 366. 124. Poenae simul et peccata sunt pravi concupiscentiae motus, cogitationes pravae, damnabiles affectus et quaevis actualia peccata Matth. 15, v. 19: *Ex corde procedunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia.* v. 20: *haec sunt, quae coinquinant hominem.* Matth. 12, v. 34: *Malus homo ex malo thesauro profert mala.* Rom. 7, v. 8: *Peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* v. 23: *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae.* Rom. 8, v. 7: *τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς θεόν.* Galat. 5, v. 17: *Caro concupiscit adversus Spiritum,* v. 19: *manifesta autem sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, luxuria,* v. 20: *idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, sectae,* v. 21: *invidiae, homicidia, ebrietates, comessationes et his similia.* Jacob. 1, v. 14: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus.* v. 15: *deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* Ambrosius 2. de vocat. gent. c. 3: *incolumitatem naturae praevaricatione primi parentis amisimus* etc. *inde ignorantia et difficultas, curae inutiles, illicitae cupiditates, sacrilegi errores, timor vanus, amor noxius, injusta gaudia, poenitenda consilia et non minor miseriarum multitudo, quam criminum* etc. Chrysost. hom. de Adam et Eva: *De hoc ipso transgressionis peccato pullulant peccata alia omnia.* Cassiod. in Psalm. 118: *Originalis peccati culpa pronos nos semper trahit ad vitia.*

125. Observa 1. quamvis reatus peccati originalis, de quo supra diximus, videatur ταυτό τι cum hisce quas enumeravimus poenis, praesertim cum ira Dei, tamen tale intercedit eis discrimen, quod reatus proprie et accurate loquendo non sit ipsa peccati poena, sed obligatio ad poenam, qua (obligatione) homo redditur reus, hoc est, obnoxius irae Dei, temporalibus et aeternis poenis, nisi fiat remissio propter Christum. 2. Observa et illud: quamvis credentes remissionem hujus et aliorum peccatorum per Christum ac propter Christum obtineant, nihilo tamen minus calamitatibus hujus vitae et temporali morti manent obnoxii, quod vel ex unico primorum parentum exemplo satis conspicuum est, quibus propter promissum semen mulieris in gratiam receptis nihilominus multiplicatio doloris ac laboris atque ipsa tandem in pulverem redactio denuntiatur. Causae hujus rei sunt complures, quas suo loco enumerabimus, potiores hae sunt, primo *ut peccatum in carne adhuc haerens mortificetur, et corpus peccati destruatur* Rom. 6, v. 6 *dum judicamur, a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur* 1. Corinth. 11, v. 32. Deinde ut peccati gravitate agnita simus remissionis grata mente perpetuo memores Jerem. 30, v. 11: *Castigabo te in judicio, ne videaris tibi innoxius.* Denique ut exercitia fidei, patientiae et obedientiae in cruce nobis proponantur. Hebr. 12, v. 11: *omnis disciplina in praesenti non videtur esse gaudii, sed moeroris, postea autem fructum paratissimum justitiae reddit exercitatis per eam.* Magnum interea discrimen est inter poenas impoenitentibus ac incredulis Deo nondum reconciliatis debitas et inter has paternas castigationes piis et reconciliatis impositas; illae enim procedunt ab irato judice, hae vero a benignissimo Patre; sunt amarae sagittae ex dulci manu Dei: illae sunt initia aeternarum poenarum, hae vero cum hac vita desinunt.

Observationes de effectibus originalis peccati.

126. Bellarminus lib. 6. de statu peccati c. 1. de malis peccatum originale consequentibus disputaturus distinguit ea hoc modo, *quod alia patiantur homines, si in infantia peccato nondum remisso forte moriantur; alia vero tolerare cogantur, si diutius hanc vitam ducant, sive peccatum dimissum fuerit, sive non. De poena parvulorum absque baptismo ex hac vita decedentium disputat a capite primo usque ad octavum, quam quaestionem tractabimus in articulo de baptismo, poenas peccati originalis, quas in hac vita homines sustinere coguntur* c. 7 ita dividit: *Mala hujus vitae alia sunt interna, alia externa. Interna quae in ipso homine sunt, ut ignorantia, concupiscentia* etc. *Externa quae sunt extra hominem, ut habere Deum iratum, esse sub diaboli potestate* etc. *Interna alia sunt in parte animae superiore, alia in inferiore, alia in corpore. In superiore laesa sunt intelligentia et voluntas. In inferiore sensus tum interni tum externi et utra-*

Effecta peccati originalis ex Bellarmino.

IV. 36

que appetendi facultas. In corpore plurima sunt incommoda, et ad extremum ipsa mors. c. 8. *Specialem istorum malorum ἐξήγησιν* orditur et primo loco enumerat varia mentis humanae vulnera sive morbos, qui sint *1. ignorantia rerum necessariarum in infantibus tanta, quanta ne in bestiis quidem cernitur. 2. Fatuitas, cum qua nonnulli nascuntur. 3. Difficultas discendi. 4. Ignoratio ultimi finis, in cujus adeptione beatitudo consistit. 5. Ignoratio mediorum ad finem. 6. Difficultas intelligendi naturas rerum. 7. Ignoratio propriae mentis. 8. Quod mens humana a corpore in intelligendo impediatur. 9. Curiositas quaedam propemodum naturalis. 10. Quod multa inania, levia, inepta volvimus animo vel invito, etiam alienissimo tempore.* c. 10: *Enumerat morbos ac vulnera voluntatis, quae sint 1. φιλαυτία, sive amor sui. 2. Difficultas in vitiis superandis et virtutibus excolendis. 3. Incredibilis negligentia in iis, quae ad beate vivendum pertinent. 4. Immoderata solicitudo in lucris temporalibus captandis. 5. Quod voluntas ad Deum verum colendum tardissima, ad colendos falsos Deos promtissima. 6. Inconstantia, instabilitas, pugna quaedam et contentio voluntatis humanae. 7. Fastidium proprii status. 8. Quod nullus, nisi per gratiam renovetur, peccata mortalia omnia vitare potest, venialia vero ne renovati quidem possunt.* c. 11. *enumerat vulnera partis inferioris, quae sint 1. quod multi nascantur caeci aut surdi aut muti* etc. *2. Illusio somniorum. 3. Quod interior sensus mirum in modum intelligentiam impedit et confundit. 4. Infirmitas in appetitu irascibili. 5. Concupiscentia spiritui repugnans.* C. 12. *enumerat miserias hominum quoad corpus, quae sint: 1. varietas morborum. 2. Quod ipsa morborum media sunt plerumque tormenta. 3. Quod cibi ac potus indigentia ad rabiem quandoque homines adducat. 4. Quod tantus labor ad victum parandum necessarius. 5. Vitae brevitas. 6. Timor continuus imminentis mortis.* C. 13. *enumerat miserias, quae extrinsecus homini accidunt et sunt: 1. habere Deum iratum; 2. esse sub diaboli potestate; 3. quod homines sibimet ipsis invicem insidientur. 4. Inobedientia animantium rationis expertium adversus hominem. 5. Calamitas, quae e coelo, terra, mari non raro accidere solet. 6. Aerumna fortuitorum casuum.*

127. Philosophicam hanc Bellarmini dissertationem non omnino improbamus, imperfectionem tamen quandam in ea animadvertimus. 1. Quamvis enim c. 14. et 15. contra Pelagianos et quosdam ex Scholasticis ostendat, concupiscentiam esse malam, neque ex naturae conditione, sed ex peccati merito ortam esse, hanc tamen ut et reliqua mentis, voluntatis ac inferioris partis (quae ita vocat) vulnera magno conatu negat esse peccata, cujus contrarium suo loco e Scripturis demonstrabimus. 2. Quae Bellarminus inferioris ac superioris partis morbos ac vulnera appellat, in eis describendis Scriptura sacra verbis longe atrocioribus utitur, Eph. 2, v. 1. et 5. Col. 2, v. 13: *eramus mortui in delictis et peccatis.* Rom. 8, v. 6: *τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς θάνατος*, v. 7: *τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς θεόν.* Rom. 7, v. 14: *Ego carnalis sum, venundatus sub peccatum.* Joh. 8, v. 34: *Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.* Ephes. 5, v. 8: *eratis aliquando tenebrae* etc. 3. Quod *ἔλλειπὲς* suae dissertationis manifestum facit ipse Bellarminus c. 16. et ult., ubi *tanquam haereticum in nobis improbat, primo quod statuimus per lapsum Adae exstinctum liberum arbitrium* (in rebus spiritualibus puta, nam in externis aliquas IV. 368.
superesse mentis ac voluntatis vires haud inviti concedimus); *deinde quod negamus hominem renatum licet et justificatum perfecte legem Dei implere et vitam aeternam mereri posse* (de his controversiis suus erit docendi locus); *denique quod inter fructus originalis peccati referimus odium Dei, fugam judicii divini, dubitationem ac desperationem,* hoc Bellarminus impugnat duplici argumento: *primo non exsistunt in homine tales motus, nisi mediante imperio voluntatis; propria ergo istorum causa est voluntas humana.* Respondemus: Motus illi non semper sunt a voluntate imperati (ut loquuntur), sed quandoque etiam in nobis invitis ac repugnantibus oriuntur; est igitur causa istorum motuum voluntas per peccatum corrupta, non tantum ut sunt motus imperati, sed etiam ut eliciti. Secundo *isti motus inveniuntur in multis, in quibus non est originale peccatum, ut in daemonibus, et non inveniuntur in multis, in quibus est originale peccatum, ut in infantibus.* Respondemus: Daemones licet peccato originali, h. e. corruptione naturae per modum carnalis generationis in ipsos propagata careant; tamen ipso peccato et horribili naturae corruptione per peccatum introducta non carent, quid ergo mirum, si tales etiam motus in ipsis inveniantur. Infantes quod attinet, etiamsi corruptio illa actu quoad nostrum sensum in ipsis sese nondum exserat, antequam usus rationis accedat, tamen Deus intuetur absconditum cordis malum, quod progressu temporis instar venenatae segetis largam istorum motuum messem producit, quod suo loco uberius declaravimus.

CAPUT IX.

MODUM LIBERATIONIS AB HOC PECCATO EXPONIT.

Quomodo liberemur ab originali peccato.

128. Restat denique explicandum, quomodo ab illa originali labe mundemur? fit illud in baptismo, *qui est lavacrum regenerationis et renovationis,* Tit. 3, v. 5. Regeneratio complectitur peccatorum remissionem per Christi sanguinem, qui nos ab omni peccato abluit; renovatio complectitur mortificationem carnis et inchoationem novae obedientiae, quae in hac vita non est omnibus modis absoluta et perfecta, quia *interior homo renovatur de die in diem,* 2. Cor. 4, v. 16; perficietur autem aliquando in futura vita, ubi erimus *ὁλοτελεῖς, ἰσάγγελοι καὶ πάντως ἀναμάρτητοι.* Sic docet apostolus a renatis

sublatum esse peccati reatum, Rom. 8, v. 21, interim tamen peccatum originis quoad pravitatem manere Rom. 7, v. 17. cujus facta pii mortificant. Rom. 8, v. 13. donec in plenam libertatem vitae aeternae restituantur, v. 21. Augustin. 2. de peccat. merit. et remiss. c. 7: *Si in ipso animo, qui est homo interior, perfecta in baptismo novitas fieret, non diceret apostolus: interior homo renovatur de die in diem. Ergo nondum totus renovatus est, et in quantum nondum est renovatus, in tantum adhuc sub vetustate est.* Tract. 42. in Johan.: *Non regnet peccatum, non ait, non sit, sed non regnet; quamdiu enim vivis, necesse est peccatum esse in membris tuis, saltem illi regnum auferatur; non fiat, quod jubet.*

Concupiscentia prava in renatis reliqua IV. 369. est peccatum. 129. Illa ergo, quae in baptizatis et renatis reliqua est, prava concupiscentia, veram et propriam peccati rationem habet, uti aliquoties disertis verbis apostolus testatur in epistola ad Rom. c. 6. 7. et 8. et nos a bruto concilii Tridentini fulmine liberat, quod session. 5. denuntiatur illis, qui hoc affirmant. *Omnis ἀνομία* est peccatum. 1. Joh. 3, v. 4. At prava illa concupiscentia est *ἀνομία. Hinc omnes sancti pro remissione peccatorum orare coguntur*, Psalm. 32, v. 6. *et se sub peccatum venundatos conqueruntur*, Rom. 7, v. 14. *Optant etiam a misera illi peccati servitute liberari*, v. 24. *agnoscunt neminem posse gloriari, quod sit innocens coram Deo*, Exod. 34, v. 7. *et serio deprecantur, ne Deus intret cum illis in judicium*, Psalm. 143, v. 3. Porro de duabus his quaestionibus, nimirum an post baptismum aliquod vere et proprie dictum peccatum in carne renatorum maneat, et an concupiscentiae motus, quibus per Spiritum resistitur, sint peccata; de his inquam quaestionibus in sequenti tractatu de peccatis actualibus et in articulo de baptismo uberius disseremus.

CAPUT X.

USUM HUJUS LOCI ET DEFINITIONEM PECCATI ORIGINALIS PROPONIT.

Usus doctrinae de originali peccato. 130. Usus doctrinae de peccato originali consistit in eo, 1. ut extremam naturae nostrae corruptionem et miseriam illam ineffabilem, in quam primi hominis peccato incidimus, agnoscamus, seriis gemitibus deploremus ac toto corde nos coram Deo humiliemus. Sic regius propheta deplorat in se inquinamenta naturae (Ambrosius in apolog. Dav. c. 11.) et ab occultis sese mundari petit Psalm. 19, v. 13. et 51, v. 7. Sic vir Dei Moyses absconditum hoc malum in lumine vultus divini collocari agnoscit Psalm. 90, v. 8, quin imo infantes in primo statim nativitatis suae ortu flentes ac plorantes nihil aliud faciunt, quam deprecantur, ut loquitur Cyprian. in epist. ad Fidum. *Infantia* (ait Augustinus 21. de civ. Dei c. 14.) *quod non a risu, sed a fletu orditur hanc lucem, quid malorum ingressa sit nesciens quodammodo prophetat;* quod aemulatus Bernhardus serm. 4. hebd. poen. col. 122. sic scribit: *Primam vocem plorationis edimus, merito quidem, utpote vallem plorationis ingressi.* Deinde ut agnito morbo ad medicum Christum suspiremus et ab hac nostra miseria per ipsum liberari petamus. Is est misericors ille Samaritanus, qui ad genus humanum ab infernalibus latronibus misere spoliatum ac vulneratum vicissim sanandum de coelo descendit, factus compassionis nostrae susceptione finitimus et misericordiae collatione vicinus; is vulnera nostra vicissim sanat, constringit austeriore praecepto et fovet peccati remissione etc. Ambros. lib. 7. in Lucam c. 47. Augustin. serm. 37. de verb. Domin. Macarius homil. 30. Denique ut recuperata letalis morbi sanitate vitemus delicta tanquam ὑποστροφὰς periculosissimas, *carnem crucifigamus cum suis παθήμασι καὶ ἐπιθυμίαις*, Gal. 5, v. 24. *ac mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei* 2. Cor. 7, v. 1. Bernhard. serm. de Coen. Domin. col. 126: *In casu primi hominis cecidimus omnes; cecidimus autem super acervum lapidum et in luto, unde non solum inquinati, sed etiam vulnerati et graviter quassati sumus, lavari quidem cito possumus, ad sanandum vero opus est curatione multa. Lavamur igitur in baptismo, quia deletur chirographum damnationis nostrae et gratia haec nobis confertur, ut jam nobis concupiscentia noceat, si tamen a consensu abstineamus.*

IV. 3 Defin pecc origi lis. 131. Ex his, quae dicta sunt, talis potest constitui peccati originalis definitio: Peccatum originis est intima ac profundissima totius naturae humanae originali justitia destitutae corruptio, orta ex primorum parentum lapsu et ab eis in omnes posteros per carnalem generationem propagata, irae Dei, temporalibus et aeternis poenis obnoxios eos reddens, qui non ex aqua et Spiritu ad vitam aeternam renascuntur. Hoc in Augustan. confess. art. 2. breviter ac nervose ita effertur: *Docent* (ecclesiae nostrae), *quod post lapsum Adae omnes homines secundum naturam propagati nascantur cum peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum et cum concupiscentia, quodque hic morbus seu vitium originis vere sit peccatum damnans et afferens nunc quoque aeternam mortem his, qui non renascuntur per baptismum et Spiritum sanctum.*

Salvatori nostro Jesu Christo, qui mortuus est pro nobis, ut moreretur in nobis peccatum; qui venit, ut opera diaboli vicissim destrueret ac amissa per lapsum bona nobis restitueret, sit laus, honor et gloria in seculum. Amen.

V. 1.

LOCUS DECIMUS

DE PECCATIS ACTUALIBUS.

I.

Connexio cum loco praecedente. Innumera illa peccatorum actualium soboles originalis peccati matrice concepta pravae concupiscentiae obstetricatu in lucem editur; ut non minus foecundum sit originale peccatum, quam comitissa illa Hollandica, Mathildis nomine, quae unico partu trecentos sexaginta quinque liberos mirabiliter enitebatur, de qua ex annalibus Flandriae Guicciardinus, Erasmus, Lodov. Vives et Wolffg. cent. 13. p. 554. (quam tamen comparationem cave latius extendas, quam ad foecunditatis paritatem.) *Quemadmodum mala arbor fert malos fructus*, Matth. 7, v. 17; Luc. 6, v. 43. *ex fonte venenato scaturiunt aquae itidem venenatae*, Jerem. 6, v. 7; *ex amara radice amarities in ramos sursum protruditur*, Hebr. 12, v. 15: ita quoque ex innata cordis pravitate, velut ex fonte venenato et radice amarissima, procedunt omnis generis innumera peccata, Matth. 15, v. 19. malae arboris fructus pessimi.

CAPUT I.

DE NATURA PECCATI ACTUALIS TRACTAT.

Peccata actualia unde dicta. 2. Fructus hi dicuntur peccata actualia ad originalis peccati differentiam; ut enim istud dicitur originale, quia una cum naturae nostrae origine in nobis haerere incipit, ita haec dicuntur actualia ab agendo, quod non sint nobis innata, nec in omnibus aequalia; sed quod a nobis agantur, factis scilicet, dictis ac cogitatis; inde Augustinus lib. 22. contra Faustum c. 27. peccatum actuale definit, *quod sit dictum vel factum vel concupitum contra legem aeternam*. et lib. 2. de cons. evang. c. 4. *quod sit*
V. 2. *legis transgressio*. Quas Augustini definitiones *ταῖν ἀμφοῖν* amplectimur, ac proinde injuriam nobis facit Bellarminus, quando scribit lib. 1. de amiss. grat. et statu peccati c. 1. *tantam esse aliquorum ex Lutheranis vel imperitiam vel impudentiam*, *ut priorem Augustini definitionem tacito ejus nomine inter errores numerare non vereantur*. Colorem huic accusationi ex eo quaerit, quod Heshusius in lib. de sexc. error. Pontif. loc. 4. numer. 1. scripserat: *Pontificii hoc modo definiunt plerumque peccatum, quod sit vel dictum vel factum vel concupitum contra legem Dei*. Respondemus: Non ipsam definitionem, sed vitiosam definitionis applicationem improbat Heshusius, quod Pontificii eam tanquam generalem peccati definitionem acceptant et ad originale peccatum etiam accommodant, quae tamen actualium tantum peccatorum est definitio, ut recte notat Bonavent. in comm. 1. sent. dist. 35. art. 1.

3. Ibidem Bellarmino in Augustini definitione mentio voluntarii videtur desiderari; cui objectioni ita respondet, *quod haec vocula ex aliis definitionis partibus facile possit colligi*, *cum nihil sit proprie contra legem*, *nisi id quod est voluntarium*, *et cum lex proprie non detur nisi iis*, *qui habent usum liberi arbitrii*. Respondemus: *1. Omne peccatum esse voluntarium*, dicit Augustinus lib. de vera relig. c. 14. Idem tamen recte addit lib. 3. contra Julianum c. 5. *de actuali peccato id intelligendum esse*, *non de originali*, quod non debebat praetermittere Bellarminus. 2. Si vero in genere dicatur, nullum esse peccatum nisi voluntarium, hoc est, nisi *κατὰ προαίρεσιν* consulto et actione propriae voluntatis committatur, sequetur originalis peccati negatio; ideo Pelagianis istud axioma tribuit Augustinus de haeres. c. 15. et 88. libr. 4. ad Bonifac. c. 7. lib. 2. de bono persever. c. 5. et 11. libr. 2. de grat. et peccat. origin. c. 6. et 13. 3. Quid quod nec omnia actualia peccata sunt voluntaria, eo scilicet modo ac ratione, quod a scientibus et volentibus committantur, cum sint quaedam delicta ignorantiae, et peccata infirmitatis. 4. Interim omne actuale peccatum dici potest voluntarium hoc modo ac respectu, quatenus opponitur coactioni; peccat homo voluntarie, id est, non coactus, sed libere. 5. Si originale peccatum alicubi ab Augustino di-

(An omnia peccata voluntaria.)

citur voluntarium, id subtili ista ratione explicat, quia a mala voluntate primi hominis est ortum, libr. 1. retract. c. 13, quia in ipsa hominis voluntate sedem habet, et quia natura depravata illi peccato in adulta aetate consentit. 6. Cum vero nomine *voluntarii* Bellarminus *intelligat id solum, quod actu voluntarium est, et diserte addat, legem proprie non dari nisi iis, qui habent usum liberi arbitrii*, Pelagianorum cassibus semet ipsum implicat; cum enim infantes usu liberi arbitrii destituantur, utique ex hac hypothesi peccatum proprie dictum in eis nullum habebit locum. 7. Quo referendum etiam istud, quod Bellarminus hanc Augustini definitionem *(peccatum est vel dictum vel factum vel concupitum contra legem aeternam)* pro generali definitione peccati acceptat; nam c. 2. illud peccatum, quod in primo capite definierat, in originale et actuale peccatum destinguit: ex quo promte colliget Pelagianus; infantes nihil faciunt, vel dicunt vel concupiscunt contra legem aeternam, cum lex proprie non detur nisi iis, qui habent usum liberi arbitrii. Ergo in infantibus nullum est proprie dictum peccatum. 8. Quare rectius ab evangelista peccatum in genere definitur, quod sit *ἀνομία* 1. Joh. 3, v. 4: quae definitio miranda brevitate veram et propriam peccati rationem exprimit, quod scilicet sit aberratio a lege sive non-congruentia cum lege, sive ea in ipsa natura haereat (ut peccatum originis) sive in dictis, factis ac concupiscentiae motibus inveniatur (ut omnia actualia peccata), quin et sua latitudine peccatum omissionis haec definitio complectitur, quod itidem est *ἀνομία*. Meritissime igitur D. Johanni hoc tribuitur, quod de voce *αὐταυιὸς* a se excogitata scribit Scaliger exercit. 365. sectione 2. eam admirabili ambitu significatus definitum illud suum exprimere.

Explicatio definitionis apostolicae: ἡ ἁμαρτία ἐστιν ἡ ἀνομία.

4. Peccatum formaliter est defectus; omnis autem defectus est in quodam ente, omnis privatio in quo-
V. 3. dam subjecto, omne malum est in quodem bono; proinde et peccatum, quod est ens privatum. Illud formale peccati, videlicet ipsa privatio seu defectus exprimitur a D. Johanne per *τὸ μόριον στερητικὸν α*, et habet rationem generis in definitione Porro cum privationes rectissime declarentur et intelligantur collatione habituum, utpote quando dicimus tenebras esse privationem lucis, et vero norma justitiae seu conformitatis cum Deo archetypo sit *νόμος*, ipsa lex, ideo differentia peccati specifica sumitur ab illa lege, ut inde evadat definitio a contrario, quae in privationibus describendis est optima, cum *νόθῳ* tantum *λόγῳ* intelligantur. Peccatum est *ἀνομία*, hoc est, discrepantia, aberratio, deflexio a lege, sive in ipsa natura sive in actionibus ea inveniatur, quin imo quod *ἄνευ νόμου* fit, ut *ἐθελοθρήσκειαι*, itidem *ἀνομίας* nomine venit. Denique cum lex obliget ad obedientiam, vel ad poenam, ideo facile inde colligitur, cum hac *ἀνομίᾳ* reatum sive obligationem ad poenam indissolubili nexu conjunctam esse.

Definitio peccati Philippea.

5. Mirandam illam exactissimae definitionis brevitatem evolvere voluit Dn. Philippus in definitione illa, quam in colloquio Wormaciensi anno 41. Eccio opposuit, Doct. Lutheri calculo prius approbatam. *Peccatum est vel defectus vel inclinatio vel actio pugnans cum lege Dei, offendens Deum, damnata a Deo, et faciens nos reos aeternae irae Dei et poenarum praesentium ac aeternarum, nisi fiat remissio propter Filium mediatorem.* Ex qua definitione de qualibuscunque veterum descriptionibus, quarum complures exstant, facile judicari potest.

Definitiones veterum.

Ambrosius libr. de Parad. c. 8: *Peccatum est legis divinae praevaricatio et coelestium inobedientia praeceptorum.* Augustinus lib. 1. ad simpl. quaest. 1: *Peccatum est aversio a conditore et ad inferiora condita conversio.* de duab. anim. contra Manich. c. 11: *Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi, quod justitia vetat.* lib. de Genes. ad lit. imperf. c. 1: *Peccatum est pravus liberae voluntatis assensus.* libr. de vera religione c. 16: *Peccatum est appetere ea, quae Christus contemsit, aut fugere, quae ille sustinuit pro salute nostra.* de fide contra Manich. c. 8: *Peccare nihil aliud est, nisi in veritatis praeceptis vel in ipsa errare veritate.* 1. de lib. arbitr. c. 16: *Peccata omnia hoc uno genere continentur, cum quisque avertitur a divinis vereque manentibus et ad mutabilia atque incerta convertitur.* Chrysostomus in c. 18. Matth.: *Peccatum est Deo non obedire.* Damascenus 4. orthod. fidei c. 23: *τῆς ἐντολῆς ἡ παράβασις ἁμαρτία ἐστιν.* Anselm. super 2. Hebr.: *Peccatum est vel facere vetita vel non facere jussa. Caeterum non fuit piis veteribus propositum, exactam in illis pronuntiatis constituere definitionem, quae complecteretur totum illud, quod peccati nomine censetur; sed voluerunt ponere quasdam descriptiones, non dialectice complectentes totam naturam definiti, sed quomodocunque convenientes illi materiae, de qua in certis quibusdam disputationibus et homiliis loquuntur.* Verba sunt Dn. Chemnicii p. 1. locor. Theol. loc. 7. c. 3.

An omnis ἀνομία sit peccatum.

6. Frivolum est, quod Andradius Payva lib. 3. defens. fid. Trid. et Bellarmin. libr. 1. de amiss. grat. et statu peccat. c. 1, ut et libr. 5. c. 14. obvertunt, *non omnem ἀνομίαν esse peccatum, cum peccata naturae et artis itidem sint quaedam ἀνομία; quibus haec generalissima D. Johannis definitio non minus conveniat.* Respondemus: Non de quacunque generalissime accepta *ἀνομίᾳ* apostolus loquitur, sed de discrepantia a norma legis divinae, id quod docet tam subjecto quam praedicato propositionis additus articulus, qui certam hic notari *ἀνο-*
μίαν et plenam tradi peccati definitionem (recipro- V. 4.
cam scilicet) evidenter arguit. Tit. 2, v. 14. dicimur a Christo *ἀπὸ πάσης ἀνομίας* redemti: quam ineptus interpres erit, qui de erratis artium vel naturalibus corporum defectibus eo loco cogitare voluerit.

CAPUT II.

ΟΝΟΜΑΤΟΛΟΓΙΑΝ HUJUS PECCATI PROPONIT.

Notatio sive etymologia verbi.

7. Hisce occasione apostolicae et Augustinianae definitionis praemissis ad propriam actualium peccatorum rationem et varias eorundem species explicandas accedemus, quam tractationem a vocabuli interpretatione et συνωνυμίας evolutione ordiemur. *Peccare* secundum Ciceronem parad. 3. *est tanquam lineas transilire.* Apud veteres Latinos specialiter dicebatur *peccatus pro adulterio quasi dicas pellicatus*, vide Gellium libr. 13. Noct. Attic. c. 19. *Delictum quasi derelictum; qui enim delinquit, quid delinquit nisi bonum*, interprete Augustino libr. 3. qq. super Levit. c. 20. *ἁμαρτία unde dicta sit*, Augustinus ibidem *sibi non occurrere dicit;* deducitur autem ab ἁμαρτάνειν, quod est ἄσκοπα τοξεύειν seu τοῦ σκόπου ἀποτυγχάνειν, unde Suidas ἁμαρτίαν definit τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἀποτυχίαν. Quidam statuunt ἁμαρτίαν dictam quasi ἀμαρπτίαν ab α στερητικῷ et μάρπτειν, quod est assequi; alii deducunt a μὴ et ἀρτάω, cum sit quiddam non congruum. Eodem modo παράβασις a παραβαίνειν, παράπτωμα a παραπίπτειν, praetercadere, cum scilicet ultra rectam justitiae lineam cadimus; vel a παράπτεσθαι, quod est temere et aberrante manu aliquid tangere, ἀδικία a στερήσει τῆς δίκης, ἀσέβεια ab α et σέβεσθαι, ἀποστασία ab ἀφιστᾶναι etc.

Synonymia.

8. Porro cum actualium peccatorum seges sit largissima et variae eorundem differentiae, inde tam variae peccati appellationes praesertim in Hebraea ac Graeca linguis occurrunt, quorum propriam significationem observare non abs re erit. Colligit eas maxima ex parte Dn. Chemnicius part. 1. locorum theolog. loc. 7. c. 2. p. 524, cujus vestigia sequemur. Hebraeis usitatae sunt hae appellationes: 1. חֵטְא חַטָּאָה et חַטָּאת a radice חָטָא aberravit, deviavit, deflexit, scilicet a scopo et norma. LXX. varie reddiderunt, commodissime autem per ἀνομίαν. Usurpatur tum de originali, tum de actualibus peccatis Ps. 51, v. 3. 4. 5. etc. Observa locum Jud. 20, v. 16, ubi proprie usurpatur: *Jaculabantur funda ad capillum, neque aberrabant:* quidam huc referunt ex Job. 5, v. 24: *visitabis tabernaculum tuum et non peccabis*, id est, non aberrabis ab eo, sed facile id invenies. 2. עָוֹן iniquitas, perversitas, a radice עָוָה curvus fuit, proprie igitur curvitatem notat, usurpatur tam pro malo culpae, quam pro malo poenae, tam pro originali, quam pro actualibus peccatis. 3. פֶּשַׁע transgressio a פָּשַׁע quod proprie significat pactum transgredi. 2. Reg. 8, v. 20: *In diebus ejus defecit Edom ab imperio Juda.* 4. שְׁגָגָה inconsideratio, incogitantia, notat proprie peccata ignorantiae vel infirmitatis, quae LXX. vocant παραπτώματα καὶ ἀγνοίας a שָׁגַג inconsiderate egit. 5. זָדוֹן superbia, ebullitio cordis a זוד intumuit, superbivit, notat igitur ea peccata, quae ex contumacia et προαιρέσει committuntur. 6. אָשָׁם abominandum scelus vel etiam abominationem, id est, reatum peccati notat; quandoque usurpatur pro victima, quae pro delicto expiando immolatur a radice אָשַׁם, quod significat fieri aliis abominationi, ut cum flatu quodam ipsum detestentur. LXX. plerumque reddunt πλημμέλειαν. 7. רֶשַׁע improbitas, inquietudo a רָשַׁע impie et seditiose egit, notat igitur voluntaria et continuata delicta. 8. מֶרֶד defectio, desertio ἀποστασία a radice מָרַד a superiore recedere, abjicere dominationem superioris, quia peccatum est aversio a summo bono Jos. 22, v. 22: *Israël cognoscet in defectione aut transgressione contra Jehova.* 9. מְשׁוּבָה aversio a שׁוּב, v. 5. quia per peccatum homo a creatore suo avertitur. 10. רַע malum a radice רָעַע malus fuit הֵרַע male egit. 11. מַעַל transgressio, usurpatur proprie de peccatis voluntariis contra conscientiam et ex contumacia perpetratis a מָעַל transcendit, opposuit se illi, cui debebat esse inferior ac obediens.

9. LXX. In V. et apostoli in N. T. his utuntur appellationibus: 1. ἁμαρτία et ἁμάρτημα, quae voces sunt generales, tam originale, quam actualia peccata denotantes. Matth. 1, v. 21: *Christus salvum faciet populum suum ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν, ab omnibus omnino peccatis.* 2. παράπτωμα lapsus, transgressio, proprie notat actualia peccata, et quidem ea, quae ex infirmitate committuntur, Galat. 6, v. 1: *Si praeoccupatus fuerit homo delicto aliquo.* 3. ἀνομία generale nomen est, quamvis a lege aberrationem denotans, 1. Joh. 3, v. 4: ἡ ἁμαρτία ἐστιν ἡ ἀνομία. 4. παρακοή, inobedientia notat delicta voluntaria. 5. παράβασις, transgressio, quamvis peccati actualis speciem comprehendit. 6. ἀδικία injustitia, iniquitas, proprie notat peccatum actuale regnans. 7. ἀσέβεια, impietas proprie notat peccata contra primam decalogi tabulam. 8. ἀποστασία, defectio proprie notat extremum peccati gradum, videlicet totius religionis abnegationem. 9. πλημμέλεια scelus, flagitium, in V. T. tantum occurrit, metaphoricum est ab exundatione fluviorum obvia quaevis destruente petitum; Augustinus format a πλὴν et μέλει. 10. κακία, πονηρία 1. Cor. 5, v. 8. conjunguntur, et opponitur eis εἰλικρίνεια καὶ ἀλήθεια, fidei vitaeque sinceritas. 11. ἥττημα, diminutio, defectus, ab ἡττᾶσθαι, victum esse, quia peccatoris succumbunt carnis et satanae tentationibus. 12. ὀφειλήματα, debita, quia peccata sunt debitae obedientiae neglectus, ac propterea poenae debitores nos coram DEO constituunt. 13. πταίειν, offendere, impingere, usurpatur de peccatis quotidianis ex infirmitate commissis, Jac. 3, v. 2.

Differentiae appellationum.

10. Videamus quasdam vocabulorum istorum differentias ab aliis assignatas. Demosthenes in orat. περὶ στεφάνου, ἀδικεῖ τὶς ἑκών, ἐξήμαρτε τὶς ἀκών; sed ἁμαρτίας vox generaliter in Spiritus sancti lingua usurpatur. Phavorinus: ἐξήμαρτε εἰς θεόν, ἐξύβρισεν εἰς ἀνθρώπους; atqui in homines etiam ἁμαρτίαν committi Scriptura docet, Matth. 18, v. 15: ἐὰν ἁμαρτήσῃ εἰς σὲ ἀδελφός. 1. Corinth. 6, v. 18: ὁ

πορνεύων εἰς τὸ ἴδιον σῶμα ἁμαρτάνει. Hieronymus in c. 2. Ephes.: *Quaerimus quid intersit inter παραπτώματα* et *ἁμαρτίας? ajunt enim, quod παραπτώματα quasi initia peccatorum sint, cum cogitatio tacita subrepit et ex aliqua parte conniventibus nobis necdum tamen nos impulit ad ruinam; peccatum vero esse, cum quid opere consummatum pervenit ad finem. Atqui lapsus Adae vocatur παράπτωμα,* Rom. 5, v. 18. *et primi motus concupiscentiae dicuntur ἁμαρτία,* Rom. 7, v. 5. etc. Augustinus lib. 3. quaestionum super Levit. quaest. 20: *παράπτωμα delictum notat, πλημμέλεια negligentiam.* Ibidem: *peccatum et delictum si inter se nihil differrent et si unius rei duo nomina essent, non curaret Scriptura tam diligenter unum esse utriusque sacrificium; fortassis igitur peccatum est perpetratio mali, delictum autem desertio boni, quia in damnabili vita aliud est declinare a bono, aliud facere malum, sicut in laudabili aliud declinare a malo, aliud facere bonum.* Beda in c. 6. Lev.: *Quidam putant delictum esse levius peccato.* Bellarm. 1. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 1: *Peccatum est nomen operationis malae, quae opponitur operationi virtutis: vitium autem est nomen habitus mali, qui opponitur virtuti, ut virtus habitum significat.* Atqui hoc discrimen in lingua sacrosancta non attenditur, quippe quae per lapsum etiam eos peccatores constitutos pronuntiat, qui non peccarunt actualiter in similitudinem praevaricationis Adae, Rom. 5, v. 19. Quos tamen omnes peccasse ibidem apostolus pronuntiat v. 12. Peccatum igitur phrasi Scripturae non tantum actiones legi contrarias, nec vitiosos tantum habitus, sed in genere quamvis *ἀνομίαν* notat, sive ea naturae inhaereat, sive in ipsis actionibus conspiciatur.

V. 6. Homonymia peccati.

11. Excutienda etiam *ὁμωνυμία* vocis; peccatum sumitur 1. pro tota relatione, id est, pro peccato et reatu simul, idque dupliciter; primo pro vitiositate in natura vel actionibus formaliter haerente et reos irae divinae ac poenis obnoxios reddente, cujus significationis exempla in Scripturis passim sunt obvia. Deinde pro peccato non quidem formaliter inhaerente, sed imputato; et reatu sive poenis illam peccati alieni imputationem consequentibus. Sic *Christum, qui non novit peccatum,* 1. Petr. 2, v. 22. (hoc est, in cujus natura vel actionibus nulla vitiositas formaliter inhaerens et propria fuit) *Deus pro nobis fecit peccatum,* 2. Cor. 5, v. 21. (hoc est, imputavit ei Deus peccata nostra, sarcinam peccatorum nostrorum et poenarum peccatis nostris debitarum ipsius humeris imposuit, Esa 53, v. 12. 1. Petri 2, v. 24.) Quam explicationem probat antithesis in isto loco: *eum, qui non novit peccatum, Deus pro nobis fecit peccatum, ut justitia Dei efficeremur in ipso.* Quemadmodum Christi justitia nobis imputatur, ita peccata nostra Christo sunt imputata. Quemadmodum per illam justitiae Christi imputationem a poenis peccatorum nostrorum liberamur, ita per illam peccatorum nostrorum imputationem Christus poenis, quae nobis debebantur, factus fuit obnoxius. Vide Chrysostomum in istum locum. 2. *συνεκδοχικῶς* pro parte tantum relationis; idque iterum dupliciter; primo pro fundamento tantum, hoc est, pro vitiositate naturae vel actionibus inhaerente absque reatus connotatione. Deuter. 24, v. 16: *unusquisque pro peccato suo morietur.* 2. Cor. 5, v. 21: *Christus non novit.* 1. Petr. 2, v. 22: *non fecit peccatum;* deinde pro termino tantum, hoc est, pro reatu Genes. 43, v. 9: *tibi peccabo omnibus diebus,* hoc est, reus ero peccati per totam vitam. Exod. 5, v. 16: *peccat populus tuus,* id est, peccati reus habetur, et ideo duriter affligitur. Quo referri potest illa peccati significatio, quando pro sacrificiis peccato expiando destinatis usurpatur, cujus significationis exempla in Levitico occurrunt quamplurima. Hoseae 4, v. 8: *peccata populi mei comedunt,* hoc est, sacrificia, interprete Augustino lib. 3. contra duas epist. Pelag. c. 6. Hebr. 12, v. 4. peccatum videtur specialiter sumi pro falsa religione.

Epitheta atrocium peccatorum ex veteribus.

12. Pii veteres praesertim Augustinus atrocia epitheta peccato addunt, quae merito istius odium animis nostris instillare debent. Augustinus tractat. 49. in Johan.: *Peccatum est mors animae.* libr. 1. de baptismo contra Donatistas c. 11: *Peccata sunt tenebrae animarum.* De contrit. cord. c. 7: *Peccata sunt animarum ligamina,* lib. qq. V. et N. T. quaest. 42: *Peccata in Scripturis dicuntur spinae.* De ovibus c. 9: *peccando inimicum se quis facit Deo.* De praesent. Dei ad Dard. c. 7: *peccando nos elongamus a Deo.* Ambrosius epistol. 18: *nullum gravius onus, quam peccatorum sarcina et pondus flagitiorum.* Nazianzenus orat. funeb. in partem *εἷς θάνατος ἡ ἁμαρτία, ψυχῆς γὰρ ὄλεθρος.* Descriptionem foeditatis, quam Scriptura peccato tribuit, vide in Medit. nostr. 3. Vere tam magnum malum est peccatum, quam magnum bonum est is, a quo per peccatum avertimur. At Deus est incomprehensibile bonum; ex quo sequitur, non posse a nobis comprehendi, quantum malum sit mortale peccatum, per quod a Deo receditur. In scholis usitatum est, *peccatum vocare nihil,* non quod sit ens negativum ac nihili faciendum, sed 1. *propter defectum, quia peccatum formaliter est corruptio boni, non aliquod per se subsistens; 2. propter defectum, quia peccatum annihilat hominem et deficere facit a vero esse; 3. propter despectum, quia vilem facit hominem et praemio indignum;* quas rationes assignat Bonav. in comp.

Peccatum aliud originale, aliud actuale. Synonyma actualium peccatorum. V. 7.

13. Prima peccati (in homine considerati, nam de diabolorum peccato hic non agitur), prima inquam peccati divisio est in originale et actuale. De priori peccati specie egimus in superioribus; de posteriori dicendum restat. Actualia peccata Spiritus sanctus nominat *opera carnis* Galat. 5, v. 19; *malae arboris fructus malos,* Matth. 7, v. 17. et 18. Luc. 6, v. 43; *mala, quae profert malus homo ex malo cordis thesauro* Matth. 12, v. 34; *malae cogitationes, verba et actiones, quae ex corde procedunt* Matth. 19, v. 19; *peccata, quae in similitudinem praevaricationis Adae perpetrantur* Rom. 5, v. 14; *μιάσματα*

τοῦ κόσμου, 2. Petri 2, v. 20; σαρκικαὶ ἐπιθυμίαι, 1. Petri 2, v. 11; *peccata, quae inhabitans peccatum et prava concupiscentia parit atque operatur*, Rom. 7, v. 8. Jacob. 1, v. 15; *opera tenebrarum* Ephes. 5, v. 11; *actiones veteris hominis* Coloss. 3, v. 9; *opera mortua* Hebr. 6, v. 1; *opera mala* Coloss. 1, v. 21; *opera iniqua* 2. Petr. 2, v. 8; *opera iniquitatis* epistol. Jud. v. 15; *opera infructuosa* Ephes. 5, v. 11; *quorum finis mors est* Rom. 6, v. 21. etc. In V. T. actualia peccata dicuntur via mala, *res Belial*, praevaricationes etc.; harum appellationum quaedam respiciunt causam peccati proximam, videlicet ipsam naturae corruptionem; quaedam ipsum formale, videlicet ἀνομίαν; quaedam denique effectum et consequens, videlicet iram Dei, temporales et aeternas poenas respiciunt. Augustinus in Enchirid. c. 44. et 50. *vocat addita ac propria peccata*. c. 64. *activa commissa*. Chrysostomus: *foenus debiti ab Adamo inducti posterioribus peccatis auximus*. Bernhardus homil. de pass. *vocat personalia peccata*, quia cuique personae sunt propria, sicut originale toti humanae naturae est commune, unde dicitur naturale.

CAPUT III.

DE CAUSIS ACTUALIUM PECCATORUM.

Causae actualium peccatorum. 14. Causae peccatorum actualium tres sunt: 1. corruptio naturae per lapsum protoplastorum in nos introducta, Matth. 15, v. 19. etc.; 2. suggestiones satanae, qui ad peccata variis modis homines impellit. 1. Paral. 21, v. 1: *Satan incitavit Davidem, ut numeraret populum.* Joh. 13, v. 2: *Diabolus miserat in cor Judae Simonis Iscariotae, ut Christum traderet.* Actor. 5, v. 3: *Cur implevit Satanas cor tuum, ut mentireris Spiritui sancto?* 3. Mundi scandala Matth. 18, v. 7: *Vae homini, per quem scandalum venit.* Rom. 12, v. 2: *Nolite conformari mundo.* Observa autem 1. causae efficientis nomen hic sumi ἐν πλάτει; etenim si ἀκρίβειαν philosophicam sectari velimus, recte dictum est a Dionysio Areopag. lib. de div. nominibus: *Malum carere tum essentia, tum fine, tum efficiente;* et ab Augustino 12. de civ. Dei c. 7: *Mali causam non tam efficientem quam deficientem quaerendam esse;* quod Thomas lib. 3. contra gentes c. 10. ita effert: *Causa per se defectus non est aliquid positivum, sed alius defectus; qualis enim causa per se, talis et effectus.* Idem 1. 2. quaest. 75. art. 1: *Peccatum est actus inordinatus, ex parte actus potest habere causam per se, ex parte inordinationis habet causam eo modo, quo negatio vel privatio habet causam.* Negationis autem alicujus duplex potest assignari causa, 1. defectus causae, hoc est, ipsius causae negatio est causa negationis secundum se ipsam; ad remotionem enim causae sequitur remotio effectus; 2. causa affirmationis, ad quam sequitur negatio, est per accidens causa negationis consequentis. Sed cum inordinatio peccati non sit simplex negatio, sed privatio ejus, quod inesse debebat, necesse est, quod totalis inordinatio habeat causam agentem per accidens; 3. primam inter has tres causas esse interiorem, tertiam exteriorem, secundam et exteriorem et interiorem simul. *Ecce inimicus ille* (ait Bernhardus 3. de sept. pan. col. 183.), *quem nec videre possum, quanto minus cavere, nunc aperte et violenter, nunc occulte et fraudulenter, semper autem malitiose et crudeliter impugnat et persequitur nos;* 4. ac proinde primam ex his esse immediatam, propriam et adaequatam actualium peccatorum causam; diabolus suggerere quidem potest, sed cogere non potest; quod ipsum etiam de mundi scandalis est statuendum.

15. Atque hic est triplex ille Cerberus, qui suo V. 8.
latratu nobis assidue molestus est, videlicet caro, Satanas et mundus. Augustinus lib. 2. de peccato origin. c. 37: *vitii auctor est diaboli decipientis calliditas et hominis consentiens voluntas.* Bernhardus serm. 85. super Cantic. col. 748: *Impulsor diabolus est, impulsor mundus, impulsor homo. Quid iste homo sit, quaeris? quisque sui. Noli mirari, usque adeo homo impulsor sibi est et suimet praecipitator, ut non sit quod ab altero impulsore formides, si ipse a te proprias contineas manus. Diabolus livore malitiae, mundus vento vanitatis, homo semet ipsum pondere suae corruptionis impellit.* Idem in medit. devotiss. c. 14. col. 1200: *Inimici mei animam meam circumdederunt, corpus scilicet, mundus et diabolus. A corpore fugere non possum, nec ipsum a me fugare; circumferre illud necesse est, quoniam alligatum est mihi, perimere non licet; sustentare cogor et cum illud impinguo, hostem meum adversum me nutrio. Mundus vero circumcingit et obsidet me utique et per quinque portas, videlicet per quinque corporis sensus sagittis suis me vulnerat. Diabolus, quem videre non possum et ideo minus ab eo mihi cavere, tetendit arcum suum et in eo paravit sagittas suas, ut vulneret me repente etc. Caro suggerit mollia, mundus vana, diabolus amara. Ad hos igitur tres fontes omnium peccatorum causae revocandae, Deo autem causas lapsuum adscribere nefas est. Si quis a justitia et pietate deficit, suo in praeceps fertur arbitrio, sua concupiscentia trahitur, sua persuasione decipitur, nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil Spiritus s., nec in tali negotio quicquam divinae voluntatis intervenit.* Augustin. ad art. sibi falso impos. art. 10.: qua de re plura diximus in loco de Providentia.

16. Illa naturae corruptio et voluntatis humanae perversio, quae est interior et propria peccati causa, potest in plura membra docendi causa dividi; comprehenditur enim isto nomine: 1. ipsa concupiscentia prava Jacob. 1, v. 15: *concupiscentia cum conceperit, peccatum parit.* 2. Voluntatis consensus

Matth. 5, v. 28: *Qui aspicit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est cum ea in corde suo.* 3. Ignorantia et caligo mentis 1. Tim. 1, v. 13: *fui blasphemus et persecutor, sed ignorans feci.* 4. Infirmitas carnis Matth. 26, v. 69: *Spiritus quidem promptus, caro autem infirma.* 5. Voluntaria ac destinata animi malitia. Hebr. 10, v. 26: *voluntarie peccantibus jam non relinquitur pro peccatis hostia.* 6. Habitus vitiosi per crebros actus contracti. Rom. 2, v. 5: *Secundum duritiem tuam et cor poenitere nescium cumulas tibi iram.* 7. Ipsum peccatum saepe alterius peccati causa est, ut ostendimus alibi. Esa. 5, v. 18: *Vae illis, qui attrahunt iniquitatem funibus mendacii et velut funibus plaustri peccatum.* Ex accidenti peccatorum causae sunt objecta externa in sensus incurrentia et ad sui abusum pellicentia. Gen. 3, v. 6: *Vidit mulier, quod bona esset arbor ad vescendum ac desiderabilis oculis* etc. quin et ipsa lex Dei sancta ac justa per accidens peccatum auget, ea, quae carni grata sunt, prohibendo ac ea, quae displicent, praecipiendo. Rom. 7, v. 8: *Occasionem accipiens peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam; sine lege enim peccatum erat mortuum,* etc.

Peccati causa per accidens.

CAPUT IV.

DE EFFECTIBUS PECCATORUM ACTUALIUM.

Effectus actualium peccatorum.

17. Effectus peccatorum actualium varii sunt. 1. Conscientiae dolor. Genes. 3, v. 10. Adamus post lapsum audiens Dei vocem extimescit. Nimirum fataliter angor omne nefas sequitur. Chrysostomus in 1. Tim. 1: *hujusmodi est natura peccati; habet, antequam perpetretur, aliquam voluptatem; ubi vero consummatum fuerit, voluptas illa cessat atque marcescit, subit autem continuo moestitudo ac tristitia ingens.* Idem homil. 64. in Genes.: *Sicut ebrius quando multum vini ingurgitat, nullum sentit a vino damnum; postea autem sentit, quantum sit damnum; ita et peccatum, donec consummetur, obtenebrat mentem et quasi densa nubes ita mentem corrumpit. Deinde conscientia insurgit et quovis accusatore mentem gravius arrodit, monstrans facti absurditatem.* Exemplum memorabile exstat apud Dionem in vita Neronis, qui interfecta matre fugiens omnia
v. 9. perhorrescebat, si catulus paululum latraret, aut caneret gallina, aut virgultum moveretur. 2. Ira Dei. Orat. Manassis v. 2: *Intolerabilis est ira tua, quam peccatoribus minaris.* 3. Animae curvitas, obliquitas et macula. Quemadmodum enim is, qui faciem a sole avertit, manet aversus, donec iterum ad eundem solem faciem convertat, et digitus sponte curvatus curvitatem retinet, donec iterum per actum contrarium dirigatur; sic et voluntas, quae per actum peccati a Deo recessit, in recessu permanet, donec iterum per poenitentiam ad Deum accedat. 4. Reatus, quem quidam duplicem statuunt, reatum culpae (qui est dignitas odii, indignitas gratiae et meritum poenae) et reatum poenae (qui est ordinatio sive obligatio ad poenam). Quamvis enim prava actio semel peracta transeat, tamen ipsa actionis iniquitas in conspectu Dei permanet, diligenter observatur et veluti in libro scribitur, hinc illa piorum suspiria: delictorum meorum ne recorderis amplius, dele iniquitates meas, etc. 5. Vitiosi habitus ad alia peccata inclinantes; foecundum enim est peccatum, non ibi desinit ubi incipit. *Qui peccat, fit peccati servus,* Joh. 8, v. 34. 6. Omnis generis poenae temporales et aeternae. Nunquam antecedentem scelestum deseruit pede poena claudo. Thomas 1. 2. q. 82. art. 1: *Cum peccatum sit actus inordinatus, manifestum est, quod, quicunque peccat, contra aliquem ordinem agit, et ideo consequens est, quod ab ipso ordine deprimatur, quae quidem depressio poena est; unde secundum tres ordines, quibus subditur humana voluntas, triplici poena homo potest puniri. 1. Subditur humana natura ordini propriae rationis. 2. Ordini exterioris hominis gubernantis. 3. Universali ordini divini regiminis; quilibet autem horum ordinum per peccatum pervertitur, unde homo triplicem incurrit poenam, unam a se ipso, quae est conscientiae morsus, aliam ab homine, tertiam a Deo.*

Effectus per accidens.

18. Per accidens peccatis actualibus competit, quod poenitentia accedente cautiorem hominem reddunt et misericordiam Dei erga nos commendant. Rom. 5, v. 20: *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Rom. 8, v. 28: *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Ubi glossa addit, etiam ipsa peccata. D. Lutherus in comment. c. 20. Genes. *non solum mala passiva, quae nobis irrogantur, in bonum cedunt, sed etiam activa, quae nos ipsi facimus;* quod desumsit ex veteribus. August. in Soliloq. c. 28: *Electis omnia cooperantur in bonum, etiam ipsa peccata; nimirum non ex natura sua, sed ex Dei virtute et sapientia,* quod Chrysostomus *declarat exemplo medici, cujus sollertia ex veneno facit medicinam.* Alii utuntur hoc simili: Quemadmodum stercore in se turpi ac foetido pinguefacti agri foecundantur, ita peccata nostra ex immensa Dei gratia salutaria fiunt illis, qui agnita eorum foeditate et humiliores redduntur et cautiores. Lactant. lib. 6. c. 24: *Muta quoque animalia cum fraude capiuntur, si aliquo se modo in fugam extricaverint, fiunt postmodum cautiora, vitantque semper ea omnia, in quibus dolos insidiasque senserint. Sic hominem poenitentia cautum ac diligentem facit ad evitanda peccata, in quae semel fraude deciderit.* Anselm. de mensur. crucis: *Bonitas Dei malis nostris novit bene uti, saepe faciens defectus nostros ad augmentum humilitatis prodesse, ut verum sit, quod septies in die cadit justus et fortior resurgit.* Savonarola super Psalm. 31: *Nonne scribit apostolus, diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum?*

Nonne eis ille casus cooperatur in bonum, unde et humiliores efficiuntur et cautiores? Quo pertinet πολυθρύλλητον illud Gregorii: *Deus occultam mentis superbiam saepe corrigit per manifestam carnis ruinam*, et illud ejusdem: *O felix culpa, quae tantum meruit redémtorem*, quod omnino de accidentario peccati effectu intelligendum; proprium peccati effectum respiciendo rectius diceretur: O misera culpa, quae talis redemptoris nos fecisti indigos.

V. 10.

CAPUT V.

DE VARIIS SPECIEBUS PECCATORUM ACTUALIUM.

Divisiones actualium peccatorum.

19. Divisiones actualium peccatorum variae sunt ac multiplices, quas colligere vel ideo prodest, ut agnoscamus, quam vere pronuntiaverit regius psaltes Psalm. 19, v. 13: *Delicta quis intelligit?* et apostolus Jacob. 3, v. 2: *πολλὰ πταίομεν ἅπαντες*. Ratione causae efficientis: 1. Quaedam peccata sunt voluntaria, quaedam involuntaria. 2. Horum (puta involuntariorum) quaedam committuntur ex ignorantia, quaedam ex infirmitate; illa vero (voluntaria) ex destinata animi malitia et contumacia perpetrantur. Ratione ipsius actus. 1. Quaedam sunt peccata commissionis, quaedam omissionis. 2. Quaedam consistunt in aversione a Deo, quaedam in conversione ad creaturas. Ratione causae et effecti simul quaedam sunt tantum peccata, quaedam sunt peccata et simul causae ac poenae peccatorum. Ratione subjecti: 1. Quaedam sunt interiora, quaedam exteriora. 2. Quaedam sunt peccata cordis, quaedam oris, quaedam operis. Ratione objectorum: 1. Quaedam peccata committuntur contra Deum, quaedam contra homines. 2. Quaedam contra primam, quaedam contra secundam decalogi tabulam perpetrantur. 3. Quaedam sunt extra corpus, quibusdam vero in proprium corpus homo peccat. 4. Quaedam sunt peccata carnis, quaedam spiritus. Ratione adjunctorum quaedam peccata sunt occulta, quaedam manifesta. Ratione graduum: 1. Quaedam sunt atrocia delicta in coelum clamantia, quaedam vero sunt talia, quae Deus longanimitate sua dissimulat. 2. Quaedam sunt capitalia, quaedam ex illis orta. 3. Quaedam sunt aliis majora ac graviora. Ratione modi, quo peccatis participamus, quaedam sunt nostra, quaedam aliena. Ex accidenti: 1. Quaedam sunt venialia, cum sua natura omnia sint mortalia [mortifera]. 2. Quaedam sunt regnantia, quaedam non regnantia. 3. Quaedam sunt per se peccata, quaedam propter aliud. 4. Quoddam est peccatum mortuum, quoddam vivens. 5. Quoddam peccatum manens, quoddam remissum. 6. Quaedam peccata sunt remissibilia, quoddam vero irremissibile. De singulis divisionum istarum membris latius agemus.

CAPUT VI.

DE PECCATIS VOLUNTARIIS ET INVOLUNTARIIS.

Peccata alia voluntaria, alia involuntaria.

20. Prima divisio erat haec: Quaedam peccata sunt involuntaria, videlicet quae ex ignorantia vel infirmitate, quaedam voluntaria, quae ex destinata animi malitia et contumacia perpetrantur. August. lib. 83. quaest. q. 26: *Peccata aliqua sunt infirmitatis, alia imperitiae, alia malitiae.* Fundamentum hujus divisionis exstant in sequentibus Scripturae locis. Num. 15, v. 27: *Si anima una per imprudentiam peccaverit, offert capram anniculam in sacrificium pro suo.* v. 28: *et sacerdos animam illam, quae per imprudentiam peccavit, reconciliabit per sacrificium pro peccato suo, nimirum pro ignorantia coram Domino.* v. 30: *Anima vero, quae in manu excelsa aliquid commiserit, is Dominum blasphemat, peribit de populo suo.* v. 31: *quia verbum Jehovae sprevit et praeceptum ejus irritum fecit.* Psalm. 19, v. 13: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.* v. 14: *et prohibe me a superbiis.* Peccata involuntaria, ἀκούσια dicuntur ea, quando quis ex infirmitate carnis per imprudentiam vel ex ignorantia peccat. Num. 15, v. 24. 25. 27. 28. 29. vocantur שְׁגָגָה; LXX. vocant ἁμαρτίαν ἀκούσιον. Psalm. 19,
v. 13. vocantur שְׁגִיאוֹת; LXX. παραπτώματα. Voluntaria dicuntur, quae quis scienter et ex proposito committit. Num. 15, v. 30. dicuntur facta בְּיַד רָמָה ἐν χειρὶ ὑπερηφανίας. Psalm. 19, v. 14. dicuntur זֵדִים peccata superbiae. V. 11.

21. Peccatorum κατ' ἄγνοιαν καὶ ἀκουσίως commissorum exempla passim obvia sunt in Scripturis. Gen. 20, v. 2. Abimelech rex Gerar accipit Saram; v. 6. dicit ad eum Deus in somnio: *Ego novi, quod in perfectione cordis tui fecisti hoc, prohibui itaquè te* מֵחֲטוֹ־לִי *ne peccares mihi.* Lev. 4, v. 2: *Anima, quae peccaverit per errorem* [ignorantiam vel imprudentiam.] Num. 35, v. 15. constituuntur *urbes refugii illis, qui occiderint aliquem per errorem.* Actor. 3, v. 17: *Scio fratres, quod per ignorantiam fecistis.* 1. Tim. 1, v. 13: *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.* De hoc peccati genere loquuntur multa Scripturae dicta 1. Reg. 8, v. 46. 2. Paral. 6, v. 36. Eccles. 7, v. 21: *Non est homo, qui non peccet.* Proverb. 20, v. 1: *Quis potest dicere, mundus sum a peccato.* Galat. 6, v. 1: *Si praeoccupatus fuerit homo delicto aliquo ἐν τινὶ παραπτώματι, eum καταρτίζεται,* Jac. 3, v. 2: *πολλὰ πταίομεν ἅπαντες.* Augustin. de peccat. merit. et remiss. c. 17: *Ignorantia et infirmitas vitia sunt, quae impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum vel ab opere malo abstinendum.*

22. De peccatis ἑκουσίως ex destinata malitia προαιρέσει ac contumacia admissis [quae alias dicuntur peccata contra conscientiam] loquuntur haec dicta. Rom. 6, v. 15: *Num peccabimus, quia non sumus sub lege? absit.* Tit. 3, v. 10: *haereticum post unam atque alteram admonitionem devita.* v. 11:

sciens, quia subversus est talis καὶ ἁμαρτάνει ὢν αὐτοκατάκριτος, proprio judicio condemnatus. 2. Petr. 3, v. 5: *Volentes nesciunt, quod coeli erant prius* etc. Quidam huc referunt dicta Hebr. 6, v. 4. et seq. c. 10, v. 26, sed ostendemus suo loco de peccato in Spiritum s. in illis proprie agi, quod est irremissibile, cum reliqua delicta voluntaria sint remissibilia et remittantur, si per poenitentiam ab eis resurgatur. Lev. 6, v. 1. et seqq.

Duplex ignorantia. 23. Caeterum duplex ignorantia est, quaedam facti, quaedam vero juris, quaedam invincibilis, quaedam vero affectata; illa quodammodo excusat et minuit peccati gravitatem, haec vero minime. Luc. 12, v. 48: *Servus, qui non cognovit voluntatem domini et fecit digna plagis, vapulabit paucis.* August. de grat. et lib. arb. c. 3: *Gravius peccat homo sciens quam nesciens; nec tamen ideo confugiendum est ad ignorantiae tenebras, ut in eis quisque requirat excusationem; aliud est enim nescivisse, aliud scire noluisse. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur: noluit intelligere, ut bene ageret. Sed et illa ignorantia, quae non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat.* In qq. V. ac N. T. q. 67: *non omnis ignorans immunis est a poena, illa autem ignorans potest excusari a poena, qui a quo disceret, non invenit.* lib. 1. retract. c. 13: *illa, quae immerito dicuntur non voluntaria peccata, quod vel a nescientibus vel a coactis perpetrantur, non omnino possunt sine voluntate committi; quoniam et ille qui peccat ignorans, voluntarie utique peccat, quod cum faciendum non sit, putat esse faciendum. Et ille, qui concupiscente adversus Spiritum carne non ea, quae vult, facit, concupiscit quidem nolens et in eo non facit, quod vult; sed si vincitur, concupiscentiae consentit volens et in eo non facit [nisi] quod vult, liber scilicet justitiae servusque peccati.* Inde est quod Thom. 1. 2. q. 76. art. 2. *distinguit inter ignorantiam et nescientiam.* Nescientia notat simplicem scientiae negationem; ignorantia vero importat scientiae privationem, dum scilicet alicui deest scientia eorum, quae aptus natus est scire.

Peccatum malitiae gravius est, quam peccatum ignorantiae vel infirmitatis. 24. Porro peccatum ex destinata malitia perpetratum longe gravius esse, quam infirmitatis peccata, tripliciter probat Thom. 1. 2. q. 78. artic. 4: *Primo peccatum principaliter consistit in voluntate; quanto ergo motus peccati magis proprius voluntati, tanto peccatum gravius caeteris paribus. In peccato*
V. 12. *ex malitia voluntas ex se ipsa movetur, passio est quidam extrinsecus impulsus. Secundo passio, quae inclinat voluntatem, cito transit; sed habitus, quo homo ex malitia peccat, est qualitas permanens. Tertio, qui peccat ex malitia, est male dispositus quantum ad ipsum finem, qui est principium in operabilibus, et sic ejus defectus est periculosior.*

CAPUT VII.

DE PECCATIS COMMISSIONIS ET OMISSIONIS.

Quaedam peccata commissionis, quaedam omissionis. 25. Secunda peccatorum actualium divisio erat ista. Quaedam peccata sunt commissionis, quaedam omissionis. Fundamentum hujus divisionis exstat in ipsa lege divina, quae non solum prohibet malum, sed etiam praecipit bonum; non solum jubet recedere a malo, sed etiam mandat facere bonum; utique ergo non solum mala committendo, sed etiam bona omittendo contra legem peccatur. Jac. 4, v. 17: *Scienti bonum et non facienti peccatum est.* Matth. 25, v. 42: *Esurivi, et non cibastis me, sitivi, et non potastis me* etc. 1. Joh. 3, v. 17: *Qui habuerit substantiam hujus mundi et viderit fratrem ejus indigum, concluserit autem viscera sua erga ipsum, quomodo caritas Dei in eo manet?* Reatus istius peccati describitur Matth. 3, v. 10. c. 7, v. 19: *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, exciditur et in ignem mittitur.* Matth. 25, v. 30: *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.* Luc. 12, v. 47: *Servus, qui cognovit voluntatem domini nec praeparavit se, vapulabit multis.* c. 13, v. 7: *Succide arborem infrugiferam.* Joh. 15, v. 2: *Omnem palmitem non ferentem fructum tollet Pater coelestis. Si non pavisti, occidisti,* Ambr. *Terreant te haedi ad sinistram constituti, non quia rapuerunt, sed quia non paverunt.* Naz.

An peccatum omissionis voluntarium. 26. Peccatum omissionis quidam constituunt duplex; quandoque enim omittuntur bona, quandoque detrectantur adversa; illud procedit ex prava concupiscentia, quae voluntatem inclinat ad istam omissionem; hoc ex perverso timore. Disputant autem Scholastici, quomodo hoc peccatum omissionis sit voluntarium? Quidam statuunt, quod in omni peccato sit aliquis actus interior voluntatis illicitus vel exterior imperatus. Interior, ut velle omittere sive velle non facere, quod praeceptum est, aut velle suspendere actum, quem tenetur facere, aut velle facere actum in compossibilem actui, [qui non potest uno eodemque tempore fieri cum illo actu] ad quem tenetur. Exterior, ut operatio alicujus ea hora, qua tenetur aliquid facere, quo impeditur ab eo, quod facere tenetur. Quidam contra disputant, non requiri ad peccatum omissionis talem actum positivum, ipsum enim non facere quod praeceptum, esse peccatum omissionis; quorum sententia veritati magis conformis. Thom. 1. 2. q. 71. art. 5: *Si intelligatur in peccato commissionis illud solum, quod per se habet rationem peccati, sic peccatum omissionis quandoque est cum actu interiori, quandoque absque omni actu interiori vel exteriori. Si vero in peccato omissionis intelligantur etiam causae vel occasiones omittendi, sic necesse est in peccato omissionis aliquem actum esse.* Occamus et secutus ipsum Biel 2. sent. dist. 42. inscite disputant contra Thomam. *Nemo* [inquiunt] *peccat in eo, quod vitari non potest; sed qui tenetur hoc vel illud facere,*

non potuit vitare illam omissionem, nam ex hypothesi non cogitat de eo; ergo non peccat omittendo; ideoque praeferunt opinionem Alexandri Alensis, quod peccatum omissionis sit actus positivus interior voluntatis vel certe non sine tali. At huic argumento rectissime respondet Thomas per limitationem. *Nemo peccat in eo, quod vitare non potest, nimirum si illam impossibilitatem non inciderit ex sua culpa, alias non procedit haec regula, ut si quis voluntarie se praecipitaret in foveam, unde exire non posset.*

An peccatum omissionis et commissionis differant specie.

V. 13. 27. Quaerunt insuper: *An peccatum omissionis et commissionis specie differant?* Respondemus: Thom. 1. 2. q. 72. art. 6: *Peccata distinguuntur et materialiter et formaliter. Materialis peccati differentia attenditur secundum naturalem speciem actuum; formalis secundum ordinem ad finem proprium. Si loquimur de specie peccati omissionis et commissionis materialiter, differunt specie, si vero loquimur de specie peccati omissionis et commissionis formaliter, sic non differunt specie, quia ad idem ordinantur et ex eodem motivo procedunt; avarus et rapit et non dat ea, quae dare debet; semper enim negatio fundatur super aliqua affirmatione.* Haec Thomas. Potest etiam quaestio hoc modo solvi. De peccato possumus loqui vel concretive vel abstractive. Peccatum abstractive sumtum denotat privationem; peccatum concretive sumtum notat non tantum privationem, sed etiam habitum vel actum substratum; priore consideratione peccatum omissionis et commissionis non differunt, utrobique enim est ἀνομία ac privatio, sed posteriore consideratione utique differunt, alius enim actus est in peccato commissionis, alius in peccato omissionis.

CAPUT VIII.

DE PECCATIS IN AVERSIONE A DEO ET CONVERSIONE AD CREATURAS.

Quaedam peccata consistunt in aversione a Deo, quaedam in conversione ad creaturas.

28. Tertia divisio peccatorum actualium succedit. Quaedam peccata consistunt in aversione a Deo, quaedam in conversione ad creaturas. *At*, inquis, *omne peccatum est aversio a summo bono, quomodo ergo talis peccatorum divisio locum habebit?* Respondemus ex Scoto 2. sent. dist. 37: *quod aversio a fine ultimo possit intelligi dupliciter, formaliter et virtualiter. Formaliter, quando in avertendo habet ultimum finem pro objecto positive vel privative. Positive, ut scilicet voluntas nolit illum finem actu positivo, et hoc nolle est odisse Deum. Privative, ut scilicet non velit, cum deberet velle ultimum finem, et tale non velle est omittere illud praeceptum: Diliges Dominum Deum tuum. Virtualiter, quando avertitur ab aliquo necessario ad consequendum ultimum finem; haec aversio virtualis est communis omni peccato mortali.*

29. Quicunque inordinato amore convertitur ad creaturas, is eodem actu se avertit a Deo; interim tamen formaliter aversio a Deo distinguitur a conversione ad creaturas; illa enim attenditur ratione termini a quo, haec vero ratione termini ad quem. Jerem. 2, v. 13: *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt, fontem aquae vivae, et effoderunt sibi cisternas, cisternas confractas, quae non continent aquas. Initium peccati est superbia* Eccles. 10, v. 15, nimirum per aversionem a Deo, ita enim exponitur versu proxime praecedente: *Initium superbiae est defectio hominis a Deo et a creatore suo cordis aversio. Vicissim, radix omnium malorum est avaritia* 1. Tim. 6, v. 10, nimirum per inordinatam conversionem ad creaturas. Lomb. 2. sent. dist. 42. lit. K: *Utrumque recte dictum esse intelligitur,* [scilicet quod superbia sit omnis peccati initium, et quod cupiditas omnis peccati initium] *si genera peccatorum singulorum, non singula generum utraque locutione includi intelligantur, nullum quippe genus peccati est, quod interdum ex superbia non proveniat; nullum etiam, quod ex cupiditate aliquando non descendat: sunt enim nonnulli hominum, qui ex cupiditate fiunt superbi, et aliqui ex superbia fiunt cupidi.* Bonav. 2. sent. dist. 42. art. 3. q. 2. tractat hanc quaestionem, *utrum peccatum habeat* [possit] *dividi per aversionem et conversionem tanquam per diversas differentias,* quam hoc modo decidit. *Aversio accipitur dupliciter, primo ut dicit deordinationem circa actum conversionis, deinde ut dicit actum a* V. 14.
conversione distinctum. Primo modo conversio non ponit numerum cum aversione, nec faciunt diversa peccata, imo illa duo essentialiter clauduntur in omni peccato mortali; nam conversio non est culpa, nisi quia inordinata; nec est inordinata, nisi quia avertitur homo a Deo, cui deberet inhaerere tanquam fini ultimo; secundo modo accepta aversio constituit diversum peccati genus, hoc enim modo averti est odio habere. Et quia ut plurimum aversio in peccato accipitur, tam prout dicit deordinationem a Deo tanquam a fine, quam prout dicit motum inordinatum contra Deum; hinc est, quod conversio et aversio potius comparantur ad peccatum sicut differentiae constituentes, quam sicut differentiae dividentes.

CAPUT IX.

DE PECCATIS, QUAE SIMUL SUNT CAUSA ET POENA PECCATORUM.

Quaedam sunt tantum peccata, quaedam simul peccata et causa ac poena peccatorum.

30. Prodeat quarta peccatorum divisio. Quaedam sunt tantum peccata, quaedam sunt simul et peccata et causa ac poena peccatorum. *Sic prava concupiscentia*, docente August. lib. 5. contra Julian.

c. 3, *est peccatum, quia inest illi inobedientia adversus dominatum mentis; et est poena peccati, quia reddita est meritis inobedientiae; et causa peccati defectione consentientis vel contagione nascentis. Sic pleraque peccata actualia* [excepto primo primorum parentum peccato] *sunt poenae peccatorum praecedentium et* [excepto ultimo cujusque hominis peccato] *causae sequentium, miris etiam atque miseris modis homo peccans laqueis Satanae ita involvitur atque constringitur, ut ex uno peccato in aliud prolabatur;* August. in Psalm. 57: *Criniculis peccatorum suorum quisque constringitur; peccata non solum vincula sunt, sed et criniculi. Criniculi sunt, quia fiunt intorquendo, hoc est, quod peccata peccatis connectebas. Vae his, qui trahunt peccata sua sicut restem longam, Esaias clamat; quid hoc aliud est, quam vae his, quorum manus connectunt iniquitatem?* etc. *Primum peccatum superbia est, ultima poena est ignis aeternus; inter illud primum peccatum et hanc ultimam poenam media quae sunt, et peccata sunt et poena peccatorum: tam multa enim dicit apostolus fieri ab eis, quae peccata sunt detestabilia, et tamen poenas eas dicit* etc. Greg. in c. 1. Ezech. homil. 11: *Peccatum, quod per poenitentiam citius non deletur, aut peccatum est et causa peccati, aut peccatum et poena peccati, aut peccatum simul et causa et poena peccati.* Vide Lombard. 2. sent. distinct. 36. per tot.

Quomodo peccatum unum causa alterius.

31. Modi, quibus peccatum unum est causa et poena alterius, a D. Chemnicio numerantur quatuor parte 1. Locorum pag. 636: *Primo, ut causa efficiens, per accidens scilicet, quando effundit fidem, gratiam et Spiritum sanctum. 2. Ut causa disponens, quia actus malus relinquit dispositionem inclinantem ad similes actiones. 3. Ut causa materialis, sicut gula est materia luxuriae, ebrietas ἀσωτίας. 4. Ut causa finalis, ut cum quis ad explendam vindictam committit homicidium.* Vide disp. superiorem de Providentia §. 140.

V. 15.

CAPUT X.

DE PECCATIS INTERIORIBUS ET EXTERIORIBUS; ITEM DE PECCATIS CORDIS, ORIS ET OPERIS.

Quaedam peccata interiora, quaedam exteriora.

32. Quintam et sextam divisionem conjungemus. Quaedam peccata sunt interiora, quaedam exteriora; quaedam sunt peccata cordis [ipsa scilicet interiora], quaedam oris, quaedam operis [puta exteriora]; Matth. 15, v. 19: *Ex corde exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae.* August. in enchirid. ad Laurent. c. 64: *Peccata activa corde, ore, opere committuntur.*
V. 16. Lactantius lib. 6. Instit. c. 13: *Nemo sine delicto esse potest, quamdiu indumento carnis oneratus est, cujus infirmitas triplici modo subjacet dominio peccati; factis, dictis, cogitationibus.* Greg. in 1. Reg. c. 13: *Cogitando vel loquendo vel faciendo omne peccatum committitur.* Bernh. in parv. serm. 30. col. 444: *Est vetustas in corde, in ore, in corpore: in quibus tribus modis peccavimus, cogitatione, locutione et opere. In corde sunt desideria carnalia et secularia, id est, amor carnis et amor seculi. Similiter in ore est gemina vetustas, arrogantia et derogatio. Item gemina in corpore, flagitia et facinora, haec omnia sunt imago veteris hominis.*

Peccata interiora duplicia.

33. Peccata exteriora quodammodo cognoscuntur etiam a non renatis, cum foeditatem suam ipsam conspicuam reddant; sed interiora cordis peccata sunt a cognitione hominis nondum renati remota et abscondita, nec nisi legis divinae luce manifesta fiunt. Sunt autem duplicia interiora peccata; quaedam sunt carnis suggestiones, ut pravae cogitationes ac primi concupiscentiae motus, quibus nondum accedit consensus et delectatio; quaedam vero sunt carnis delectationes, quando pravos illos concupiscentiae motus fovemus, eisque delectamur, quin et de perficiendis illis carnis desideriis cogitamus. Posterioris generis cogitationes esse peccata, itidem aliquo modo cognoscit ratio; sed prioris generis cogitationes, h. e. carnis suggestiones peccata esse, non nisi legis divinae luce et Spiritus sancti irradiatione cognosci potest; excutiemus igitur de eis quaestiones duas, primo, an desideria illa carnis ad originale, an vero ad actualia peccata sint referenda? Deinde an sint vere et proprie dicta peccata praesertim in renatis?

An suggestiones carnis ad originale an vero ad actualia peccata pertineant.

34. Priorem quaestionem accurate explicat D. Chemnicius p. 2. loc. c. 8. memb. 3. et 4. p. 630: *Observetur* (inquit) *cogitationes aliquando pertinere ad peccatum originale, ut cum tantum sunt suggestiones, aliquando ad peccatum actuale, quando scilicet significant deliberationem seu propositum, ut* 1. Cor. 13, v. 5: *caritas non cogitat malum (nam a malis cogitationibus originaliter loquendo non est libera).* Joh. 11, v. 53: *cogitaverunt interficere Christum* etc. *Concupiscentia est peccatum originale, fit autem peccatum actuale juxta Scripturam hoc modo:* Coloss. 3, v. 5: *vivere in concupiscentia mala.* Rom. 6, v. 12: *obedire desideriis.* 2. Tim. 3, v. 6: *agitari variis desideriis.* p. 633: *Quia originale peccatum definitur carentia justitiae originalis et pravo habitu sive vitiosa inclinatione virium hominis ad malum, rectissime potest ita tradi et intelligi haec differentia, quod quicquid praeter carentiam illam et habitum inclinantem est in homine, quod erumpat in actum aliquem pugnantem cum lege Dei, sive fiat hoc actus et operis debiti omissione sive actus et operis indebiti commissione, vocatur actuale peccatum. Veteres tradunt hos peccati gradus: 1. fomes sive depravatio inhaerens, quae complectitur etiam defectus 2. suggestiones cogitationum et affectuum, i. e. quando depravatio originalis movet se aliqua inclinatione; 3. delectatio; 4. consensus; 5. ipsum opus. Ex his gradibus primi*

V. 17. *duo pertinent ad originale, reliqui tres ad actuale peccatum.* Haec D. Chemnicius.

An suggestiones carnis ad originale, an vero ad actualia peccata pertineant.

35. Rectissime quidem contra Scholasticos, qui disputant, peccatum originale esse malum otiosum, fomitem quiescentem et torpidam qualitatem a D. Luthero assert. 3. et D. Chemnicio haec ita disseruntur, interim tamen cum inclinationes illae stricte loquendo sint actiones, praesertim vero cum apostolus Rom. 7, v. 8. diserte testetur, *ἁμαρτίαν ἐνοικοῦσαν κατεργάζεσθαι πᾶσαν ἐπιθυμίαν, operari omnem concupiscentiam*, non erit absurdum, quin nec a D. Lutheri et D. Chemnicii sententia alienum, etiam hos primos concupiscentiae motus quodammodo ad actualia peccata referre. Attendantur igitur sequentia theoremata. 1. In adultis ita cohaerent peccatum originale et actualia, ut non facile sit homini contentioso ostendere punctum (ut ita loquar) mathematicum, in quo distinguantur. 2. Malum originale non est res otiosa vel torpida qualitas. 3. Sed in malo originali semper sunt actualia peccata, cum fomes sit res viva et perpetuo movens. 4. Originale peccatum est tanquam causa, actuale tanquam effectus. Haec omnia totidem verbis Chemnicius. Quare cum pravi concupiscentiae motus sint proprium, perpetuum et inseparabile originalis peccati effectum per emanationem ab eo profluens, ideo *καθ' ἡμᾶς* ad originale peccatum referuntur, cum tamen *κατ' ἀκρίβειαν* logicam ad actualia peccata pertineant, quippe quorum definitio eis proprie competit. Lomb. 2. sent. dist. 30. lit. G.: *Originale peccatum, cum non sit actuale, non est actus sive motus animae vel corporis. Si enim actus est animae vel corporis, actuale utique peccatum est; sed actuale non est, non est ergo actus vel motus.* lit. H. ex August. serm. 45. de tem.: *Concupiscentia vitium est, quod parvulum habilem concupiscere facit, adultum etiam concupiscentem reddit.* Dicamus ergo, quod pravae concupiscentiae motus respectu mentis (regeneratae) sint passiones, unde dicuntur *παθήματα;* respectu carnis actiones, unde dicuntur *ἐπιθυμίαι*, Gal. 5, v. 24.

CAPUT XI.

DE CONCUPISCENTIA IN RENATIS AN SIT PECCATUM.

An concupiscentia prava in renatis sit peccatum.

36. Posterior quaestio majoris est momenti et proinde diligenti examine digna, *an scilicet primi illi pravae concupiscentiae motus sint coram Deo vere et proprie peccata, etiamsi consensus et deliberatio mentis eis nondum accedat?* Observa concupiscentiam sumi tripliciter: 1. Pro facultate concupiscibili, quae est potentia naturalis per se bona, qua primus homo in statu innocentiae etiam instructus fuit. 2. Pro concupiscentiae *ἐνεργείᾳ* bona et ordinata, qualis est appetitus cibi in famelico, bonitatem aestimo ratione objecti, ordinationem respectu modi. 3. Pro concupiscentia mala, idque iterum tripliciter. 1. Pro ipsa habitualiter inhaerente concupiscentia, qualis est post lapsum. 2. Pro primis ejus motibus et actibus, quibus nondum accedit plenus consensus. 3. Pro malis concupiscentiae fructibus, quos per consensum rationis parit. Removeantur ergo prius cognatae quaestiones. 1. Non quaeritur, an concupiscentia illa sit peccatum, cui accedit consensus, delectatio et prosecutio ejus rei, ad quam pravi motus inclinant; eam enim peccatum esse concedunt Pontificii (licet addant minus recte, esse ex sua natura peccatum veniale.) 2. Nec quaeritur, an pravi illi concupiscentiae motus fuerint actu secundo in homine ante lapsum; id enim itidem nobiscum negant. 3. Nec quaeritur, an rebellio illa carnis contra Spiritum sit poena originalis peccati; id enim itidem concedunt Pontificii. 4. Nec quaeritur, an illae peccati originalis reliquiae et poenae, V. 18.
videlicet ignorantia, difficultas, propensio ad malum, prava concupiscentia, possint dici vulnera naturae et materiale peccati, languor naturae et fomes peccati; id enim itidem asserunt Pontificii. 5. Nec quaeritur, an primi illi concupiscentiae motus, quibus nondum accedit consensus, reddant actu homines renatos coram Deo reos irae et mortis aeternae, id enim diserte negamus ac cum apostolo dicimus, *nullam esse damnationem in his, qui sunt in Christo* Rom. 8, v. 1. Tota ergo quaestio in eo versatur, an illa concupiscentia, quae in renatis post baptismum reliqua, h. e. an concupiscentia habitualiter inhaerens ut et primi ejus motus sint ex se et sua natura remoto gratiae umbraculo peccatum, h. e. quoddam malum culpae pugnans cum lege divina, etiamsi ex accidenti, videlicet propter Christum non imputetur renatis, hoc est, non constituat eos actu reos coram Deo et morti aeternae obnoxios? Affirmamus nos, negant Pontificii.

Argumenta partis affirmantis.

37. Affirmantem quaestionis partem demonstramus his argumentis, quorum priorem classem depromemus ex 6. 7. et 8. c. Rom. 1. Quicquid Scriptura in propria sede hujus articuli vocat peccatum, illud est vere et proprie dictum peccatum. Atqui Scriptura concupiscentiam in propria sede hujus articuli vocat peccatum. Ergo est vere et proprie dictum peccatum. Major est evidens, quia in articulis fidei *τὸ ῥητὸν* arcte tenendum, praesertim in propria ipsorum sede, ut ostendimus in tract. de interp. Scripturae. Bellarm. lib. 1. de Sac. Euchar. c. 9. col. 489: *Dogmata praecipua non nisi propriis verbis tradi solent in divinis literis; tropi enim locum habent vel in prophetiis ad rem obscurandam, vel in laudationibus ad rem ornandam, vel denique in cohortationibus ad rem amplificandam, non autem in dogmatibus, quae praecise credi aut servari debent.* col. 492: *Communis regula explicandae Scripturae haec est, ut nunquam dimittamus proprium verborum sensum, nisi cogamur ab aliqua alia Scriptura vel ab aliquo articulo fidei, aut certe a communi totius ecclesiae explicatione; alio-*

1. Concupiscentia vocatur peccatum.

qui enim peribit fides, et remanebit sola opinio de rebus divinis, et aperietur porta infinitis erroribus. c. 12. col. 524: *Sensus proprius et literalis semper est eligendus, nisi evidenter probetur contrarium. Neque debent a nobis petere adversarii, cur sequamur proprium verborum sensum; simile enim id esset, ac si quis peteret ab iis, qui sunt in itinere, cur sequantur viam communem et tritam; nemo enim sanus id quaerit, vel cur ingrediamur per portam, non fenestram.* Haec omnia Bellarminus.

38. Minor propositio itidem certa. Apostolus enim Rom. 6. 7. 8. non semel, sed aliquoties concupiscentiam carnis vocat peccatum. Rom. 6, v. 2: *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* v. 6: *vetus noster homo crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato?* v. 7: *Qui mortuus est, justificatus est a peccato.* v. 11: *existimate vos mortuos peccato.* v. 12: *non regnet peccatum in corpore vestro, ut obediatis concupiscentiis ejus.* v. 13: *nec exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato.* v. 14: *peccatum vobis non dominabitur.* v. 16: *servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem,* etc. v. 17: *fuistis servi peccati.* v. 18: *liberati a peccato.* v. 19: *exhibuistis membra servire ἀνομίᾳ εἰς ἀνομίαν* etc. Rom. 7, v. 5: *passiones peccatorum operabantur in membris.* v. 7: *peccatum non cognovi, nisi per legem.* v. 8: *sine lege peccatum erat mortuum.* v. 9: *cum venisset mandatum, peccatum revixit.* v. 11: *peccatum seduxit me.* v. 13: *peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, ut fiat supra modum peccans per peccatum.* v. 14: *ego venundatus sub peccatum.* v. 17. et 20: *quod habitat in me peccatum.* v. 23: *lex peccati in membris.* v. 25: *carne servio legi peccati.* Rom. 8, v. 2: *lex Spiritus liberavit me a lege peccati.* v. 3: *damnavit peccatum in carne.* v. 10: *corpus mortuum est propter peccatum.* Ribera Jesuit. comment. in Hebr. 12: *Concupiscentiam carnis*
v. 19. *adversus Spiritum apostolus saepe solet appellare peccatum.* Bellarminus libr. 5. de amiss. grat. et stat. peccati c. 5. col. 367: *Apostolus* Rom. 6, v. 7. *concupiscentiam carnis, quam in se quoque ipse, quamvis justificatus et sanctus, experiebatur, peccatum frequenter appellat.* Firma igitur stabit conclusio, concupiscentiam esse vere et proprie dictum peccatum. Tannerus Jes. exam. relat. Hunn. c. 13. §. sed quia: *Sceleratum est, modum loquendi et quoad rem ipsam verum et per se Scripturas imitantem tanquam blasphemum et inauditum portentum traducere.*

Exceptiones Bellarm.

39. Excipit Bellarminus lib. 5. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 10: *Tum in sexto, tum in septimo capite saepius concupiscentiam appellari peccatum, sed improprie, per figuram metonymiae, quod sit causa peccati, si ei obediatur.* Respondemus: repetimus regulam superius traditam, non licere in articulis fidei discedere a proprietate verborum, nisi ipsa Scriptura ostendat improprietatem, eamque ipsamet exponat. Proferat igitur Bellarminus causas satis urgentes, quae nos cogant a verborum proprietate hic recedere, praesertim cum tot distinctis vicibus apostolus concupiscentiam appellet peccatum et nuspiam addat, metonymice ita vocari. 1. *Apostolus* (ait Bellarminus) *non addidit esse proprie peccatum.* Respondemus: imo vero, quia non addidit esse metonymice peccatum, relinquitur esse proprie dictum peccatum. Nativa verborum significatio tamdiu locum habet, donec per tropos ad aliam transferatur. Pelagiani ad omnia loca, quae ipsis opponuntur, pari ratione possent respondere, nuspiam addi, quod proprie ea sint intelligenda: recognoscat Bellarminus sua verba paulo ante producta. 2. *Colligitur evidenter ex Scripturis metonymica peccati in h. l. significatio; Scripturae enim testantur, vocem* peccati *esse ambiguam et nunc accipi pro culpa, nunc pro poena, quae est culpae effectus, nunc etiam pro causa peccati, nunc denique pro sacrificio, quod est peccati expiatio.* Respondemus: non sufficit ostendere ambiguitatem alicujus vocabuli; sed ostendendum est in eo ipso loco metonymice, non autem proprie usurpari, ut docuimus in Tract. de Interp. Script.; ex ipsis ergo apostolici contextus visceribus demonstrandum erat, metonymicam significationem exclusa propria hic *debere* nos sequi. Repetat Bellarminus sua verba ex 1. de Sacram. Euch. c. 11, col. 518: *Non negamus in verbo calix* (in verbis coenae) *esse tropum, sed tropum ibidem clarissime explicatum, quod de tropo, qui constituitur in voce* corpus, *dici non potest.* 3. *Scriptura docet peccata proprie dicta vere tolli in justificatione, nec minus constat, concupiscentiam in justificatione non tolli. Ergo loca Scripturae, quae concupiscentiam vocant peccatum, improprie exponenda esse ex ipsis Scripturis constat.* Respondemus: error cumulatur errore. Peccata in baptismo ac justificatione ita tolluntur, non ut penitus non sint, sed ut non imputentur. Christus tollit peccatum originale, at num id propterea ex omnibus actu penitus sublatum? Anabaptisticum hoc est. Plura hac de re suo loco. 4. *Testatur apostolus hoc peccatum esse in corpore, non in mente.* Rom. 6, v. 12: *Peccatum non regnet in mortali vestro corpore.* Rom. 7, v. 18: *non habitat in me,* hoc est, *in carne mea bonum. Jam vero peccatum proprie dictum non potest esse in corpore, sed in mente; ibi enim est injustitia, ubi potest habere locum justitia, quis vero justitiam ponet in membris carnis? Ergo aperte significat apostolus, concupiscentiam non proprie, sed figurate esse peccatum.* Respondemus: nomine carnis apostolus hoc loco non intelligit tantum corpus, vel sensitivum appetitum, vel inferiorem (quam ita vocant) animae partem, sed sese totum, quatenus adhuc sub vetustate carnis est constitutus, vel ut ipse loquitur, *carnalis et sub peccatum venundatus* Rom. 7, v. 14, quod ipsum suo loco uberius confirmabimus. Repetat Bellarminus sua verba ex lib. 5. de amiss. gratiae et stat. pecc. c. 15: *Vitium concupiscentiae potissimum residet in carne, hoc est, in parte ho-*

minis inferiore, quae potissimum sensualiter dicitur, ut docuimus ex apostolo Rom. 7; *ceterum negandum non est, etiam in parte superiore simile*
V. 20. *vitium inveniri; nam ea quoque pars prona est ad concupiscendos honores, inanem gloriam* etc.; *quocirca apostolus* Gal. 5. *inter opera carnis refert etiam haereses, idololatriam.* Haec Bellarminus.

40. Argumento huic primo robur addimus tale. Quicquid Scriptura ipsa proprie accipiendum esse docet, illud utique in propria significatione acceptandum erit. At Scriptura ipsa docet concupiscentiam proprie peccatum dici. Ergo peccati nomen in propria significatione hic acceptandum. Major extra omnem dubitationis aleam posita. Minorem sic confirmamus. Apostolus concupiscentiam vocat aliquid *non bonum,* Rom. 7, v. 15. sed *malum,* v. 15. ac illud malum describit tum privative, *perficere bonum non invenio.* v. 18. tum positive, *quod odio malum, illud ago,* v. 19; ubi appellat *tale malum, quod odio dignum, quod crucifigendum* Rom. 6, v. 6. *mortificandum ac destruendum,* ibid. *quod nos coram Deo miseros reddit* Rom. 7, v. 24. et *a quo liberari quisque prius seriis gemitibus orat.* Rom. 7, v. 25. Excipit Bellarminus, *concupiscentiam, etsi non sit proprie peccatum, tamen esse corruptionem quandam incitantem ad malum, ideoque dici non bonum, sed malum, tum privativum, tum positivum.* Respondemus: concupiscentia non est tantum malum poenae, sed etiam malum culpae. Omne malum, quod Dei et piorum odio dignum, quod destruendum ac mortificandum, quod coram Deo nos miseros in vita spirituali reddit, est malum culpae. At concupiscentia est tale malum. Ergo est malum non tantum poenae, sed etiam culpae. Major est evidens; omne enim malum poenae, qua tale et quod simpliciter tale, est a Deo, ac proinde non odio Dei vel piorum dignum.

1. Concupiscentiae competit definitio peccati.

41. Argum. II. Cui propria definitio peccati competit, illud proprie peccatum est: εὔδηλον. Atqui concupiscentiae competit propria peccati definitio. Ergo concupiscentia proprie est peccatum. Minorem confirmo, ἡ ἁμαρτία ἐστιν ἡ ἀνομία 1. Joh. 3, v. 4. Concupiscentia est ἀνομία Rom. 7, v. 7. *concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces.* Ergo est peccatum. Ne existimes, syllogismum hunc in secunda figura affirmatum nihil concludere, observa majorem esse reciprocam, cum sit definitio essentialis; omne peccatum est ἀνομία, et omnis ἀνομία est peccatum. Excipit Bellarminus *concupiscentiam hic non accipi pro fomite, sed pro actu voluntario concupiscendi, quod probatum ex contextu apostolico; cum enim apostolus dixisset, legem non esse peccatum, i. e. causam peccati, sed esse causam cognitionis peccati, probavit ex eo, quod non cognoscebant homines actus interiores, ut desiderium uxoris vel rei alienae esse peccata, nisi lex dixisset, non concupisces; tum ex loco evangelii,* Matth. 5, v. 28: *Qui aspicit mulierem ad concupiscendum eam, jamdum moechatus est cum ea in corde suo, quod Christus dixit contra Pharisaeos qui docebant, interna flagitia non esse peccata, ut patet ex Josepho* 12. antiq. c. 13. *et R. D. Kimchi* in Psalm. 66, v. 17, *quo refert Bellarminus emphasin verborum, moechatus est in corde suo, et ex illis colligit, non carnis, sed cordis concupiscentiam in lege esse prohibitam.* Respondemus: 1. in decalogo non tantum voluntarium concupiscendi actum, sed etiam primos vitiosae concupiscentiae motus prohiberi, suo loco ostendemus. 2. Illam concupiscentiam lege prohiberi hoc loco asserit apostolus, quam non poterat nisi ex lege pro peccato agnoscere; jam vero voluntarium concupiscendi actum esse peccatum, utique ex naturae lumine absque collustratione legis agnosci potest, et saniores ethnici id agnoverunt, quod ex scriptoribus ethnicis, praesertim Platone, Aristotele et Seneca conspicuum. *3. Judaei homines valde literales et crassi non intelligebant mentalem moechiam, homicidium et furtum etiam cum consensu rationis conjunctum esse peccatum,* scribit Staplet. in Antidot. Rom. 7, p. 364. *magni peccatores absque prohibente lege nesciunt voluntarios illos concupiscentiae motus esse peccata,* scribit idem p. 362. Atqui apostolus Paulus etiam ante suam ad Christum conversionem non erat adeo literalis et crassus nec tantus peccator, ut voluntaria illa interiora delicta agnosceret esse peccata, Phil. 3, v. 6: *secundum justitiam, quae in* V. 21.
lege est, conversatus sine querella. 2. Tim. 1, v. 3: *servio DEO a progenitoribus in conscientia pura.* Actor. 23, v. 1: *Omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernum diem.* Stapl. in Antid. p. 369: *Apostolus conversatus est in omni boni conscientia coram DEO,* ergo veram coram Deo, non externam tantum justitiam coluit; p. 370. qui in omni conscientia bona conversatur ante Deum, ejus intima cordis pravitate non scatent, sed plane pura sunt. 4. Illam concupiscentiam esse peccatum et lege prohiberi, asserit hoc loco apostolus, de qua v. 15. pronuntiat, quod eam non velit, sed odio prosequatur. v. 17. quod ipse eam non operetur, id est, quod non delectetur ea, ac pleno et deliberato consensu eam operetur. v. 18. quae in carne habitat, v. 23. quae repugnat legi mentis et captivat hominem lege peccati, quae est in membris. Atqui haec omnia non deliberatis, sed primis concupiscentiae motibus conveniunt. 5. Et quam frequentes aequivocationes in voce peccati et concupiscentiae constituentur, si locum habeat Bellarmini explicatio? ad quod frigide respondetur, aequivocationes non obscurare, sed ornare sententiam; id enim tum demum de aequivocationibus dici potest, si in laudationibus ad rem ornandam vel in cohortationibus ad rem amplificandam adhibeantur; sed ad dogmatum tractationem ineptae sunt aequivocationes, nisi prius explicentur. 6. Non de aliis hominibus, sed de ipso apostolus pronuntiat, quod concupiscentiam peccatum esse non cognoverit, nisi per legem; contrarium ergo inde colligitur, videlicet non de voluntario concupiscendi

actu (quem in peccatorum numero habendum esse non ignoravit apostolus), sed de primis pravae concupiscentiae motibus hoc loco agi. 7. Christus legem divinam a Pharisaicis corruptelis Matth. 5. purgans ostendit, non tantum deliberatae concupiscentiae desideria, sed etiam primos ejus motus lege prohiberi. v. 22. *quisquis irascitur fratri suo temere, obnoxius erit judicio;* ubi nomine irae comprehendit omnes interiores motus in mente, voluntate et corde non congruentes cum norma quinti praecepti. v. 28. ostendit, sexto praecepto prohiberi omnem concupiscentiam veneream in mente, corde et voluntate, in sensibus, in nutibus, gestibus, sermone etc. expresse nominat cor, visum et concupiscentiam, sub quibus reliqua comprehendit Hebraica synecdoche, quia in quinto praecepto illos gradus nominatim exposuerat. Praepositio πρός non limitat concupiscentiam cordis ad voluntarium actum, sed indicat talem intelligi aspectum, unde cor interius titillatur et libidine accenditur, vel quando cor libidine aestuans oculis se prodit et quaerit concupiscentiam oculorum, ut inde libido cordis pascatur et magis inflammetur, perinde ut 1. Joh. 2, v. 16. concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum conjunguntur. 8. Falsum igitur est et ἀσύστατον, quod Bellarminus dicit, *non carnis, sed cordis concupiscentiam in lege prohiberi;* quia Scriptura cordis nomine intelligit omnes animae potentias, et nomine carnis intelligit totum hominem sub vetustate carnis adhuc constitutum; ideoque et carnis et cordis concupiscentiam lex accusat, quod plenius ex sequentibus intelligetur, quando demonstrabimus, quod cum lege DEI, *non concupisces,* etiam primi concupiscentiae motus vere pugnent; hac vice Bellarmini vestigia sequemur et argumenta ex 6. 7. et 8. capp. Rom. deducta ab ipsius corruptelis vindicare pergemus.

Argumenta ex epist. ad Romanos.

42. Argum. III. Illam concupiscentiam peccatum esse et lege prohiberi apostolus asserit, per quam et propter quam adhuc *erat carnalis et* contra suam voluntatem *sub peccatum venundatus,* Rom. 7, v. 14. Atqui illa est concupiscentia carnis, per quam nondum accedente voluntatis consensu, imo contra voluntatem homo peccator constituitur, quod patet ex v. 15: *quod odi, illud facio.* v. 16: *quod nolo, illud facio.* v. 19: *non quod volo,* bonum *hoc facio.* Ergo etiam concupiscentia carnis, hoc est, primi concupiscentiae motus, si vel maxime non accedat consensus, sunt peccata et lege DEI prohibentur. Bellarminus regerit: *1. quosdam ex veteribus statuere,* V. 22. *quod apostolus loquatur non de se ipso et aliis regeneratis, sed in persona impiorum, qui ab ipso peccati fomite in varia flagitia pertrahuntur, interim tamen rationis lumine ea quodammodo agnoscunt ac detestantur.* At hoc nimis dilutum, verba et circumstantiae textus evidenter refellunt istam expositionem, quam Augustinus contra Pelagianos scribens jampridem improbavit et a se primo usurpatam postea retractavit. Staplet. in Antid. ad hunc locum: *Ego carnalis sum, ait in sua et hominis regenerati persona apostolus.* Quin et ipse Bellarminus ei non multum tribuit, praefert enim posteriorem. Aliter igitur excipit. *2. Legem non servari a justificatis, quantum ad finem, hoc est, quantum ad perfectionem, quae est finis praecepti, ac propterea proprie non est in praecepto, licet interim optime servetur, quatenus opus est ad vitandum peccatum.* Staplet. in Antid. ad v. 16. hoc ita proponit: *Primum concupiscentiae motum lex prohibet, non per modum obligationis, sed per modum doctrinae, quia hic est finis et perfectio legis, ut omni concupiscentia prava careamus, quod non impletur in hac vita, sed in altera.*

An lex quaedam prohibeat tantum per modum doctrinae.

43. Mirifica haec est distinctio et ipsi subjecto distinguendo repugnans, legis enim genuina et propria natura est, non tantum docere, quid sit bonum, sed etiam ad bonum obligare; non docere tantum quid sit peccatum, sed etiam illud prohibere, audiamus ergo, quibus coloribus eam pingat Bellarminus. *Sciendum est, inquit, in praeceptis interdum significari solum media ad aliquem finem, ut cum dicitur, pugna contra hostes, fac medicinam aegroto. Haec enim sunt media, illud ad victoriam, hoc ad sanitatem: interdum autem significari simul finem et media, ut si quis dicat, vince hostes, sana aegrotum. Hic enim non simul imperantur pugna et curatio, quae sunt media, sed etiam indicatur finis, victoria et sanitas. Caeterum obligatio praecepti proprie in mediis, quae imperantur, consistit, non in fine; et praevaricator est, qui media negligit, non qui finem non assequitur. Neque enim peccat, cui dicitur, vince hostes, si non vincat, modo viriliter pugnet, neque is peccat, cui dictum est, sana aegrotum, etiamsi sanare non possit, modo curet apposite ad sanandum; finis enim in praecepto indicari potest, imperari non potest. Praeceptum igitur: Non concupisces, ejus generis est, ut simul media et finem comprehendat. Media sunt, resistere concupiscentiis, eisque nunquam assentiri, nunquam cedere: atque haec ita obligant, ut qui non fecerit, continuo reus exsistat: finis est, funditus concupiscentias exstirpare atque id efficere, ut nullus in carne motus oriatur contra rationem; hunc autem finem lex proponit, ut intelligamus, quo sit nobis Deo juvante tendendum, non ut rei simus, si id non faciamus, quod facere in potestate nostra non est, et quod ad felicitatem futurae vitae, non ad obligationem praesentis pertinet. Sic eim s. Augustinus docet* in epist. 200. ad Asellicum: *Hoc,* inquit, *lex posuit dicendo, non concupisces, non quod hic valeamus, sed ad quod proficiendo tendamus.* Et lib. 1. de nupt. et concup. c. 29: *Multum boni facit, qui facit quod scriptum est, post concupiscentias tuas non eas; sed non perficit, quia non implet, quod scriptum est, non cancupisces. Ad hoc ergo dicit lex, non concupisces, ut nos in hoc morbo jacere intelligentes medicinam gratiae quaereremus et in eo praecepto sciremus, et quo debeamus in hac mortalitate conari, et quo possit a nobis illa beatissima immartalitate perveniri.* His praemissis subjungit Bellarminus talem dicti apost-

lici paraphrasin: *Lex spiritualis est, hoc est, spirituales omnino requirit, ut perfecte etiam quoad finem servetur; ego vero carnalis sum, hoc est nondum sum totus spiritualis, qualis ero post resurrectionem; venundatus sub peccato, hoc est, redemtionem corporis adhuc exspectans. Sic ergo apostolus legem spiritualem, non concupisces, non omnino perficiebat, qua parte adhuc carnalis erat, nec tamen peccabat, cum lex non obliget ad non sentiendos carnis motus, sed ad non consentiendum eis.*

44. Hanc ipsam distinctionem repetit Bellarminus
V. 23. libr. 2. de Monach. c. 13. col. 474, ut obtinere
possit, legem in hac vita perfecte impleri posse; sed respondemus confictae huic distinctioni sequentibus membris. 1. Bellarminus sibi ipsi repugnat. Si cordis tantum, hoc est, voluntaria, non autem carnis concupiscentia in lege, Non concupisces, est prohibita, (quod in responsione ad argumentum nostrum secundum asseruit Bellarminus) cur hoc loco disputat, etiam primos concupiscentiae motus, hoc est, ipsam carnis concupiscentiam lege prohiberi? 2. ἀσύστατον est dicere, quod lex quaedam prohibeat per modum obligationis, quaedam vero tantum per modum doctrinae; omnis enim prohibitio est obligatio; quicquid ergo lex prohibet, per modum obligationis prohibet: lex ideo docet, ut quid faciendum fugiendumve sit, manifestet, ac proinde non contenta est nuda γνώσει, sed requirit etiam πρᾶξιν; legis formale consistit in obligatione, cum sua natura sit quaedam norma, mensura atque regula; quicquid ergo docet, ad illud etiam obligat; 3. nec solum ad media, sed ad ipsum finem lex obligat, quocunque modo finis legis accipiatur. Internus finis legis est perfecta ac omnibus numeris absoluta rectitudo, justitia et cum Deo archetypo conformitas. 1. Timoth. 1, v. 5: *finis praecepti est caritas de corde puro, conscientia bona et fide non ficta.* Ad hunc finem utique lex obligat, quia omnia legis mandata ἀνακεφαλαιοῦται in mandato de dilectione. Rom. 13, v. 8: *Qui proximum diligit, legem implevit.* v. 9: *Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non dices falsum testimonium, non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo ἀνακεφαλαιοῦται,* velut sub unum caput redigitur: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Matth. 22, v. 37: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.* v. 38: *hoc est maximum et primum mandatum.* v. 39: *secundum autem est simile huic, diliges proximum tuum sicut te ipsum.* v. 40: *in his duobus mandatis universa lex pendet et prophetae.* Si ad hunc internum finem lex non obligaret, nullo modo obligaret, cum omnia reliqua, ad quae obligat, in hoc uno de caritate mandato comprehendantur. Finis legis externus est consecutio vitae aeternae, ad illam itidem lex obligat; ideo enim perfectam obedientiam ab homine requirit, ut per illam consequatur vitam aeternam; obligando igitur ad perfectam obedientiam, etiam ad vitam aeternam obligat. Matth. 19, v. 17: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Luc. 10, v. 25. Legisperito quaerenti, *quid faciendo vitam aeternam consequi possit,* respondet Christus v. 26: *In lege quid scriptum est? quomodo legis?* v. 27: mandatum dilectionis ἀναγινώσκοντι respondet v. 28: *Hoc fac et vives.* Proprie igitur loquendo vitam aeternam lex promittit, ad consecutionem vitae aeternae obligat. 4. Quare cum mandatum de non concupiscendo ad internum legis finem pertineat, utique ad ipsum non concupiscere lex obligat; ἄτερ γραφῆς asseritur τὸ non concupiscere pertinere tantum ad finem, quem lex monstrat, et non ad media, ad quae lex obligat, cum pertineat ad perfectam illam justitiam, quam lex requirit. 5. Cujus loci est observatio illa, quod apostolus mandatum de non-concupiscendo uno eodemque censu habet cum mandatis de non-moechando, de non-occidendo Roman. 13, v. 9; ut ergo lex obligat ad non-moechandum, ad non occidendum; ita quoque obligabit ad non-concupiscendum. Atqui obligat ad non-moechandum, ad non-occidendum etc. tanquam ad media consequendi vitam aeternam. Ergo eodem modo obligabit ad non-concupiscendum. Omnibus Dei praeceptis additur generalis ista clausula. *Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis.* Deuter. 27, v. 26. Gal. 3, v. 10; quicquid ergo in lege scriptum, sub poena aeternae maledictionis nos obligat. 6. Similia, quae Bellarminus affert de milite, qui obligatur tantum ad strenue pugnandum, non ad vincendum: de medico, qui obligatur ad apposite curandum, non ad sanandum, sunt dissimilia et ab hoc loco aliena. In nullius militis viribus unquam fuit ita pugnare, ut semper vincat; in nullius medici viribus unquam fuit, ita curare, ut semper sanet; atqui lex data est homini ante lapsum perfectis viribus instructo, per quas potuit perfectam illam obedientiam praestare, ut nec
primos concupiscentiae motus sentiret. Invertimus V. 24.
ergo similia ista hoc modo. Quaemadmodum miles, in cujus viribus est vincere, obligatur, ut non solum strenue pugnet, sed etiam vincat; medicus, in cujus viribus est sanare, obligatur, ut non solum apposite curet, sed etiam sanet; ita primus homo per legem obligatus fuit, non solum ut post concupiscentias suas non iret, sed etiam ut non concupisceret. Eadem obligatio adhuc durat; quamvis enim illae vires per lapsum sint amissae, tamen legis obligationi inde nihil decedit, quod declarari potest exemplo debitoris, qui propria culpa ad extremam paupertatis lineam redactus solvendo non est, nihilo tamen minus ad solvendum obligatur; quo pertinet dictum Thomae Aquin. thesi 26. allatum, quod pronuntiatum istud (nemo peccat in eo, quod vitare non potest) cum hac limitatione sit accipiendum; si illam impossibilitatem non inciderit sua culpa, perinde ut quis sponte in foveam se praecipitat, ex qua suis emergere viribus nequit. 7. Augustini dicta nondum illud probant, quod ex eis Bellarminus exsculpere voluit. Augustinus dicit, *nos non posse illam legem*

de non-concupiscendo in hac vita implere; Bellarminus vult ex illis demonstrare, *nos non teneri,* ut praeceptum illud impleamus, quae certe non sunt *ἰσοδυναμοῦντα.* Augustinus dicit, in vita aeterna olim perfecte legem illam a nobis inplendam, nuspiam autem addit, in hac vita nos ad eam non obligari; imo vero quia August. dicit, ex lege morbum nostrum cognosci et ad quaerendum animae medicum nos ablegari, utique praesupponit, legis istius obligatione nos teneri; ita enim scribit Epist. 200. ad Asellicum: *Utilitas legis est, ut hominem de sua infirmitate convincat et gratiae medicinam, quae in Christo est, implorare compellat.* lib. 1. de nupt. et concup. c. 29. dicit, *multum boni a renatis fieri, interim tamen legem ab eis non perfici, hoc est, perfecte impleri; quod nulla sophistica everti poterit.*

45. Sed enim ne in concedendo nimis largus videatur Bellarminus, postquam late disputaverat, etiam primos concupiscentiae motus aliquo modo lege Dei prohiberi, subjungit: *probabile etiam esse, quod alii docent, praecepto Non concupisces, non prohiberi ullo modo motus involuntarios, sed assensum tantum.* Vides hominum illorum intemperiem, omnia fingunt et pingunt pro arbitrio, ne genuina Scripturae sententia agnoscatur; modo concesserat primos concupiscentiae motus lege Dei prohiberi, mox audies id non solum negantem, sed etiam argumentis evertentem, *κεῖται οὐ κεῖται.* Quomodo vero probat, tantum voluntariam et cum assensu conjunctam pravam concupiscentiam lege Dei prohiberi? *1. Ab apostolo vocatur haec lex mentis* Rom. 7, v. 23, *quia non carni, sed menti data est.* Respondemus: lex mentis intelligitur propensio hominis per Spiritum renati ad perfectam obedientiam legi praestandam, ut suo loco ostendemus; falsum est, non carni, sed menti tantum datam legem, imo vero toti homini lex data est, perinde ut originalis justitia omnium virium rectitudo erat. *2. Omnia decalogi praecepta intelliguntur de actionibus liberis planeque voluntariis. Ergo et hoc praeceptum de non-concupiscendo.* Respondemus: et antecedens falsum et ipsa connexio. Illud, quia Christus Matth. 5. praeceptum de non-occidendo ita interpretatur, ut ostendat etiam primos ad iram motus eo prohiberi; hoc, quia quod *κατὰ ῥητὸν* verborum in reliquis praeceptis obscurius, id in ultimo praecepto de non-concupiscendo redditur manifestius, qua de re alibi plura.

46. Argum. IV. Mens D. Pauli per Spiritum renata et lex Dei idem volebant. Rom. 7, v. 16. Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi, quoniam bona est. Atqui mens D. apostoli nolebat sentire motus concupiscentiae. Ergo etiam legi DEI motus illi repugnabant. Unde Augustin. serm. 5. de verb. apost.: *Quid dicis, o lex? non concupisces, et ego nolo concupiscere, non implet legem infirmitas mea, sed legem laudat voluntas mea.* Bellarminus hic lubricus est, *1. repetit suam distinctionem inter prohibitionem finis et mediorum,* quam excussimus superius; *2. dicit consensum D. apostoli cum lege in eo consistere, non quod rem eandem velint aut nolint Paulus et lex, sed quod Paulus velit aut nolit id, quod lex jubet eum velle, hoc est, concupiscentiis resistere.* Respondemus: non V. 25.
solum hoc requirit lex, ut concupiscentiis resistatur, sed etiam, ut non concupiscatur; utrumque vult apostolus per Spiritum sanctum regeneratus, sed quia adhuc ex parte sub vetustate carnis constitutus, ideo quod non vult nec approbat, illud nihilominus facit, hoc est, carnis concupiscentias sentit. *3. Facilius dici asserit, et apostoli mentem et legem nolle concupiscentiam ut objectum, interim apostolum concupiscendo legem non transgredi, cum non voluntarie concupiscat, perinde ut caedes involuntaria non est contra legem.* Respondemus: si illud solum, quod actu voluntarium, est transgressio legis, tollentur omnia ignorantiae et infirmitatis peccata; si illud solum, quod actu voluntarium, est peccatum, negabitur in universum originale peccatum. De caede involuntaria dicetur suo loco. Adde, quod hae Bellarmini solutiones sese invicem evertant. Si enim primi concupiscentiae motus etiam involuntarii lege prohibentur, non potest consensus ille legis et mentis constitui *ἐν τῷ* resistere concupiscentiis, et sic responsio secunda tollit primam; vicissim, si mens apostoli et lex Dei nolunt concupiscentiam ut objectum, utique rem eandem nolunt, et sic responsio tertia evertit secundam.

47. Argum. V. Conqueritur apostolus volenti sibi bonum facere malum adjacere, Rom. 7, v. 21; utique ergo concupiscentia est tale malum, quod perfectam legis impletionem excludit, et per consequens est peccatum. Bellarminus primo *conqueritur de obscuritate hujus loci, postea addit, sensum hunc esse: invenio legem bonum quoddam esse mihi volenti facere, id est, volenti bene operari et secundum legem vivere, ideo autem invenio legem esse quoddam bonum, quia malum concupiscentiae mihi adjacet, dum enim ab una parte malum adjacens incitat ad peccatum, ab altera lex Domini retrahit a peccato, itaque non posse* (ait) *ex hoc loco effici, quod lex servari non possit, aut quod concupiscentia involuntaria peccatum sit.* Respondemus: quidam verba *invenio legem* sejungunt a sequentibus, eorumque talem reddunt paraphrasin; sic mecum comparatum est, ita ut lex per conditionem accipiatur. Alii ita explicant: comperior volenti mihi facere bonum, hanc legem (scilicet impositam esse), quod mihi malum adjaceat. Ambrosius: *Legem Moysis asserit voluntati suae dare consensum contra peccatum, quod in carne habitat,* quam explicationem sequitur August. lib. 1. contra duas epistolas Pelagian. c. 10. Theophylactus ita reddit: *Invenio legem faventem volenti mihi, quod bonum est facere, sed non facienti, quoniam adjacet mihi malum.* Erasmus *τὸ ὅτι* accipit *εἰδικῶς* hoc sensu: *Dum conor parere legi bonae, et vincente cupiditate pertrahor ad malum, sentio malum illud in me esse, non in lege.* Quicquid sit, illud malum,

de quo apostolus conqueritur, quod sibi adhaereat, dubitari non potest, quin sit concupiscentia, quae cum volenti facere bonum adhaereat et in perfecta boni impletione eum impediat, utique peccatum erit. Nervum argumenti constituimus in illa boni ac mali oppositione. Bellarminus per malum adjacens intelligit malum poenae, sed oppositio boni et mali evidenter ostendit malum culpae hic intelligendum esse. Vocabulum *legis* accipimus de lege peccati in membris haerente juxta expositionem v. 23.

48. Argum. VI. Quicquid repugnat legi mentis (per Spiritum regeneratae) et captivat hominem in lege peccati, illud utique peccatum est. At talis est concupiscentia Rom. 7, v. 23. Ergo est peccatum. Bellarminus excipit, *non omne, quod legi repugnat, esse peccatum*, *quod extra controversiam esse pronuntiat.* At, o bone, hoc non solum controversum, sed etiam manifeste falsum est, siquidem definiente apo-

An omne, quod repugnat legi, sit peccatum.

stolo *ἡ ἁμαρτία ἔστιν ἡ ἀνομία.* 1. Joh. 3, v. 4. quicquid ergo est *ἀνομία*, illud etiam est peccatum juxta vulgatissimum canonem; cui definitio competit, ei etiam definitum erit tribuendum, *τέλειος γὰρ ὁρισμός ἐστιν ὁ ἀντιστρέφων πρὸς τὸ ὁριστόν*, docente Damascen. c. 8. dialect. Vidit ergo Bellarminus, hoc non esse extra controversiam, ideo etiam nititur probare. *1. Peccator repugnat legi et tamen homo peccator*
V. 26. *non est proprie peccatum.* Respondemus: misera vero sophisticatio. Peccator repugnat legi, non qua homo, sed qua peccator. Quicquid ergo in homine repugnat legi, hoc est, quicquid recedit a regula legis, cum qua deberet congruere, illud est peccatum, intellige formaliter, alia enim ratio est, si illam *ἀνομίαν* sumas materialiter, ut connotatur subjectum, cui *ἀνομία* et peccatum inhaeret. Novit hoc Bellarminus tam exacte, quam suos digitos, cum lib. 1. de amiss. gratiae et stat. peccati capite *1.* ipse *distinguat inter materiale peccati*, (quod vocat substantiam, non satis commode) *et inter formale peccati* (quod vocat propriam ejus rationem); *substantia peccati*, ait, *est actio aliqua voluntaria*, *vel voluntaria actionis omissio. Ratio peccati est ipsa declinatio et recessio a regula in illa actione vel ejus omissione.* Haec ibi Bellarminus, cui tamen hoc loco confusione materialis et formalis sophisticari libuit. *2. Lex injusta repugnat legi justae*, *et lex unius principis legi alterius contraria est*, *neutra tamen proprie peccatum.* Respondemus: lex injusta opponitur legi justae contradictorie, peccatum opponitur legi privative, haec non erant confundenda. Leges positivas quod attinet, earum alia est ratio quam divinae legis; illae enim ratione circumstantiarum variari possunt, haec vero est aeterna et immutabilis regula. His praesuppositis respondet Bellarminus ad argumentum. *Concupiscentia repugnat legi*, *non ut actio recedens a regula*, *cum posset et deberet regulae congruere*, *sed repugnat*, *ut lex contraria impellens ad malum*, *quomodo etiam legi repugnat diabolus et quicquid incitat ad legis transgressionem.* Respondemus: subordinata non sunt sibi invicem opponenda; concupiscentia et peccatum est, quia recedit a legis regula et impellit ad peccatum, quia cum conceperit, peccatum parit. Invertimus igitur solutionem Bellarmini. Quemadmodum lex praecipiens mala non solum *ἀνομίας* causa, sed etiam ipsa est *ἄνομος* (aequivoce enim tantum lex est et solo nomine talis, quae mala praecipit), quemadmodum diabolus impellens ad peccatum non solum est causa peccati, sed etiam ipsemet peccator: ita concupiscentia carnis non solum est peccati actualis causa, sed etiam ipsa est peccatum. Verba, quae Bellarminus attexit, *quicquid incitat ad legis transgressionem*, insidiosa sunt, intelliguntur enim objecta externa, quae cum sua natura ac per se non incitent ad peccatum, sed tantum ex accidenti, quatenus prava concupiscentia in homine delitescens eis irritatur, non erant huc referenda.

49. Argum. VII. Quicquid homines in vita spirituali coram Deo miseros reddit, et a quo non nisi per Christum liberantur, illud peccati loco habendum. At concupiscentiae competit illud. Ergo et hoc. Rom. 7, v. 24: *Miser ego homo*, *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* v. 25: *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Excipit Bellarminus, *ineptissimum esse hoc argumentum*, *cum apostolus loquatur de miseria poenae et liberationem a corpore mortali expetat.* Respondemus: notanter additur in majore positione nostri argumenti, illud demum esse malum culpae, quod hominem in vita spirituali et coram Deo miserum reddit, et a quo non nisi Dei gratia per Christum liberantur; haec omnia malo poenae non possunt tribui, ut patet. In tribulationibus gloriabatur apostolus, Rom. 5, v. 3, sed propter concupiscentiam in carne haerentem tam miserabiliter ejulatur, *ταλαιπωρία ut plurimum* sumitur de miseria culpae. Rom. 3, v. 16: *ταλαιπωρία ἐν ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν.* Apoc. 3, v. 17: *οὐκ οἶδας, ὅτι σὺ εἶ ὁ ταλαίπωρος καὶ ὁ ἐλεεινὸς καὶ πτωχὸς καὶ τυφλὸς καὶ γυμνός*, quae omnia de spirituali nuditate, caecitate et miseria intelliguntur. Recte dicit Bellarminus, *apostolum expetere liberationem a corpore mortali et passionibus obnoxio*, sed addenda etiam erat causa, quare eam liberationem apostolus expetat? nimirum quia *corpus propter inhabitans peccatum est mortuum*, Rom. 8, v. 10, hoc est, morti subjectum, nec solum temporali, sed etiam aeternae morti obnoxium esset, nisi fieret remissio peccati propter Christum, ad quam respexisse apostolum sequens versiculus docet: *Gratias ago Deo per Jesum Christum*, et Rom. 8, v. 1. causam subjicit, quare peccatum in carne habitans non reddat pios morti aeternae obnoxios, nimirum quia per fidem sunt in Christo et per Spiritum actiones carnis mortificant. *Nulla damnatio est his*, *qui* V. 27.
sunt in Christo, *qui non secundum carnem ambulant*, *sed secundum Spiritum.*

50. Argum. VIII. Qui bonum facit, non autem perficit, nondum perfecte implet legem. Atqui apostolus de se et omnibus renatis testatur, quod bonum quidem faciant, non autem perficiant. Rom. 7, v. 18: *velle mihi adjacet*, *perficere autem bonum*

non invenio. Ergo nondum perfecte implent legem, videlicet propter adhaerentem concupiscentiam, et per consequens concupiscentia illa legis perfectam impletionem prohibens est peccatum. Excipit Bellarminus, *ut quis peccet non faciendo, aliquid requiri, ut debeat et possit illud facere, jam vero carne non concupiscere non est in nostra potestate.* Respondemus: Obligatio legis non aestimanda ex statu hominis post lapsum, sed ex donis et viribus, quas in primo homine ad legem praestandam accepimus. Sane per originale peccatum misere huic peccandi necessitati (ut August. et Bernh. loquuntur) subjecti sumus, ut non possimus concupiscere, interim tamen legis rigori ac debito nostro nihil inde decedit, quod exemplo debitoris ad paupertatem propria culpa redacti superius declaravimus et suo loco in articulo de lege declarabimus uberius.

51. Argum. IX. Quicquid est inimicitia adversus Deum et mors, hoc est, mortis causa, illud est peccatum. At *φρόνημα τῆς σαρκὸς est inimicitia adversus Deum.* Rom. 8, v. 7. et *mors* v. 6. Ergo est peccatum. Excipit Bellarminus, *nomine φρονήματος hoc loco intelligi non ipsam concupiscentiam, sed curam et sollicitudinem nimiam providendi ea, quae carni grata et commoda, quam apostolus a sese removet, quo nomine temeritatem nostram Bellarminus accusat, quod omnia confundamus ac misceamus et argumenta petamus ex illis locis, qui nihil ad rem faciunt.* Respondemus: per *τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς* intelliguntur affectus, sensus, intelligentia et sapientia hominum carnalium, qui nondum sunt regenerati, et affectus, studia ac cogitationes carnis in ipsis renatis, de quo *φρονήματι* apostolus pronuntiat, quod sit inimicitia adversus Deum, hoc est, quod legi non solum non subjiciatur, sed etiam Deo et ipsius legi hostiliter adversetur, ut apostolus se ipsum explicat. Illud *φρόνημα*, illum affectum carnis apostolus non omnimode a se removet, quia jam ante confessus fuerat, se nondum totum spiritualem, sed ex parte adhuc carnalem, hoc est, sub carnis vetustate constitutum aliquatenus adhuc esse, Rom. 7, v. 14; negat autem se in carne esse, vel secundum carnem ambulare, hoc est, illud *τῆς σαρκὸς φρόνημα* perficere, illi affectui carnis indulgere se negat, per Spiritum vero illas carnis *ἐπιθυμίας* sese mortificare asserit, atque alios renatos ad illud ipsum cohortatur, Gal. 5, v. 24. Quare cum *τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς* etiam primos concupiscentiae motus tanquam certam quandam speciem complectatur, non est, quod ab inimicitia illa adversus Deum et legem Dei pravae concupiscentiae motus liberi pronuntientur.

Gen. 6: Cuncta cogitatio cordis tantum mala.

52. Atque haec est prior classis argumentorum ex 6. 7. et 8. c. Rom. desumta, succedat posterior ex aliis Scripturae locis deprompta, in cujus *ἐργασίᾳ* itidem vestigia Bellarmini sequemur. Gen. 6, v. 5: *Cuncta cogitatio cordis tantum mala omni tempore.* Gen. 8, v. 21: *ab adolescentia.* Si figmentum cordis humani tantum malum omni tempore, utique etiam concupiscentia prava a peccati accusatione non poterit absolvi. Excipit Bellarminus, *describi peccatum actuale illorum, qui vixerunt ante diluvium, quod ambulaverint secundum carnem et quae carnis sunt, tantum cogitaverint; ubi etiam pronuntiatum tale ponit, quod peccatum originale penitus negat, pronitas ad malum* (ait) *est vulnus ex peccato originali relictum, sed non est proprie peccatum, nisi in actum voluntarium prodeat.* Subsume. *In infantibus pronitas illa nondum erumpit in actum voluntarium. Ergo carent peccato proprie dicto.* Respondemus: Moyses ipsum actualium peccatorum fontem hac gnoma monstrare voluit, qualis scilicet sublato Dei Spiritu humana natura manserit, videlicet talis, qualis ex se et sua natura est post lapsum, tota carnalis: cumque Noaho cum suis ex arca egresso V. 28.
eadem verba repetantur, manifestum est, non posse ad illos solos, qui vixerunt ante diluvium, ea referri, sed in genere concionantur de natura hominum post lapsum, qualis in se sit, si extra regenerationem ac renovationem Spiritus consideretur. Hebraea veritas sic habet Gen. sexto, vers. quinto: כָּל־יֵצֶר מַחְשְׁבֹת לִבּוֹ רַק רַע כָּל־הַיּוֹם *omne figmentum cogitationum cordis tantum malum omni die.* Verba valde sunt emphatica. 1. Cordis nomine Spiritus s. in Scriptura praesertim V. T. non solum appetentem, sed et rationalem animae facultatem intelligit, unde cordi non affectus solum, sed etiam intellectum ac voluntatem tribuit, quo sensu cordis vocem hoc loco accipi, patet ex cogitationibus, quae cordi tribuuntur, perinde ut Matth. 15, v. 19. Christus pronuntiat, ex corde *διαλογισμοὺς πονηροὺς ἐξέρχεσθαι.* 2. Huic ergo cordi hominum tribuit Moyses יצר et חשב. Prius vocabulum proprie significat formare, effigiare, imaginari, cogitare, ac tribuitur figulo vasculum aliquod formanti. Posterius significat cum intentione animi cogitare, *διαλογίζεσθαι*, Exod. 35, v. 32. usurpatur de artificibus tabernaculi singulari industria operas suas pertexentibus. Ergo duobus hisce vocabulis comprehenduntur omnes motus ac cogitationes cordis sive sint primi illi ac involuntarii motus, sive singulari industria et animi intentione eliciti, perinde ut haec vocabula eodem sensu conjunguntur. 1. Paralip. 28, v. 9: *Omnia corda inquirit Dominus, et omne figmentum cogitationum intelligit*, unde ipsi Rabbini pravam concupiscentiam vocare solent יֵצֶר הָרָע figmentum malum. 3. Omnes hasce cordis cogitationes Spiritus s. vocat malas, hoc est, legi Dei non conformes, sed peccato infectas et ad actualia peccata impellentes. Quamvis enim vocabulum רַע usurpetur quandoque de malo poenae, tamen circumstantiae hujus loci evidenter ostendunt, de malo culpae hoc loco accipiendum esse, cum in descriptione causarum diluvii hic versetur Spiritus sanctus. 4. Figmentum cogitationum dicitur רַק tantum malum, quod nimis dilute interpres Latinus vertit cogitationem cordis esse intentam ad malum. Estque particula tum exclusionis, tum extenuationis docente Förstero in lexico, sensus igitur erit, quod figmentum cogitationum totum ac semper malum usque ad levissimum motum. 5. Ma-

lum est omni die, vel ut exponitur Gen. 8, v. 21. מִנְּעֻרָיו ab infantia ejus (hominis); vox נער et de puero et de infante in Scriptura usurpatur; quam ergo primum incipit infantia nostra, imo quam primum incipiunt dies nostri, figmentum cogitationum cordis est malum. Vides egregiam peccati originalis (cujus perpetuum et inseparabile effectum est prava carnis concupiscentia) descriptionem in hoc Mosaico dicto nobis proponi, quam Domini D. Polycarpi manuductionem secuti hactenus exposuimus.

Ps. 19: Ab occultis meis munda me.

53. 2. Psalm. 19, v. 13. conqueritur psaltes: *Delicta quis intelligit? ab occultis munda me*, et Psalm. 51, v. 12: *cor mundum sibi creari petit.* Ergo agnoscit adhaerentes peccatorum sordes et numerum delictorum suam effugere notitiam fatetur. Excipit Bellarminus, *haec loca nec ad peccatum originale nec ad concupiscentiam in renatis ullo modo pertinere, cum in justificatione peccata omnia remittantur; cum concupiscentia non sit res occulta, et cum non sit orandum pro involuntariis concupiscentiae motibus, docente Augustino* Epist 200; *loqui ergo Davidem de peccatis venialibus et occultis mortalibus.* Respondemus: 1. peccatum remittitur non ut non sit, sed ut non imputetur, qua de re plura suo loco; 2. prava illa concupiscentia est absconditum cordis peccatum et non nisi a renatis per lucem legis divinae cognoscitur Psalm. 90, v. 8. Noverat David concupiscentias pravas peccata esse, sed quoties vitiosos illos motus senserit, ignorare se profitetur, quae duo sophistice confundit Bellarminus. Intelligunt renati, se peccatum habere, sed quoties et quam graviter peccaverint, non intelligunt; 3. non esse orandum pro motibus concupiscentiae pravae etiam involuntariis, nunquam persuadebit nobis Bellarminus, cum Moyses de abscondito peccato et David de occultis delictis
v. 29. conquerantur Psalm. 90, v. 8; Psalm. 19, v. 13, praesertim cum apostolus de lege peccati in membris haerente tam miserabiliter lamentetur Rom. 7, v. 24. August. verba haec sunt: *Incipit homo secundum gratiam in interiori homine renovari, ut mente agat quod amat, nec carni consentiat agenti quod odit, id est, ut omnino non concupiscat, sed ut post concupiscentias suas non eat; quod quidem tam magnum est, ut, si omnimodo fieret, et quamvis insint, dum sumus in corpore mortis hujus, desideria peccati, nulli eorum tamen adhiberemus consensum, non esset, unde diceremus Patri nostro, qui est in coelis, dimitte nobis debita nostra* etc. Ostendit Augustinus tantum abesse, ut legi de non-concupiscendo perfectam praestare possimus obedientiam, ut etiam pravis concupiscentiis saepius adhibeamus consensum, unde quotidie nobis orandum sit pro debitorum, hoc est, quotidianorum etiam actualium peccatorum condonatione. Ex hypothesi igitur, atque ea quidem in hac vita per naturam impossibili, non autem absolute pronuntiat Augustinus pro remissione pravorum concupiscentiae motuum non esse orandum, quos cum lege prohiberi diserte ibidem testetur, quomodo simpliciter et absolute negare posset, pro illorum remissione orandum esse? adde quod alibi diserte testetur Augustinus, propter adhaerentes defectus et peccati originalis reliquias quotidie orandum esse: Dimitte nobis debita nostra. Sic enim scribit epistola vigesima nona: *Quamdiu caritas augeri potest, profecto illud, quod minus est quam debet, ex vitio est, ex quo vitio non est justus in terra, qui faciat bonum et non peccet, propter quod vitium si dixerimus, quod peccatum non habemus, mendaces sumus* etc.; *propter quod etiam quantumlibet perfecerimus, necessarium est nobis dicere, dimitte nobis debita nostra, cum jam omnia dicta, facta, cogitata dimissa sunt.* Idem de verb. apost. serm. 2: *Sufficit, inquis, mihi, quod in baptismo accepi remissionem omnium peccatorum; nunquid quia deleta est iniquitas, finita est infirmitas? adhuc carnem fragilem portas* etc., *adhuc utique dicis, donec sanentur languores tui, dimitte nobis debita nostra.*

Jer. 17: Pravum cor hominis.

54. 3. Jerem. 17, v. 9: *Pravum est cor hominis et perversum, quis cognoscet illud?* v. 10: *Ego, Jehovah, scrutans cor, probans renes;* hic tanta cordis pravitas et perversitas in homine statuitur, quam ne ipse quidem satis pernoscere queat, quam esse peccatum quis negabit? Excipit Bellarminus. *1. Cor pravum non esse cor inquinatum peccatis, sed callidum ac difficile, ut penetretur; cum in Hebraeo sit* עָקֹב, quod LXX. reddiderunt βαθεῖαν καρδίαν. Respondemus: metuendum erit Bellarmino fulmen concilii Tridentini, si a versione vulgata discedere voluit, quae tamen hoc loco non est incommoda. עָקֹב deductum est a planta seu calcaneo, describitur ergo cordis humani pravitas metaphora ducta a via, quae assidue calcatur, atque ex eo redditur non solum callosa, aspera et dura, sed etiam calcando pervertitur. Hieronymus reddit *pravum;* Targum et Rabbini *vafrum ac fraudulentum.* Münster. *perversum*, perinde ut Ezech. 36, v. 26. dicitur *cor lapideum*, et Rom. 2, v. 5. vocatur σκληρότης καρδίας, Marc. 16, v. 14. Rom. 11, v. 25. Ephes. 4, v. 18. vocatur πώρωσις, quasi dicas, callositas cordis. Conqueritur igitur propheta, hominem quidem fuisse ab initio rectum a Deo creatum, sed per peccatum rectitudine illa privatum et in ejus locum cordis pravitatem successisse. Deinde cor hominis dicit esse אָנֻשׁ *miserum*, Trem. et Jun. *mortiferum*, Münster. *praefractum et desperatum*, ut significetur, malum hoc esse insanabile et morbum desperatae curationis, Jerem. 15, v. 18: *plaga mea facta est incurabilis*, Mich. 1, v. 9: *desperata est plaga ejus. Est igitur* (interprete D. Chemnicio in locis p. 574.) *tristissima descriptio corruptionis originalis, quod sit desperatae curationis, nec per naturam nec per medicinam nec per ulla opera sanabilis, nec possit aboleri, nisi per mortem absorptum fuerit, quod est mortale*, 1. Cor. 15, v. 53. Denique dicitur cor pravum esse מִכֹּל *super omnia*, et quidem plus quam sciri vel cogitari possit, unde
Symm. reddit ἀνεξερεύνηταν, et quidem super omnia v. 30.
ita pravum ac perversum, ut nemo praeter Deum καρδιογνώστην illam perversitatem satis intelligat.

Vanum ergo est, quod Bellarminus negat describi hic cor inquinatum peccatis, sed tantum callidum ac difficile ut penetretur. Atqui illa calliditas ad malum ac durities illa cordis an non sunt vere pravitas et peccatum? 2. dicit, *pronitatem ad malum hic cordi tantum tribui, quae proprie non sit peccatum.* Respondemus: profunda illa cordis pravitas et prona ad malum inclinatio quomodo non erit peccatum, cum sit quasi semen peccatorum omnium, quae omnia potentia in se complectitur? rivuli venenati de veneno fontis testantur. 3. Denique addit, *loqui prophetam de impiis, quorum cor vere pravum et immundum, cum contra de renatis dicatur, quod sint mundi corde* Matth. 5. *quod fide corda ipsorum purificata* Actor. 15. *et finis legis dicitur caritas de corde puro* 1. Timoth. 1. Respondemus: contextus propheticae concionis manifeste ostendit, non tantum de manifeste sceleratis et profligatae impietatis hominibus, sed in genere de omnibus prophetam loqui; v. 5. dicit, *maledictus qui confidit in homine*, v. 7: *benedictus qui confidit in Domino*, v. 9. et 10. subjicit tam pravum et inscrutabile esse cor hominis, ut non velit videri, quasi Deo non confidat, sed Deum scrutari cor et renes probare, quin et se ipsum huic descriptioni includit, v. 14: *sana me, Domine, et sanabor, salvum me fac, et salvus ero.* Describitur igitur cor humanum, quale sit sua natura ex ipsa origine, vel priusquam per Spiritum regeneretur et mundetur, vel ubi amisso Spiritu sibi relinquitur, vel si per se extra renovationem Spiritus in ipsis renatis consideretur. Quamvis enim fide purificentur renatorum corda, hoc est, quamvis perfecta mundities Christi per fidem renatis imputetur; quamvis etiam Spiritus sanctus per renovationem corda renatorum purificet, mundet ac sanet; tamen illa renovatio, illa purificatio ac sanatio in hac vita nunquam ita perfecta est, ut non oporteat eam quotidie augeri atque perfici; inde est, quod discipulis Christi [qui utique erant per Spiritum s. renati ac renovati] tribuitur adhuc quaedam πώρωσις καρδίας Marc. 16, v. 14. et βραδεῖα τοῦ πιστεύειν Luc. 24, v. 25. et in genere omnes renati, quamvis sint mundi ac sancti, tamen jubentur *se mundare ab omni inquinamento carnis et Spiritus ac perficere sanctificationem.* 2. Cor. 7, v. 1. sunt et dicuntur azymi ac nihilominus *jubentur expurgare vetus fermentum;* 1. Cor. 5, v. 7. sunt per Spiritum Dei renovati, nihilo tamen minus *jubentur se renovare spiritu mentis* Eph. 4, v. 23. *et induere novum hominem, qui secundum Deum creatus* v. 24.

Matth. 6: Dimitte nobis debita nostra.

55. Oratio Dominica concludit omnes sub peccato. Qui enim petit nomen Dei sanctificari, regnum Dei advenire et voluntatem Dei impleri, is eo ipso fatetur, se nondum plene facere Dei voluntatem, nomen Dei adhuc in se ex parte pollui, et se propter peccatum ex parte servum diaboli confitetur. Argumentum est D. Lutheri in assert. art. 2. tom. 2. oper. Latin. f. 297. Excipit Bellarminus, *inanissimam hanc objectionem esse, cum juxta Cyprianum perseverantiam tantum in sanctificatione et regnum gloriae haec oratio respiciat, et ad infideles hoc proprie spectet, quod voluntatem Dei impleri petimus: urget etiam hoc, quod Christus* Matth. 26, *fieri voluntatem Dei petat.* Respondemus: Quicunque ita petit nomen Dei sanctificari, regnum Dei advenire et voluntatem Dei impleri, ut simul debita sua sibi dimitti petat, is eo ipso fatetur, se non plene et ex omni parte Dei nomen sanctificare et voluntatem ipsius implere. Atqui omnes renati ita orant Dei nomen sanctificari etc. Allegat Bellarminus Cypriani expositionem, eam ergo audiat. *Petimus et rogamus*, [ait Cyprianus in expos. orat. Domin.] *ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo, quod esse coepimus, perseveremus, et hoc quotidie deprecamur. Opus est enim nobis quotidiana sanctificatione* [hoc Bellarminus omisit], *ut, qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus.* Et postea: *Continua oratione et prece opus est, ne excidamus e regno coelesti, sicut Judaei, quibus hoc promissum prius fuerat, exciderant* etc. *Rogamus, ut faciamus quod Deus* V. 31. *vult; quia nobis a diabolo obsistitur, quo minus per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur; oramus et petimus, ut fiat in nobis voluntas Dei, quae ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate, i. e. ope ejus et protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed DEI indulgentia et misericordia tutus est.* Et postea: *Fieri petimus voluntatem DEI, ut in coelo et terra, quod utrumque ad consummationem nostrae voluntatis pertinet et salutis. Nam cum corpus e terra et Spiritum possideamus e coelo, ipsi terra et coelum sumus et in utroque, i. e. corpore et Spiritu, ut Dei voluntas fiat, oramus. Est enim inter carnem et spiritum colluctatio et discordantibus adversus se invicem quotidiana congressio, ut non, quae volumus, ipsa faciamus, dum Spiritus coelestia et divina quaerit, caro terrena et secularia concupiscit, et ideo petimus impense, inter duo ista ope et auxilio DEI concordiam fieri, ut, dum et Spiritu et carne voluntas Dei geritur, quae per eum tentata est, anima servetur. Denique, quam necesse, quam providenter et salubriter admonemur, quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur, ut, dum indulgentia de Deo petitur, conscientiae suae animus recordetur, ne quis sibi quasi innocens placeat et se extollendo plus pereat, instruitur et docetur peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare.* Haec omnia Cyprianus, quae D. Lutheri argumentum ex oratione Dominica deductum mirifice comprobant. Conjunge pulcherrimam expositionem Hieronymi Savanarolae, quam in hanc Dominicam orationem scripsit.

Luc. 10: Vulneratus sanatur paulatim.

56. 5. Christus Matth. 13. et Luc. 10. in parabolis ostendit, non continuo liberari hominem ab omni peccato, sed paulatim, ac per hoc semper aliquid peccati purgandum remanere. Excipit Bellarminus, *Scripturam, quando docet hominem paulatim curari et proficere, non loqui de peccatorum remissione, sed de curatione languoris ex peccato*

relicti. Resp.: At ille languor naturae, illa prava concupiscentia est morbus quidam animae, utique ergo peccatum. Languor ille est privatio sanitatis inesse debitae, illa sanitas animae erat rectitudo, integritas et plena cum lege conformitas; qualis ergo morbus, quale malum sit iste languor, ex opposito habitu rectissime cognosci potest. Morbus corporis est tantum malum poenae, sed animae morbus et malum culpae et malum poenae. Videatur August. serm. 2. de verb. apostoli.

Joh. 15: Palmes ferens fructum purgatur.

57. 6. Christus Joh. 15, v. 2. dicit discipulos esse purgandos, quos tamen dixerat esse mundos Joh. 13, v. 10. Ergo mundities inhaerens in hac vita non est perfecta. Excipit Bellarminus, *purgationem in justificatis necessariam esse propter peccata actualia, quae quotidie subrepunt, non propter originale, quod perfecte remittitur in baptismo.* Respondemus: imo vero peccata illa quotidiana sunt fructus originalis corruptionis et de ea apertum ferunt testimonium. Remittitur quidem perfecte in baptismo peccatum originis, interim tamen non ita tollitur, ut nihil omnino de eo in carne reliquum maneat. C. per baptismum de consecrat. dist. 4: *Peccatum remittitur in baptismo non ut non sit, sed ut non imputetur*, ex lib. 1. August. de nupt. et concup. c. 34, qua de re in articulo de baptismo uberius agemus. August. tract. 80. in Joh.: *Quis est in hac vita sic mundus, ut non sit magis magisque mundandus? ubi si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est, si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est et justus, qui dimittat nobis peccata et mundet nos ab omni iniquitate.* Ergo propter inhabitans peccatum mundities nondum est perfecta et numeris omnibus absoluta. Hilarius in c. 7. Matth.: *Ipsis apostolis verbo licet jam fidei emendatis atque sanctificatis, non deesse tamen malitiam per conditionem communis nobis originis, docuit Dominus dicens, si vos, cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris* etc., quae verba Hilarii allegat August. libr. 2. contra Julian., ergo propter
V. 32. conditionem communis originis, hoc est, propter reliquias peccati originalis apostoli ex parte adhuc erant mali atque immundi.

Gal. 5: Caro concupiscit adversus Spiritum.

58. 7. Gal. 5, v. 7: *Caro concupiscit adversus Spiritum.* Si in renatis adhuc caro concupiscit adversus Spiritum, utique peccatum in ipsorum carne adhuc habitat. Excipit Bellarminus, *concupiscentiam illam non esse proprie peccatum, dum ei Spiritus reluctatur, cum non sit nisi in carne, quae sedes peccati esse non possit.* Respondemus: Bellarminus et sibi ipsi et textui apostolico manifeste contradicit, lib. 5. de amiss. grat. et statu pecc. c. 7. in resp. ad arg. 2. sic scribit: In multis locis divinae Scripturae sine dubio per carnem intelliguntur omnes potentiae tum inferiores tum superiores per peccatum corruptae, unde etiam videmus ad Galatas 5. inter opera carnis haereses numerari etc., quibus diserte hoc loco contradicit, carnis nomine solum corpus intelligens, quod proprie peccati sedes esse nequeat, cum peccatum non in carne, sed in mente quaeri debeat. Tria ergo falsa brevissimis hisce verbis complectitur Bellarminus: 1. Concupiscentiam carnis non esse peccatum, cum ei Spiritus reluctatur. 2. Concupiscentiam pravam non esse in mente, sed tantum in carne, cum disertissime talia παϑήματα carni hoc loco apostolus tribuat, quae non nisi menti conveniunt. 3. Carnem non esse peccati sedem, cum tamen originalis justitia, cujus defectus est peccatum, in toto homine sedem habuerit; jam vero privatio et habitus sunt in eodem subjecto; qua de re plura dicemus inferius, quando Bellarmini argumenta examinabimus. Rectius Staplet. in antid. Rom. 7, v. 17. p. 394: *Caro vel ipsum inferiorem et carnalem appetitum, qui menti et superiori rationi repugnat, vel carnalem aliquam et inordinatum affectum in ipsa mente ac superiori ratione significare posse videtur.* Imo ipsemet Bellarm. c. 15. hujus libri rectius sentit: *Negandum non est* [inquit] *etiam in parte superiore simile vitium* [pravae concupiscentiae] *inveniri. Nam ea quoque animae pars prona est ad concupiscendos honores, inanem gloriam et alias vanitates, et etiamsi nolimus, interdum parit ejusmodi desideria. Quocirca b. Paulus* [nota] *cum dixisset* Galat. 5. *carnem concupiscere adversus Spiritum, statim enumerans opera carnis, nominavit non solum fornicationem, ebrietatem et alia id genus, sed etiam idololatriam, haereses, inimicitias* etc., *quod diligenter notavit* August. lib. 14. de civ. Dei c. 2. 3. et 4, *ubi demonstrat carnem interdum sumi pro toto homine, qualis est sine gratia Dei post lapsum Adae* etc. *Itaque concupiscentiae vitium licet praecipue in sensualitate, tamen etiam in mente sedem habet; s. autem Augustinus in libris contra Pelagianos ideo paene ubique loquitur de vitio sensualitatis, quia in sensualitate magis hoc vitium se prodit, non quod ignoraret etiam in mente locum habere.* Haec Bellarminus sua caedens vineta, ut prolixiori responso non sit opus.

Eph. 4: Renati jubentur renovari spiritu mentis suae.

59. 8. Renati jubentur *renovari spiritu mentis suae* Ephes. 4, v. 23. Ergo ex parte adhuc sub peccato et carnis vetustate sunt. Bellarminus excipit, *vetustatem accipiendam esse pro malis ex peccato relictis, non autem pro peccato originis, cum* August. lib. 6. cont. Julian. c. 5. *diserte dicat, quod gratia perfecte hominem novum faciat.* Respondemus: malum illud ex primo primorum parentum peccato in nobis relictum est ipsum originale peccatum, cujus reliquiae etiam in renatis manent, retenta originis suae natura. Finge per vetustatem carnis intelligi tantum mala poenae ex primo Adae peccato orta et in nos propagata, an non re ipsa originale peccatum negabis; August. l. d. perfecte hominem renovari dicit, sed diserte se ipsum explicat, quantum attinet ad liberationem ab omnibus omnino peccatis, non quantum ad liberationem ab omnibus malis, quod quo sensu velit accipi, ibidem uberius declarat. *Cur caro* [inquit] *conteritur a fidelibus, si nihil remansit in baptismo, quod adversus spiritum concupiscat? cur conteritur a se*

ipso templum Dei, si nihil ibi est, quod resistat Spiritui Dei? non autem tantum inesset, verum et
V. 33. *graviter obesset, nisi reatus, qui nos obstrinxerat, per remissionem peccatorum solutus esset.* Et postea: *Quis autem ita sit imprudens atque impudens, ita procax, pertinax, pervicax, ita postremo insanus et demens, qui cum peccata mala esse fateatur, neget essē malam concupiscentiam peccatorum, etiamsi adversus eam concupiscente Spiritu peccata concipere ac parere non sinatur* [quale vero malum est? attende Bellarmine] *tale porro ac tam magnum malum, tantum quia inest, quomodo non teneret in morte et pertraheret in ultimam mortem, nisi et ejus vinculum in illa, quae fit in baptismo, remissione peccatorum omnium solveretur* etc. . Idem libr. 2. de pecc. merit. et remiss. c. 7: *Si in ipso animo, qui est homo interior, perfecta in baptismo novitas fieret, non diceret apostolus; etsi exterior homo noster corrumpitur, tamen interior renovatur de die in diem, profecto enim qui de die in diem renovatur, adhuc nondum totus est renovatus, et in quantum nondum renovatus, in tantum adhuc sub vetustate est; et propter reliquias istius vetustatis,* dicit ibidem August., *ipsis etiam renatis ingemiscendum; si dixerimus, peccatum nos non habere* etc. Maneat ergo firmum fixum, vetustatem illam carnis, quae adhuc in renatis ex parte reliqua est, non tantum malum poenae, sed etiam malum culpae esse; neque enim per regenerationem hominis desinit vel omnino esse vel esse id, quod ante regenerationem erat, sed actu hominem reum facere desinit. Vetustas illa carnis vocatur alibi *vetus homo* Rom. 6, v. 6. ac tribuuntur ei *ἐπιθυμίαι τῆς ἀπάτης* Ephes. 4, v. 22; vocatur etiam *fermentum vetus, cui malitia ac nequitia tribuitur,* 1. Cor. 5, v. 8: quae omnia evidenter ostendunt, illam vetustatem non tantum poenae, sed et culpae malum esse. 2. Aliter igitur excipit Bellarminus *vetustatem intelligendam esse de peccatis actualibus et malis habitibus inde contractis, quo sensu* Col. 3, v. 9: *jubentur renati exspoliare veterem hominem cum suis actibus* et Eph. 4, v. 22. *jubentur deponere secundum pristinam conversationem veterem hominem, quod postea exponitur, deponendum esse mendacium.* Respondemus: In his et similibus dictis ostenditur, qua ratione vetus homo deponi possit et debeat, nimirum pravis concupiscentiis resistendo, easque mortificando, nequaquam vero docetur, quod nomine veteris hominis tantum actualia peccata sint intelligenda, siquidem mandatum illud de veteri homine exuendo ac spiritu mentis renovando est perpetuum, nec ullum datur tempus in hac vita, quo renati istis cohortationibus non indigeant, quod evidenter arguit per veterem hominem [qui alibi vocatur caro, vetus Adam, concupiscentia carnis etc.] habituale aliquid perpetuo inhaerens intelligi. August. 14. de Trin. c. 17: *Ista renovatio* [de qua ex Ephes. 4. et Coloss. 3. in praeced. c. disseruerat] *non momento uno fit ipsius conversionis, sicut momento uno fit illa in baptismo renovatio remissione omnium peccatorum, sed prima curatio est causam removere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum; secunda ipsum sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in renovatione hujus imaginis* etc.

60. 9. Renati jubentur mortificare membra veteris Adami, Coloss. 3, v. 5: *Mortificate membra vestra, quae sunt super terram, fornicationem, immunditiem, libidinem, concupiscentiam malam et avaritiam.* Utique ergo peccatum adhuc in ipsorum carne habitat. Excipit Bellarminus *per membra super terram intelligi pravam concupiscentiam, quae* Rom. 7, v. 23. *vocatur lex membrorum, haec ita mortificanda est, ne assensus ei praebeatur.* Respondemus: rectissime, quid vero aliud inde sequetur, quod in renatis adhuc de veteri homine aliquid superesse, quod mortificandum sit et crucifigendum? Quemadmodum igitur Rom. 6, v. 6. corpus peccati jubetur destrui, ut non serviamus peccato, ita hoc loco membra super terram jubentur mortificari, h. e. pravis carnis affectibus resistendum est omni animi impetu, nec permittendum, ut regnet peccatum in nobis. Utique ergo peccatum in carne haeret, utique membra veteris hominis in renatis adhuc sese movent. Augustinus 6. contra Julian c. 5: *Quomodo* [renatus] *obtemperat apostolo dicenti, mortificate* V. 34.
fornicationem, nisi cum desideria ejus, quibus non consentit, expugnat, quae in benefacientibus et omnino non fornicantibus nec consensione nec opere, etsi non desunt, tamen quotidie minuuntur. Haec desideria peccata esse, ibidem multis ostendit.

Col. 3 Mortificate memb super terram

61. 10. Hebr. 12, v. 1. jubentur renati deponere circumstans peccatum, utique ergo peccatum in ipsorum carne habitat. Excipit Bellarminus *per circumstans peccatum non posse intelligi pravam concupiscentiam, quippe quae non possit deponi, sed intelligi aliquod extrinsecum, videlicet occasiones et pericula peccati, sive ipsa peccata, quae nobis undique insidiantur; ea dicuntur εὐπερίστατα, quia facile circumdant et obsident, ac opponuntur circumpositae nubi sanctorum exemplorum.* Respondemus: *περίστασις* juxta Varinum significat *θλίψιν πανταχόθεν εἰς ἀδημονίαν εἰσάγουσαν*, mala quae undique ingruunt: ergo *εὐπερίστατος ἁμαρτία* est peccatum illud, quod omnes vires, omnia membra, adeoque totum hominem occupavit, ac proinde recte redditur ab Erasmo peccatum tenaciter inhaerens; particula *εὐ* usurpatur *ἀντὶ τοῦ ἰσχυρῶς*, valide ac fortiter. Alii vertunt ad circumcingendos nos proclive, quod itidem naturam peccati originalis explicat; semper enim nos captivare ac subjugare nititur, nisi viriliter resistamus, ideo apostolus 1. vocat *ὄγκον*, onus seu gravamen, quia gravat naturam hominis ad Dei imaginem conditi, gravat etiam ac remoratur actiones, ad malum proclives, ad bonum tardos non reddens. 2. Docet cum hoc peccato decertandum esse, siquidem lex peccati in membris repugnat legi mentis in renatis et captivat eos [captivante nititur] Rom. 7, v. 23. 3. Vocat *εὐπερίστατον ἁμαρτίαν*, quod omnes vires ac facultates hominis invaserit, iisdemque tenacissime inhaereat. Hoc peccatum

Hebr. 12 Deponi circumstans peccatum.

apostolus jubet deponere quantum ad studium, conatum et desiderium renatorum attinet, quamvis quoad actum in hac vita nunquam perfecte deponi possit, perinde ut veterem hominem exuere et deponere alibi jubemur, Ephes. 4, v. 22. Col. 3, v. 9, quod tamen in hac vita nunquam perfecte a nobis fieri potest. Bellarminus dicit, *per circumstans peccatum intelligi sine dubio aliquid extrinsecum*, et tamen paulo post addit *intrinsecas tentationes hoc nomine intelligi* [nisi forte sphalma typographicum subsit] secutus Thomam Aquinatem *occasiones et pericula peccandi hoc loco denotari* scribit, quae tamen proprie non dicuntur deponi, cum illud solum deponatur, quod oneris instar nos gravat ac premit.

Jac. 1: Ut simus initium aliquod creaturae.

62. 11. Jacob. 1, v. 18: *Genuit nos Deus verbo veritatis, ut essemus initium aliquod creaturae ejus.* Ergo nondum sumus perfecte nova creatura, sed reliquiae peccati in hac vita manent in carne nostra. Excipit Bellarminus, *1. Lutherum imperite philosophari, quod ideo dicamur initium, quia imperfecte justificemur, et semper aliqua ex parte peccatum in nobis maneat.* Respondemus: Evidens haec est calumnia; nuspiam dicit Lutherus, nos imperfecte justificari, sed inhaerentem justitiam nostram dicit imperfectam esse propter adhaerens peccatum. *2. Vocem ἀπαρχὴν non significare initium, sed primarium ac praecipuum, proinde Jacobum hoc velle, quod sancti sint primitiae, i. e. pars perfectissima creaturae.* Respondemus: anathemati Tridentino obnoxium sese Bellarminus reddit, discedens a vulgata versione. Conjungimus nos huic loco Rom. 8, v. 23: *ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες, renati accipiunt primitias Spiritus sancti*, non perfectam plenitudinem, sed primitias tantum. Ergo sanctitas ipsorum in hac vita non est perfecta [intelligi sanctitatem inhaerentem], Rom. 11, v. 16; nomine *ἀπαρχῆς* intelliguntur primitiae juxta leviticam legem ad totius massae sanctificationem oblatae, Rom. 16, v. 5. 1. Cor. 16, v. 15. Epaenetus dicitur primitiae Achaiae, quia primus ex Achaeis ad Christum conversus, ubi non habet locum explicatio de praecipua ac digniore parte. *3. Ex sententia Lutheri sequi, quod Christus inchoate tantum, non perfecte resurrexerit, cum dicatur primitiae resurgentium*, 1. Cor.
v. 35. 15, v. 20. Respondemus: Christus non dicitur primitiae resurgentium, quia praecipuus est inter eos, qui resurrexerunt [quod tamen verissimum est], sed ratione ordinis, causae, virtutis atque meriti, quod enim alii resurgunt, id Christi resurrectioni acceptum ferendum; vox *ἀπαρχῆς* respicit ad legem Mosaicam de oblatione primitiarum, qua tota reliqua massa sanctificabatur. Hoc ergo vult apostolus: Si Christus tanquam primitiae mortem evitavit, certe nec reliqua massa Christo insita morti ac corruptioni semper erit obnoxia, sed tanquam grati Deo fructus ad exemplum primitiarum in vitae aeternae horrea colligentur; ita se ipsum exponit apostolus v. 23: *Unusquisque in suo ordine, primitiae Christus, deinde ii, qui sunt Christi in adventu ejus.*

1. Joh. 1: Si diximus, nos non habere peccatum etc.

63. 1. Joh. 1, v. 8: *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Ergo in omnibus renatis adhuc haeret peccatum, licet remissum et mortificatum. Excipit Bellarminus, *1. loqui Johannem de peccatis actualibus minutis ac quotidianis.* Respondemus: loquitur de utrisque, tum de reliquiis peccati originalis, tum de quotidianis delictis infirmitatis, quae sunt fructus atque κινήματα originalis; notanter dicit, renatos ἔχειν, habere peccatum; ergo proprie loquitur de peccato, ut ita dicam, ἑκτικῶ, habituali et perpetuo renatis inhaerente, etiam tum quando actualium delictorum sibi non sunt conscii. Augustinus hanc sententiam non solum ad actualia peccata, sed etiam ad peccati originalis reliquias in renatis diserte accommodat. Epist. 29. ad Hieronym.: *Quis sine aliquo peccato? quis sine aliquo vitio, id est, fomite quodam vel quasi sine radice peccati, cum clamet, qui supra pectus Domini recumbebat; si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* libro 4. contra duas epist. Pelag. c. 10. tract. 41. in Joh. etc. 2. addit Bellarminus *posse fieri, ut saltem ad breve tempus careat aliquis omni peccato etiam veniali, et tamen quia vere dicit* Job. c. 9: *Si justus fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, ideo de se ipso nemo affirmare potest, se non habere peccatum, quare recte Johannes non ait; si dixerimus, aliquem non habere peccatum, sed si dixerimus, quia nos non habemus peccatum.* Respondemus: Omni tempore et de omnibus omnino sanctis verissima est illa apostolica sententia. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus*, unde alibi in genere pronuntiat Scriptura, quod nemo coram Deo sit innocens, quod nemo possit gloriari de munditie cordis sui, quod omnes cogantur precari, Domine, dimitte nobis debita nostra etc. Pelagianam illam sententiam, quod quidam ab hoc universali pronuntiato apostolico sint excepti, toties ac tam graviter damnat Augustinus in libris contra Julianum contra duas epistolas Pelagianorum et alibi passim, ut mirum videatur eam iterum in ecclesiae proscenium a Bellarmino adduci. Pelagianum etiam hoc est, quod magis ex humilitate quam ex veritate confitendum sit, nos peccatum habere, qua de re sic scribit August. libr. de nat. et grat. c. 34: *Johannes propterea addit, et veritas in nobis non est, cum forte sufficeret dicere, nos ipsos decipimus, nisi attenderet, quosdam putare dictum, nos ipsos decipimus, quia etiam de vero bono, qui se laudat, extollitur; attende itaque, et veritas in nobis non est, manifeste ostendit, hoc omnino verum non esse, si dixerimus, quia peccatum non habemus, ne humilitas constituta in parte falsitatis perdat praemium veritatis.* c. 36: *Si omnes sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus et interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus: utrum hoc, quod iste* [Pelagius] *dicit, an quod Johannes apostolus? rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, una voce clamassent,*

si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus etc. *an illud humilius responderent forte, quam verius? sed huic jam placet et recte placet, laudem humilitatis in parte non ponere falsitatis, itaque hoc si verum dicerent, haberent peccatum, quod humiliter fatentur, quia veritas in eis esset.*
V. 36. *Si autem hoc mentirentur, nihilominus haberent peccatum, quia veritatis in eis non esset.* Dictum Jobi inepte allegatur a Bellarmino, cujus genuinus sensus hic est. Tantis me Deus opprimit terroribus, ut etiam ea, quae pro defensione justitiae meae possint afferri, non veniant mihi in mentem. 3. Denique concludit Bellarminus, *Chemnicium in eo plane ridiculum se praeberè, quod hanc sententiam etiam ad infantes et dormientes accommodet, cum apostolus de iis tantum loquatur, qui possint dicere, hoc est, qui usum sermonis et rationis habeant.* Respondemus: Imo vero Bellarminus Pelagianus est, negans universale hoc apostoli pronuntiatum etiam ad infantes et dormientes pertinere, ex quo prompte sequitur, multos videlicet renatos nondum adultos esse, qui possint gloriari, se non habere peccatum; itemque renatos adultos saepius esse sine peccato, nimirum quando dormiunt nec maculant se aliquo actuali peccato et quando concupiscentia quiescit, aut quando ipsi ita resistitur, ut voluntatem in consensum nondum rapiat. Contra s. Augustinus omnium sanctorum hanc esse vocem pronuntiat. Apostolus a renatis adultis requirit, ut profiteantur se habere peccatum, interim non negat, etiam illos habere peccatum, qui usu rationis et sermonis destituti illud nondum possunt profiteri.

Testimonia veterum, quod concupiscentia sit peccatum.

64. Accedimus ad testimonia antiquitatis. Quamvis vero multa veterum dicta huc referri possent, videlicet ea, in quibus docent, in renatis adhuc peccatum habitare, legem Dei non posse in hac vita perfecte a nobis impleri, bona opera non esse omnibus numeris perfecta et absoluta, neminem esse sine peccato etc., tamen contenti erimus illis dictis, in quibus concupiscentiam in renatis reliquam peccatum vocant et talia ei tribuunt, quae non nisi peccato proprie dicto competunt. August. lib. 2. contra Julian. testimonia Cypriani, Hilarii, Nazianzeni et Ambrosii allegat, eum ergo audiemus, et quidem eo attentius, quo aegrius fert Bellarminus, nos ipsorum gaudere consensu, unde scribere non veretur, *Chemnicium suae impudentiae et nequitiae in pervertendis Cypriani et Hilarii dictis perpetuas in gehenna poenas sine dubio luiturum.* Ambrosius in libro contra Novatianos: *Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, ideo Pauli caro corpus mortis erat:* [Ex his verbis ita colligit August.: *Numquid apostolus Paulus non erat baptizatus? aut aliquid ei vel originalium vel propriorum; vel ignorantiae vel scientiae remissum non fuerat peccatorum? Unde ergo talia loquebatur? Lex ista peccati, quae in membris est corporis mortis hujus, et remissa est regeneratione spirituali et manet in carne mortali; remissa scilicet quia reatus solutus est sacramento, quo renascuntur fideles, manet autem, quia operatur desideria, contra quae dimicant et fideles* etc.; *sciebat* [apost.] *gratia nos sanari ab isto concupiscentiali motu, qui nos ab ejus originali reatu spirituali regeneratione salvavit.* Haec Augustinus opponit Pelagianorum argumento, *quod consequens videatur, si in baptizatis conjugibus aliquod malum remaneat, ex quo mali generentur, non omnia peccata in baptismo remitti; respondet Augustinus ex Ambrosio, etiam Paulum fuisse baptizatum et tamen conqueri de lege peccati, concupiscentiam igitur remitti in reatu, manere in actu.]* Cyprian. in epist. de orat. Dom.: *Est inter carnem et Spiritum colluctatio et discordantibus adversus se invicem quotidiana congressio, ut non ea, quae volumus, ipsa faciamus, dum Spiritus coelestia et divina quaerit, caro terrena et secularia concupiscit.* [August. monet observandum esse, *quod Cyprianus baptizatum populum instruat petere a Deo concordiam inter carnem et Spiritum, quod tamen in hac vita non perficiatur, cum eodem Cypriano in epist. de mortal. teste Paulus apostolus ideo concupiscat dissolvi et cum Christo esse, ut nullis fieret peccatis et vitiis carnis obnoxius.] Gregor. in apolog. Intra nosmet ipsos propriis vitiis ac passionibus impugnamur, et die noctuque ignitis stimulis corporis humilitatis hujus et corporis mortis urgemur.* August.
iterum observare jubet, *quod de baptizato dicat Gre-* V. 37.
gor. eum propriis vitiis impugnari, et addit: *Jamne discernis* [Juliane], *jamne perspicis, jamne respicis, et in baptismate fieri omnium remissionem peccatorum et cum baptizatis quasi civile bellum interiorum remanere vitiorum? non enim talia sunt vitia, quae jam peccata dicenda sint* [intellige cum reatu actuali conjuncta. ut se ipsum August. exponit. 1. de nupt. et concup. c. 24. et alibi passim], *si ad illicita opera spiritum concupiscentia non trahat et concipiat pariatque peccatum; nec tantum extra nos sunt* etc., *nostra sunt, passiones sunt, vitia sunt, frenanda, cohibenda, sananda sunt, et dum hic vivitur, esse non desinunt. Venerandus Hilarius ex peccato esse omnem carnem non cunctatus est dicere.* [Pergit Augustinus et contra Pelagianos ex veteribus demonstrat, *baptizatos pugnare contra illud malum, cum quo nati sunt, non quod sibi ipsi prioris vitae mala consuetudine fecerunt.] Ambrosius super Luc. 58. dicit, dissensionem carnis et animae per praevaricationem primi hominis in naturam se vertisse. In libro de Isaac et anima. Bonus rector malos equos restringit et revocat, bonus incitat. Boni equi snnt quatuor; prudentia, temperantia, fortitudo, justitia; mali equi, iracundia, concupiscentia timor, iniquitas [ex quo ita colligit Augustinus: Catholice istos equos intelligimus vitia nostra, quae legi mentis ex lege peccati resistunt. Quare non in baptismate perierunt? an nondum fateberis, quod reatus eorum perierit, infirmitas manserit: non reatus, quo ipsa rea fuerant, sed quo nos reos fecerant in malis operibus, quo nos traxerant; nec ita eorum mansit infirmitas, quasi aliqua sint animalia, quae infirmantur, sed nostra infirmitas ipsa*

sunt; nec in his equis malis iniquitatem nominasse putandus est illam, quae deletur in baptismo; illa namque peccatorum, quae fecimus, fuit; quae cuncta remissa sunt, atque omnino jam non sunt, quorum reatus manebat, quando ipso fiebant atque transibant; istam vero legem peccati hujus manentis reatus in sacro fonte remissus est, propterea vocavit iniquitatem, quia iniquum est, ut caro concupiscat adversus Spiritum, quamvis adsit in nostra renovatione justitia, qua justum est, ut adversus carnem Spiritus concupiscat.] Idem in libr. de paradiso. c. 12: *Sive delectationem intelligas, quaedam est divino adversa mandato et inimica sensibus nostris; unde s. Paulus ait: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati* [ex quo loco ita colligit August.: *Qualem voluptatem dicat hic iste doctor, in promptu est, quia, ut intelligeremus, adhibuit testimonium apostoli dicentis: Video aliam legem in membris meis* etc., *haec est voluptas illa.]* Idem in libr. de sacram. regenerationis: *Non satis est, ut moriantur vitia, nisi marcescant corporis luxus et omnium vinculorum carnalium compago solvatur* etc.; *nemo sibi blandiatur, non quod volumus, hoc agimus, sed quod odio habemus, hoc facimus. Multa operatur in nobis peccatum, nobis reluctantibrs redivivae plerumque voluptates resurgunt, luctandum nobis adversus carnem est, luctatus est adversus eam Paulus* [addit August.: *attende, Juliane, quomodo ex ista lege peccati, ubi concupiscentia carnis voluptasque contra propositum voluntatis agit suos impetus, cum excitatur, etiamsi actus non peragit, cum frenatur, attende, quomodo ex hac lege peccati omnem generari hominem et ideo trahere originale peccatum, sanctus loquatur Ambrosius in eo ipso de regeneratione libro.]* Idem super Esaiam: *Videamus, ne qua sit post hujus vitae curriculum nostra regeneratio. Sicut enim regeneratio lavacri dicitur, per quam detersa colluvione peccatorum, in regeneratione cum sederit filius hominis, renovamur, ita regeneratio dici videtur, per quam ab omni corpore* [corporeae] *concreationis purificati labe, mundo animae sensu in vitam regeneramur aeternam.* [Ex quo loco ita colligit August.: *distinxit vir sanctus et verax justificationem hujus vitae, quae fit per lavacrum regenerationis, et illius perfectionem, cum et nostra corpora fuerint immortalitate renovata* etc., *vos Pelagiani hic vultis hominem perfici, atque utinam DEI dono, et non libero vel potius servo propriae voluntatis arbitrio! Porro justificatio in hac vita nobis secundum tria ista confertur. Prius*
V. 33. *lavacro regenerationis, quo remittuntur cuncta peccata, deinde congressione cum vitiis, a quorum reatu absoluti sumus; tertio dum nostra exauditur oratio, qua dicimus: dimitte nobis debita nostra.] Audiamus victoriosissimum Martyrem Cyprianum in epist. de mortalit. Cum avaritia nobis,* inquit, *cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitiis, cum illecebris secularibus assidua et molesta luctatio est. Obsessa mens hominis et undique diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si avaritia prostrata est, exsurgit libido; si libido compressa est, succedit ambitio; si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit* etc. ex hoc loco ita colligit August.: *Cyprianus nec avarus nec impudicus nec ambitiosus* etc. *erat, quia his malis motibus partim de origine, partim de consuetudine venientibus fortiter resistebat, non acquiscens esse, quod eum esse cogebant; nec ideo tamen in tam periculoso laboriosoque certamine nullo telo feriebatur hostili, cum dicat in epistola sua de Eleemosynis: Ne quisquam sic sibi de puro atque immaculato pectore blandiatur, ut innocentia sua fretus medicinam non putet esse adhibendam vulneribus, cum scriptum sit: quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur, mundum se esse a peccatis? Et iterum in epist. sua Johannes ponat et dicat, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Si autem nemo esse sine peccato potest, et quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus, aut stultus est, quam necessaria, quam benigna est divina clementia, quae cum sciat non deesse, sanatis quaedam postmodum vulnera, dedit curandis denuo sanandisque vulneribus remedia salutaria. Audi et beatissimum Hilarium, ubi speret hominis perfectionem. Lex docuit, nos in hoc terreni et morticini corporis habitaculo mundos esse non posse, nisi per ablutionem coelestis misericordiae emundationem consequamur, post demutationem resurrectionis terreni corporis nostri effecta gloriosiore natura. Rursus in eodem sermone. Ipsis, inquit, apostolis verbo licet jam fidei emundatis atque sanctificatis, non deesse tamen malitiam per conditionem communis nobis originis docuit dicens: Si vos, cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris.* [Subjungit August.: *Vides, quemadmodum venerabilis catholicus disputator nec in hac vita mundatione nostram neget, et tamen humanam perfectionem speret, i. e. perfectioris mundationis in ultima resurrectione naturam.] Idem in hom. quadam de lib. Job: Memores,* inquit, *et conscii, illa ipsa corpora nostra omnium vitiorum esse materiem, pro qua polluti et sordidi nihil in nobis mundum, nihil innocens obtinemus, gaudeamus esse hostem, in cujus concertatione dimicemus. In expositione psalmi primi dicit, vitia naturae nostrae nos ferre ad peccandum.* Subjungit August.: *vitia, cum quibus nascimur, accusavit* etc. *Nostra natura est primi hominis praevaricatione vitiata. Idem in Psalm. 51: Non ipsa illa justitiae opera sufficient ad perfectae beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei etiam in hac justitiae voluntate humanarum demutationum et motuum non reputet vitia.* Subjungit August.: *Videsne hominem Dei ex illo numero esse beatorum, de quibus praedictum, beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum? Confitetur enim etiam peccata justorum, magis eos asserens in Dei misericordia spem ponere, quam de justitia sua fidere.*

65. Ex his omnibus apparet, veteres ab Augustino contra Pelagium allegatos concupiscentiam in renatis reliquam vocare: 1. peccatum, 2. infirmitatem, 3. iniquitatem, 4. labem, 5. malos motus, 6. vitia naturae, 7. delectationem divino mandato contrariam, 8. tale malum, quod repugnet legi mentis, 9. tale malum, cujus reatus in baptismo remissus, actus vero manet, 10. propter quod corpora nostra sint omnium vitiorum materia, 11. malitiam per conditionem communis originis nobis inhaerentem, 12. malum, propter quod corpus piorum est adhuc corpus mortis, 13. propria vitia ac corporis passiones, 14. tale malum, ex quo etiam liberi renatorum na-
v. 39. scuntur peccato originali obnoxii, 15. propter quod in hac vita non sumus perfecte mundi etc. Quid ergo hic desiderat Bellarminus? *1. graviter accusat Chemnicium, quod ea, quae in distinctis sermonibus Cypriani habentur, conjungat.* Respondemus: Quid vero sceleris in eo commisit? nonne etiam Scripturae dicta invicem conferuntur? adde, quod Augustinum sermones hos conjungentem sequatur; 2. at *Augustinus eo fine posterius Cypriani dictum, quod nemo de puro atque immaculato corde sibi blandiri debeat, eo fine adducit, ut probet neminem in hac vita ita perfecte vivere posse, ut in nullum unquam labatur veniale peccatum. Chemnicius eo fine adducit, ut probet etiam vitiosos illos motus carnis, quibus resistitur, esse peccata.* Respondemus: Utrumque docet ex Cypriano Augustinus, remitti omnia in baptismo peccata, ac nihilominus cum vitiis carnalibus esse luctandum, in quo certamine ipsi renati telo hostili aliquando feriantur ac propter ea non possint sibi de puro et immaculato corde blandiri, proinde in futura demum vita plenam perfectionem esse sperandam. Peccata illa infirmitatis quotidiana oriuntur ex carne, testantur igitur in carne peccatum adhuc inhabitare; pravae illae cogitationes nobis invitis quandoque obrepentes testantur cor adhuc pravum nec omni ex parte immaculatum esse. Cyprianus illis motibus resistebat et tamen de immaculato ac puro pectore sibi blandiri nolebat. *3. Augustinus vult ex Cypriani testimonio probare, eum, qui habuerit originale peccatum, posse nihilominus justitiam operari, cujus contrarium docet Chemnicius, omnia opera renatorum esse peccata.* Respondemus: adducit Augustinus dictum Cypriani eo fine, ut probet naturam humanam nihilominus justificationis per gratiam Dei capacem esse, interim addit, perfectionem justitiae non esse in hac vita sperandam, quod ipsum nos dicimus et propugnamus. *4. Veteres dicunt, si concupiscentiis resistimus, coronam nos obtinere. Ergo concupiscentiae pravae non erunt per se peccata.* Respondemus: distinguendum id, quod per se rei competit, ab eo, quod ex accidenti ei demum tribuitur: pravae concupiscentiae per se et sua natura sunt peccata, sed credentibus in Christum ex accidenti fiunt materia coronae et gloriae; quam multis interim sunt materiae ruinae, quod evidenter arguit, per accidens demum concupiscentiis hoc contingere, ut sint coronae materia. *5. Reliqua dicta exponit Bellarminus de quotidianis peccatis venialibus, de pronitate ad malum, de corruptione et de ordinatione quadam naturae, de infirmitate materialiter tantum legi adversa etc., quorum nihil proprie sit,* sed ipsa dictorum evidentia pro nobis loquatur. 6. Tandem atrocem addit calumniam, *Lutheranos statuere, quod omnia renatorum opera sint mortalia peccata.* Sed quis nostrum ita unquam docuit vel scripsit? docemus, omnia piorum opera esse contaminata et immunda, sed peccata mortalia esse nunquam docuimus; quin imo cum Bellarminus fateatur, nos retinere discrimen inter peccata venialia et mortalia libr. 1. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 4, qua conscientia potest dicere, omnia piorum opera a nobis peccata mortalia vocari? qui quaedam peccata vocat venialia, quomodo opera bona vocaret peccata mortalia?

66. Audiamus alios ex veteribus, praesertim vero Augustinum, qui Pelagiana haeresi excitatus accurate hoc doctrinae Christianae caput pertractavit. Iren. libr. 5. contra haereses p. 560. docet, *quemadmodum oliva neglecta tempore quodam in desertum relicta et silvestria fructificans secundum se oleaster fit, ita homines in negligentia constitutos et concupiscentias carnis tanquam silvestria fructificantes secundum suam causam infructuosos justitia constitui.* utique ergo etiam post baptismum manet peccatum in carne, quod si negligenter tractetur, sui generis pravos fructus profert. Macarius homil. 15, p. 188: *Si perseveres dicere, post baptismum vitium non habere, ubi pascatur aut collocetur in corde* [*οὐκέτι ἔχειν νομὴν τὸ κακὸν τοῦ διαλογίζεσθαι ἐν τῇ καρδίᾳ*], *ignoras, quot ab adventu Domini ad hoc usque tempus baptizati sunt, et nihilominus interdum prava cogitaverunt?* etc. *An non reperimus post baptismum multa committi peccata, ac plerosque delinquere? Post baptismum igitur pabulum habet praedo et licentiam ingrediendi atque agendi pro libitu. Scriptum enim est: Diliges* v. 40. *Dominum tuum ex toto corde tuo; verum dicis: Diligo et habeo Spiritum sanctum. Habesne memoriam et amorem ac flagrans desiderium erga Dominum? esne noctu diuque illi devinctus? et siquidem hac dilectione praeditus es, purus es. Sin ea minus sis praeditus, ultra inquire, ubi se obtulerint negotia terrena, aut cogitationes turpes et pravae, an non ad haec declinaveris* [εἰ μὴ πρὸς ταῦτα ὑποκλίνῃ]. p. 225: *Peccatum quod subiit, occulte et latenter in interiori homine ac mente operatur atque cogitationibus repugnat; nesciunt tamen homines, quod aliena vi impulsi haec agant, sed putant haec esse naturalia,* etc. Lege homiliam istam integram. Idem homil. 16, p. 231: *malum in nobis operatur cum omni potestate et sensu, obscenas cupiditates suggerens.* p. 236: *In nobis haeret malum eo, quod habitet in corde* (ἡμῖν ἔστι κακὸν διὰ τὸ οἰκεῖν ἐν τῇ καρδίᾳ) *et vires suas ibidem exserat, suggerens cogitationes pravas et obscenas nec permittens preces effundere puras, sed captivam ducens mentem per hoc seculum,* etc. Hieronymus

in c. 5. Matth.: προπάθειαν *sive primos motus culpam habere dicit, licet crimine non teneantur.* (Bellarminus excipit, *Hieronymum loqui non de concupiscentia habitualiter inhaerente, sed de primis motibus concupiscentiae, qui nec omnino voluntarii nec omnino involuntarii;* quae concessio nobis sufficit, cum Bellarminus alibi diserte scribat, nullum esse peccatum, quod non sit voluntarium, et primos illos concupiscentiae motus involuntarios non esse peccata). In epist. ad Ctesiph. c. 1. late probat, *nullum in hac vita sine peccato esse posse.* lib. 1. in Amos: *Primum peccatum est, cogitasse quae mala sunt; secundum cogitationibus acquievisse perversis.*

67. Prodeat tandem Augustinus. Is lib. 5. contra Julian. c. 3. diserte suam exponit sententiam. Juliano enim disputanti, quod concupiscentia prava sive cordis inobedientia laudabilis sit, siquidem poena peccati sit, eo in loco sic respondet. *Lauda etiam angelos malos, per quos Deus meritas poenas irrogat peccantibus, qui tamen non sunt nisi praevaricatores atque impii. Lauda caecitatem cordis, quae fuit justa poena et simul grande incredulitatis malum et grandis causa peccati,* etc. *Sicut caecitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, et peccatum est, quo in Deum non creditur, et poena peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur, et causa peccati, cum aliquid caeci cordis errore committitur; ita concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupiscit Spiritus, et peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis, et poena peccati est, quia reddita est meritis inobedientis, et causa peccati est defectione consentientis vel contagione nascentis.* c. 4: *Discerne mala, quae per patientiam sustinemus, ab illis malis, quae per continentiam refrenamus.* c. 5: *concupiscentiam vocat vitium, motum inobedientem, de quo apostolus dicat: Video aliam legem in membris meis.* Ibidem. *Dum hic vivimus, ubi caro concupiscit adversus Spiritum, et Spiritus adversus carnem, quantumlibet in isto conflictu superiores simus, tamen surrepentis voluptatis excessibus in ipsis certe nostrae cogitationis motibus et affectibus si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* lib. 6. contra Jul. c. 5: *Quis ita sit imprudens atque impudens, ita procax, pertinax, pervicax, ita postremo insanus et demens, qui cum peccata mala esse fateatur, neget esse malam concupiscentiam peccatorum, etiamsi adversus eam concupiscente Spiritu peccata concipere ac parere non sinatur. Tale porro ac tam magnum malum tantum quia inest, quomodo non teneret in morte et pertraheret in ultimam mortem, nisi et ejus vinculum in illa, quae fit in baptismo, remissione peccatorum omnium solveretur.* c. 6. dixerat August., *concupiscentiam carnis dimitti in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur, cum reatu soluto tamen maneat;* ex eo colligebat Julianus, concupiscentiam in renatis non amplius esse malam; huic ita respondet Augustinus: *Talia dicis, qualia dicenda sunt eis, qui per baptismum sanctificatam et fidelem factam carnis concupiscentiam affirmant, in eis, in quibus regeneratis, manet tamen* etc. *Quamvis reatus ejus, non quo ipsa rea erat (neque enim aliqua persona est), sed quo reum hominem originaliter faciebat, fuerit remissus atque* V. 41.
vacuatus, absit tamen, ut dicamus sanctificari, cum qua necesse habent regenerari, si non in vacuum gratiam Dei susceperunt, intestino quodam bello tanquam cum hoste confligere, et ab ea peste desiderare atque optare sanari. c. 8: *Non est nulla iniquitas, quando superiora inferioribus turpiter serviunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiamsi vincere non sinantur.* lib. 2. de pecc. merit. et remiss. c. 7: *Non ex qua hora quisque baptizatur, omnis vetus infirmitas ejus absumitur, sed renovatio incipit a remissione omnium peccatorum et quantum quisque spiritualia sapit, in tantum renovatur,* etc.; *profecto qui de die in diem renovatur, nondum totus est renovatus et in quantum nondum est renovatus, in tantum adhuc sub vetustate est.* tract. 41. in Joh.: *Quemlibet valde justum discutias in hac vita, quamvis jam sit dignus justi vocabulo, non est tamen sine peccato,* etc. *Quare, inquit aliquis, non est perfecta libertas? quia video etiam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae; non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi, illud facio: Caro concupiscit adversus Spiritum,* etc. *Ex parte libertas, ex parte servitus.* Ibid. *Nunquid quia in baptismo deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? si non remansisset, sine peccato hic viveremus. Quis autem audeat hoc dicere, nisi superbus, nisi misericordia liberatoris indignus?* etc. *Non dicit apostolus, non sit, sed non regnet peccatum in corpore vestro. Quamdiu vivis, peccatum necesse est esse in membris tuis, saltem illi regnum auferatur,* etc. *atque hoc ipsum peccatum Deus in renatis odisse ibi dicitur.* Epist. 29: *Quamdiu caritas augeri potest, profecto illud, quod minus est, quam esse debet, ex vitio est, ex quo vitio non est justus in terra, qui faciat bonum et non peccet, propter quod vitium si dixerimus, peccatum nos non habere, mendaces sumus, propter quod etiam quantumlibet profecerimus, dicendum est: dimitte nobis debita nostra.* 1. de nupt. et concup. c. 25: *Si quaeritur, quomodo ista carnis concupiscentia maneat in regenerato, in quo universorum facta est remissio peccatorum, quandoquidem per ipsam seminatur et cum ipsa carnalis gignitur proles parentis etiam baptizati, aut certe si in parente baptizato potest esse et peccatum non esse, cur eadem ipsa in prole peccatum sit? ad haec respondetur, dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur,* etc. *est affectio malae quaedam qualitatis sicut languor,* etc. *cujus desideriis non obedire praecipimur, ne regnet peccatum in corpore nostro.* c. 27: *praeterit reatu, manet actu.*

68. Ex his manifeste apparet, quo loco concupiscentia carnis in renatis ab Augustino habeatur,

vocat enim eam: 1. peccatum; 2. tale malum, quod per continentiam refrenandum; 3. quod in baptismo quidem remittatur, actu tamen manet; 4. dicit reatum non tolli ab ipsa concupiscentia, sed ab homine; 5. vocat tale vitium, contra, quod virtute pugnandum; 6. iniquitatem; 7. infirmitatem succumbentem legi; 8. motum inobedientem; 9. languorem obluctantem saluti nostrae; 10. tale malum, quod simul peccatum et causa et poena peccati, 11. quod ideo tantum, quia inest, teneret in morte, nisi vinculum ejus in baptismo solveretur, etc. quid contra hanc lucem Bellarminus? *1. accusat Lutherum, quod crimen falsi commiserit, cum Augustinus nuspiam dicat, concupiscentiam ita manere in renatis, ut sit peccatum, sed non imputari, nec reos facere, nec esse peccatum.* Ulenbergius causa 14. suae ἀπο-
V. 42. *στασίας addit, Philippum hunc suum errorem in conventu Wormatiano confessum.* Respondemus: utrumque dicit Augustinus, et manere in renatis concupiscentiam, et sua natura peccatum esse, licet in peccatum non imputetur: 1. de nupt. et conc. c. 25. dicit, *dimitti concupiscentiam in baptismo non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur*, id lib. 6. contra Julian. c. 6. sic exponit, *non ab ipsa concupiscentia, sed ab homine baptizato reatum tolli, ipsam interim concupiscentiam esse et manere malum, et quidem tale, quale est stultitia illa, qua baptizati non intelligunt ea, quae sunt Spiritus Dei, quae certe peccatum est;* quin imo praecedente c. 5. probat, *concupiscentiam pejorem esse illa ignorantia.* Synonyma igitur sunt Augustino concupiscentia et peccatum; 2. negat, *per reatum concupiscentiae intelligi eum, qui ab ipsa oritur et in ipsa fundatur; sed reatum illum, quo ipsa facta est;* id quod Augustini dictis evidenter adversatur; cum enim peccatum originale inprimis in illa concupiscentia fundari Augustinus asserat, quomodo non talem reatum huic concupiscentiae tribueret, qui ab ipsa oritur et in ipsa fundatur? 3. disputat, *concupiscentiam dici peccatum, non quod ipsa in se et per se sit peccatum, sed quia est causa peccati, et quia materialiter tantum est peccatum.* Respondemus: utrumque dicit Augustinus, quae ergo ipsi sunt subordinata et connexa, ea Bellarminus accipit ut opposita et disjuncta; 4. concedit, *concupiscentiam esse malam, esse non sanctam, esse deordinationem quandam et corruptionem; interim negat esse peccatum.* Respondemus: consideretur integra descriptio ex Augustino proposita, et apparebit, non poenae tantum, sed et culpae malum concupiscentiam ab ipso vocari. Ubicunque vero negat concupiscentiam esse peccatum, intelligit peccatum cum reatu actuali conjunctum; sic enim se ipsum exponit: 1. de nupt. et concup. c. 26: *hoc est, non habere peccatum, reum non esse peccati.* Augustinum imitatur Bernh. serm. 6. de adventu Domini. col. 12: *Dico vobis, genus illud peccati, quod toties conturbat nos (concupiscentias loquor et desideria mala) reprimi quidem debet et potest, per gratiam DEI, ut non regnet in nobis, sed non ejicitur, nisi in morte.* serm. de coen. Domini. col. 126: *In casu primi hominis cecidimus omnes. Cecidimus autem super acervum lapidum et in luto, unde non solum inquinati, sed etiam vulnerati et graviter quassati sumus. Lavari quidem cito possumus, ad sanandum vero opus est curatione multa. Lavamur igitur in baptismo et gratia haec nobis confertur, ne jam nobis concupiscentia noceat, si tamen a consensu abstineamus.*

69. Quid, quod ipsi Pontificii huic nostrae sententiae veritatis testimonium ferunt. Cassander in consult. art. 2: *Ex Augustino et reliquis ecclesiasticis scriptoribus convenit, eam concupiscentiam etiam post baptismum reliquam, apostolum et eum secutum Augustinum peccatum nonnunquam appellare, non modo quia ex peccato facta est, sed quia est fomes peccati et dominationi mentis resistit. Certe insignis theologus aperte asserit, etiam in regeneratis manere peccatum, etiamsi non imputetur,* etc. *Si peccati rationem in vitio illo et iniquitate, languore et morbo constituas, cui Spiritu resistendum est, ne illicitos actus gignat, non inepte peccatum dicitur. Sin peccati rationem in ipsa offensa Dei et reatu, cui ex adverso poena et damnatio respondet, sitam intelligas, non est peccatum in regeneratis, quia nisi voluntas ei consentiat, ad peccatum non deputatur.* (Idem et nos dicimus.) Driedo lib. 1. de grat. et lib. arbit: *Originale peccatum solvitur quidem in hac vita regeneratione baptismi, non ut non sit, sed ut in culpam non deputetur.* Ludov. Vives in comm. August. de civ. Dei lib. 1. c. 9: *Tam potentissime visceribus nostris inhaeret rei venereae cupiditas, ut ne cogitare quidem de explenda libidine possimus, quin voluptate nescio qua occulta tangamur, quam plerique nimium veniale peccatum esse volunt.* Staplet. in Antid. Rom. 7. p. 363: *aliquo sensu etiam ipsis renatis haec ipsa in se concupiscentia, quoad primos ejus motus pravaque desideria in hoc praecepto (non concupisces) continetur, non quod sub poena peccati mortalis aut* V. 43.
venialis obliget hoc praeceptum, sed quod doceat naturae morbum et quaerere medicum, et quod ad quotidianum profectum docendo incitet. (Si concupiscentia Dei praecepto prohibetur, quomodo non erit peccatum? frustra elabi conatur per distinctionem inter prohibitionem per modum doctrinae et per modum obligationis.) Ipse Bellarminus fatetur passim, *concupiscentiam esse legem membrorum repugnantem legi mentis, esse vitiatam animi potentiam, assimilari canibus rabiosis, esse iniquitatem, in carne materialiter, in mente formaliter esse peccatum, esse vitium, repugnare virtuti, esse illicitam, odio haberi a Deo, repugnare legi Dei, non solum in carne, sed etiam in mente sedem habere, contra spiritum usque ad mortem pugnare, impedire rationem, longe pejorem esse bestiarum concupiscentia,* etc. quomodo igitur negare poterit esse in se et sua natura peccatum? Cur discedit Bellarminus a Lombardo, qui 2. sent. dist. lit. E. diserte scribit: *Interior tentatio est, quando invisibiliter malum nobis intrinsecus suggeritur, et haec tentatio aliquando fit*

Testimonia ipsorum adversariorum.

ab hoste, aliquando a carne. Nam et diabolus invisibiliter mala suggerit, et ex carnis corruptione suboritur motus illicitus et titillatio prava, ideoque tentatio, quae ex carne est, non fit sine peccato; quae autem est ab hoste, nisi consentiatur, non habet peccatum, sed est materia exercendae virtutis. lib. 3. dist. 17. lit. B.: *in Christo caro non concupiscebat contra Spiritum, qui, ut Augustinus ait, nonnullum est vitium, cum caro concupiscit adversus spiritum.* lib. eod. dist. 19. lit. C.: *adhuc exspectamus redemtionem corporis, secundum animas vero jam redemti sumus ex parte, non ex toto, a culpa, non a poena, nec omnino a culpa; non enim sic ab ea redemti sumus, ut non sit, sed ut non dominetur.*

Rationes concupiscentiam peccatum esse probantes.

70. Dispiciamus, quid ad rationes ex Scriptura pro nostra sententia deductas Bellarminus respondeat: *1. motus concupiscentiae etiam involuntarii sunt illiciti; utique ergo et peccata.* Excipit Bellarminus, *esse illicitos, quia non liceat eis obedire, non quia non liceat eos invito animo pati.* Respondemus: utroque modo sunt illiciti, non solum ratione consensus, sed etiam in se et per se, quia lege divina prohibentur. Utrumque lex dicit: Non concupiscas, et post concupiscentias tuas non eas. Exemplum, quod Bellarminus affert de eo, *qui per vim vel ignorantiam turpitudinem committit*, alienum est, quia carnis concupiscentiae licet spiritui molestae, carni tamen gratae sunt, et quid de involuntariis actualibus delictis statuendum sit, suo expositum dabitur loco. 2. Concupiscentia per se trahit ad malum. Ergo prohibetur non minus, quam ipsum malum. Excipit Bellarminus, *ipsum malum non prohiberi proprie, nisi quatenus est in potestate nostra illud committere vel cavere, ergo multo magis concupiscentiam non aliter prohiberi.* Respondemus: hac ratione omnia peccata, infirmitates et ignorantiae tollentur, quae cavere in hac carnis fragilitate non possumus; sufficit nos in primo homine vires illas talia cavendi olim accepisse. 3. Qui cogenti cupiditati non potest resistere et ideo peccat, nihilominus vere et proprie peccat. Ergo etiam is peccat, qui invitus carnis concupiscentias sentit. Excipit Bellarminus, *motus involuntarios concupiscentiae nullo modo esse in nostra potestate, sed desiderium peccati voluntarium esse in potestate nostra, si non immediate, quando scilicet judicio divino deserti non habemus vires, quibus cogenti cupiditati resistere valeamus, tamen mediate, quia possumus a Deo auxilium gratiae petere.* Respondemus: utrobique est par ratio. Quemadmodum Deus justo judicio homines impoenitentes indurat et excaecat, ut voluntariis peccati desideriis resistere non possint, quae tamen nihilominus vere et proprie sunt peccata; ita quoque propter peccatum primorum parentum justo Dei judicio in miseram illam peccandi necessitatem incidimus, ut non possimus non sentire pravos concupiscentiae motus, qui nihilominus sunt vere et proprie peccata. 4. Concupiscentiam pravam Deus et renati odio prosequuntur, utique ergo est peccatum. Excipit Bellarminus, *concupiscentiam odio haberi a Deo et tamen non esse peccatum, sed tantum malum.* Respondemus: quodcunque malum Deus odit, illud V. 44.
est malum culpae; mala enim poenae infliguntur a DEO, quomodo igitur ea Deus oderit? mala poenae, quatenus talia, non debent renati odisse, sed patienti animo suscipere ac perferre; adde quod Bellarminus concilio Tridentino contradicat, quod statuit Deum nihil in renatis odisse. Ergo nec concupiscentia in renatis odio habetur a Deo. Respondet Bellarminus, *concilium intelligendum esse de odio, quod redundet in personam; jam vero propter concupiscentiam, quae est in renatis, Deus non odit ipsos renatos;* quod rectissime quidem dicitur, sed non est sententiae concilii conforme, ea enim nobis opposita est ac nostram sententiam anathemate percellit, qua statuimus, in renatis vere et proprie dictum peccatum habitare, licet renatos non faciat actu reos et damnatos. Ergo aut Bellarminus sententiam concilii non assequitur, aut concilium non assequitur nostram. 5. Concupiscentia non est a Deo. Atqui omnis poena est a Deo. Ergo concupiscentia non solum est malum poenae, sed et culpae. Excipit Bellarminus, *etiam mortem non esse a Deo.* Respondemus: Deus quidem mortem non fecit Sap. 1, v. 13, id est, absoluto aliquo odio hominem morti non subjecit; interim tamen propter peccatum justo suo judicio hominem fecit morti et variis calamitatibus obnoxium. Augustinus 1. contra Julian. c. 7: *mortem Deus intulit non ut primus auctor, sed ut peccati ultor.* Dispar igitur hic est ratio. Mors est tantum poena, non autem culpa, sed prava concupiscentia est simul poena et culpa, perinde ut quaedam peccata actualia simul sunt poenae praecedentium delictorum. 6. Nulla poena hujus vitae est, quae ob finem bonum expeti non possit; at concupiscentia ob nullum finem recte expeti potest. Bellarminus excipit, *etiam ignorantiam rerum necessariarum ad salutem et tentationes Satanae esse peccati poenas, quae tamen expeti non debent.* Respondemus: nos hoc argumento non utimur, cui tamen ita respondet Bellarminus, ut nostram sententiam confirmet. Si enim ignorantia rerum necessariarum ad salutem et concupiscentia prava pari loco habendae sunt, utique concupiscentia erit simul peccatum et poena primi peccati, absit enim ut dicamus illam mentis caecitatem per primum Adae peccatum in posteros introductam non esse peccatum. Porro inter tentationes Satanae et carnis differentiam esse ostendit Lombardus 2. sentent. dist. 21. lit. E. 7. Christus in omnibus nobis similis factus absque peccato. Idem tamen concupiscentiae pravae non fuit obnoxius. Excipit Bellarminus, *etiam ignorantiam noluisse Christum assumere, quae tamen non sit peccatum, si sit omnino involuntaria.* Respondemus: ergone ignorantia illa per primum peccatum in omnes posteros introducta peccatum non erit? quod igitur vel quale erit originale peccatum in infantibus? Observa autem ner-

vum argumenti fortius constringi, si addatur, quod Pontificii statuant ex ipsa materiae conditione pravas concupiscentias oriri, remoto saltem justitiae originalis freno; illa igitur materiae conditio aut non erit in Christo, et sic non erit nobis ὁμοούσιος; aut addendum ei itidem aliquod justitiae frenum, et sic actu primo peccatum in ipso erit. 8. Omnis ἀνομία est peccatum. Prava illa concupiscentia est ἀνομία. Excipit Bellarminus, *1. per jocum a multis hoc eludi*, qui ἐξουθενισμὸς ad sophisticas respondendi rationes pertinet. 2. Concedit, *concupiscentiam esse peccatum materialiter et largo modo, qua ratione etiam naturae et artis vitia dici possint peccatum, sed argumentum nostrum probat*, concupiscentiam proprie et formaliter esse peccatum, quippe quod a norma legis divinae recedat. 3. Aliter igitur respondet, *non omne, quod dissidet a legis norma, esse ἀνομίαν; sed ipsam discordiam, ipsam repugnantiam ac recessum formaliter esse peccatum, cum diabolus et voluntas humana etiam a lege divina dissideant nec tamen proprie sint peccatum.* Respondemus: quasi vero hoc ignotum fuerit Dn. Chemnicio, qui in examine concilii propter lusum illum puerilem graviter Andradium exagitat. Ipsa per se concupiscentia est motus indifferens, sed quatenus vitiositas ei inhaeret, eatenus est ἄνομος, et eo respectu ἀνομία ei tribuitur. *4. Concupiscentia repugnat legi, sed non est ipsa formalis repugnantia, neque repugnat ut actio recedens a norma legis, neque ut potentia vel persona, quae*
V. 45 *normam sequi teneatur, sed repugnat ut incitans, et impellens ad praevaricandam legem, perinde ut diabolus legi repugnat.* Respondemus: concupiscentia prava accipitur tum de concupiscentia habitualiter inhaerente, tum de primis ejus motibus; utroque modo repugnat legi et recedit a norma legis; quae duo hic sunt ἰσοδυναμοῦντα. Vanum ergo est effugium Bellarmini, quod nititur hac hypothesi, quasi concupiscentia tantum repugnet legi incitando ad peccatum, et non etiam sit habitus a norma legis recedens, cum utrumque concupiscentiae Scriptura tribuat. Concessit Bellarminus superiori c. 10. praecepto DEI, Non concupisces, prohiberi etiam primos concupiscentiae motus, (quod nisi concessisset, ex ipsis legis divinae visceribus late demonstraremus, qua de re videatur Dn. Chemnicius in locis comm. capit. de lege Dei) quomodo ergo negare poterit, pravam concupiscentiam esse ἀνομίαν et deviationem a lege? Quod ergo de diabolo addit Bellarminus, id sic invertimus. Quaemadmodum diabolus pravas cogitationes homini suggerens non tantum incitat hominem ad peccandum (et sic repugnat legi), sed etiam ipsemet peccat (et sic recedit a lege); ita prava carnis concupiscentia non tantum incitat mentem renatam ad peccandum, sed etiam ipsa peccato est infecta, et sic non solum repugnat legi, sed etiam a lege recedit. Suggestiones Satanae semper sunt peccata, si non semper nostra (nimirum si non admittantur), tamen Satanae peccata sunt; ita suggestiones carnis itidem sunt peccata, non aliena, sed nostra, quia in nostra carne oriuntur, quo pertinet Lombardi dictum, quod tentatio, quae est ex carne, non fiat sine peccato. Res est satis perspicua et manifesta, quam sophisticis suis nebulis nunquam ita involvet Bellarminus, quin veritatis splendor emicet. *5. Johannes nuspiam dicit, omnem ἀνομίαν esse peccatum, sed omnem ἀδικίαν, quae est species, ἀνομία autem genus.* Respondemus: quis tandem erit sophisticationum finis? apostolus diserte dicit 1. Joh. 3, v. 4: *Omnis qui facit peccatum*, etiam ἀνομίαν ποιεῖ, et peccatum est ἡ ἀνομία, ex quo immediate sequitur, quod ἀνομία et ἁμαρτία sint termini reciproci, neque enim de corporis vel artis vitiis hic agit apostolus, quae non sunt ἀνομίαι proprie dictae, cum a norma legis divinae non aberrent; ἀδικία sumitur vel universaliter, et sic omnis ἁμαρτία est ἀδικία, perinde ut justitia in sese virtutem continet omnem; vel particulariter, et sic ἀδικία est species ἁμαρτίας, quid vero ex eo contra nostram sententiam elicere potest Bellarminus? *arguit Chemnicium, quod dixerat, omnem ἀνομίαν esse peccatum, et omnem ἀδικίαν esse peccatum*, cum utrumque diserte pronuntiet apostolus. Caeterum ut appareat quam prope ad Pelagiana castra Bellarminus accedat, diligenter notamus, quod hoc loco scribit: *Depravationem humanae naturae non esse conformem legi divinae, verum est, si agatur de lege in universum, non autem si agatur de lege, cujus praevaricatio inducat reatum, sitque peccatum proprie dictum. Nam etsi depravatio, quae est in voluntate, si accipiatur pro aversione a Deo, sit vere peccatum; tamen depravatio, quae est in intelligentia vel in carne, nec non pronitas quaedam voluntatis ad obsequendum desideriis carnis, et difficultas ejusdem ad obsequendum Deo, non est contra legem ullam, cujus praevaricatio sit peccatum proprie dictum, et ideo non est per se ex natura sua peccatum. Quod enim attinet ad legem primae institutionis naturae, non est ea lex moralis, cujus praevaricatio reum constituat transgressorem. Non enim jussit Deus, ut homo nasceretur cum justitia originali vel hoc aut illo modo; sed instituit naturam, sicut voluit, et ornavit iis donis, quibus illi placuit eam ornare, et idem attribuit principia, ex quibus propagari posset; si quando autem contingit, ut aliter res oriatur, quam Deus instituerit, est quidem in ea re peccatum aliquod naturae, sed non tale peccatum, quod supplicio dignum sit*, etc. *Quod attinet ad legem naturae, quae jubet, ut vitam agamus secundum rationem, quam legem viribus naturae corruptae servare non possumus, dico posse legem illam bifariam considerari; primo ut significat legem moralem, quae proprie imperat voluntati, ut sequatur ductum rationis, non consentiat desideriis carnis*, etc. *et hoc modo vera lex est, sed ejus praevaricatio non est peccatum originale, sed actuale; secundo ut significat ordinem et congru-* V. 46
entiam naturalem, quae requirit, ut pars superior imperet, inferior subjiciatur, etc. *Et hoc modo lex ista*

naturae eadem est cum institutione naturae, contra quam institutionem pugnant rebellio carnis et difficultas voluntatis, sed ea non sunt peccata proprie dicta, sed poenae peccati, et defectus consequentes materiam, quemadmodum se habet rubigo in cultro ferreo. Haec omnia Bellarminus non amplius indirecte, sed aperte Pelagianismum propugnans.

Antithesis adversariorum, quod concupiscentia non sit peccatum.

71. Atque haec dicta sint pro nostrae sententiae confirmatione, quod concupiscentia in renatis reliqua vere sit peccatum; videamus quae sit Pontificiorum de hac concupiscentia opinio. Concil. Trident. sess. 5: *Concupiscentiam illam, quam aliquando apostolus peccatum vocat, sancta synodus declarat, ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.* Bellarminus sententiam concilii ita explicat lib. 5. de amiss. grat. et statu peccati c. 7: *Asserimus naturae corruptionem sive concupiscentiam, qualis remanet post baptismum in regeneratis, non esse peccatum originis, non solum quia non imputatur, sed etiam quia imputari non potest, cum nullum sit ex se vel sua natura peccatum* libro 4. de amiss. grat. et stat. peccat. c. 2: *Cinglius docet, morbum, qui a peccato primi hominis redundat in omnes homines, non esse proprie, sed metonymice peccatum, id est, effectum et causam peccati, in hoc convenit Cinglius cum catholicis, dissentit a Luthero* lib. 5. c. 10: *non concupiscentia carnis, sed cordis, id est, voluntaria prohibita est in lege, Non concupisces* (quod descripsit ex Johanne a Daventria in refutat. art. secund. Augustan. confess., qui itidem sic scribit: *Non praeceptum est carni, nec animae sensitivae, sed intellectivae: Non concupisces.)* Les jesuites de Bordeaux au. 2. Inventaire c. 12. du Peché originel. p. 79: *Asserimus proclivitatem ad malum, quae in homine, concupiscentiam illam et naturae labem, qua nos in malum proni sumus, non esse peccatum, quin imo absque Spiritus sancti auxilio rationi et libro arbitrio ita subjici, ut nihil magis.* Molan. tract. 5. c. 27. concl. 4: *Multae cogitationes contra fidem et imaginationes impurae non sunt peccata* (eodem modo Bellarm. 5. de amiss. grat. c. 7. col. 374: *non est veri nominis peccatum ipsa titillatio et incitatio etiam cum delectatione conjuncta, nisi aliquo modo consensum mentis obtineat.)* Ex quibus apparet, Pontificios non solum concupiscentiam habitualiter inhaerentem, hoc est, ipsum originale peccatum, sed etiam primos concupiscentiae motus in renatis non habere pro peccato proprie sic dicto, nimirum ut perfectionem, meritum et supererogationem bonorum operum coram Dei judicio stabilire possint.

Argumenta ex Scripturis.

72. Bellarminus lib. 5. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 5. nostram referens sententiam per calumniam tribuit Chemnicio, *quod statuat, non solum concupiscentiam, sed ipsam etiam molem carnis, quamvis nondum formatis organis, esse vere proprieque peccatum.* Respondemus: nuspiam dicit Chemnicius, massam illam peccatum esse, sed peccato contaminatam, quae contaminatio juxta Davidis confessionem veram rationem peccati habeat, Bellarminus contra conscientiae suae testimonium haec duo, peccatum esse et peccato contaminatum esse confundit et tamen c. 6. sequent. de mendaciis et calumniis nostrorum conqueritur, quae revera nullae sunt, si verba ipsorum diligenter excutiantur, ut superius in distinctis locis ostendimus. Expendamus Bellarmini rationes, 1. Jac. 1, v. 15: *Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. Ergo concupiscentia, i. e. potentia prona, et primus ejus motus absque consensu nondum est peccatum.* Respondemus: 1. Concupiscentiam parere peccatum dicit apostolus, concupiscentiam peccatum non esse nuspiam dicit; 2. sed nec firma consequentia ex apostoli dicto hoc potest elici; possem enim simili ratione concludere: Rom. 5, v. 12: *per unum homine intravit peccatum in mundum*, v. 19: *per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Ergo ille homo non fuit peccator, ergo illius obedientia non fuit peccatum; 3. quin potius si concupiscentia peccatum parit, ipsa peccatum erit, cum gignens et genitum si non semper specie, tamen genere invicem communicent; 4. nec unius inclusio statim est alterius exclusio, proinde non licebit colligere: Concupiscentia parit peccatum. Ergo ipsa non est peccatum; 5. quin potius distinguit apostolus peccatorum gradus et de actuali mortali peccato quaerit, unde oriatur? respondet autem ex concupiscentia prava, non a Deo oriri, quamvis igitur in renatis concupiscentia habitualiter inhaerens et primi concupiscentiae motus, quibus per Spiritum resistitur, non sint actualia mortalia peccata, tamen inscite ex eo infertur, quod plane nullo modo sint peccata, hoc esset a negatione speciei ad negationem generis procedere, quod ἀφιλόσοφον; 6. contrario modo Christus procedit. Ex malis fructibus de malitia arboris judicandum esse docet, ex cogitationibus aliisve pravis motibus de cordis pravitate nos convincit, etc. Matth. 7, v. 17. c. 15, v. 19. Luc. 6, v. 43. etc.; 7. quid, quod ipsa actualia mortalia peccata sunt sibi invicem causae, nec tamen actualia mortalia in se et per se esse desinunt. Eph. 5, v. 18: *ex vino* (vel ebrietate) *est* ἀσωτία, nihilo tamen minus et ebrietas et ἀσωτία sunt actualia mortalia peccata, quanto minus ita licebit colligere: Concupiscentia concipiens et pariens peccatum actuale mortale profert. Ergo ipsa nullo modo est peccatum; 8. Augustini Cyrilli et Bedae commentationes in hunc locum nobis non adversantur, asserunt, concupiscentiam parere peccatum, omne peccatum habere voluptatem quandam praeviam; concupiscentiam, cui resistitur, parere coronam vitae, quod nemo nostrum negat, inde tamen nondum evincitur, concupiscentiam sua natura peccatum non esse.

Jac. 1: Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum.

V. 47.

73. 2. Rom. 7, v. 20: *nunc ergo non operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* v. 18: *scio enim, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Ergo concupiscentia in carne renatorum*

Rom. 7: Non ego operor illud, sed peccatum.

habitans et ad peccata impellens non est peccatum. Respondemus: mirum, qua arte ex hoc loco exsculpi possit, concupiscentiam peccatum non esse, cum diserte peccatum appelletur. Excipit Bellarminus, *satis aperte id ex duobus colligi; nam primo dicit apostolus, motum concupiscentiae non esse suum opus, ac per hoc non posse sibi imputari, quo enim jure mihi imputari possit, quod meum non est! Deinde addit, hujusmodi malum non in se, sed in carne esse; constat autem carnem non esse capacem peccati proprie dicti.* Respondemus: apostolus non negat absolute et simpliciter, motus illos esse suum opus, sed se (quatenus est regeneratus) illo opere non delectari pronuntiat; v. 19. expresse dicit, se quod nolit malum, hoc agere, quomodo ergo absolute negaret, motus illos pravae concupiscentiae suos esse? ideo autem dicit, se illos non operari, quia eis non delectatur, qui ex Spiritu nollet illos sentire. Augustinus 1. de nupt. et concup. c. 27: *Agit aliquid concupiscentia carnis, etiam quando non exhibetur ei vel cordis assensus, ubi regnet, vel membra vel arma, quibus impleatur, quod jubet. Agit autem quid, nisi desideria mala et turpia? hinc apostolus velut ex suae personae introductione nos instituit, dicens: non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio, id est, concupisco, quia et nollet hoc facere, ut esset omni ex parte perfectus; verum quia concupiscere nolebat et tamen concupiscebat, sed eidem concupiscentiae nequaquam consentiendo serviebat, adjunxit atque ait: nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Lib. 1. contra duas epist. Pelag. c. 10: *Dicit apostolus: Nunc autem jam non ego operor illud, sed id quod habitat in me peccatum. Quid est, nunc autem, nisi jam nunc sub gratia, quae liberavit delectationem voluntatis a consensione cupiditatis? non enim melius intelligitur, non ego operor, nisi quia non consentit exhibere*
v. 48. *membra sua arma iniquitatis peccato. Nam si et concupiscit et consentit et agit, quomodo non ipse illud operatur, etiamsi se operari doleat et vinci graviter ingemiscat?* serm. 5. de verb. apost.: *Non quod volo, ago; sed quod odi, illud facio. Quid facio? concupisco. Etsi concupiscentiae non consentio, post concupiscentias meas non eo, tamen adhuc concupisco, et utique etiam in ipsa parte ego sum. Non enim ego alius in mente, et alius in carne, sed quid igitur ipse ego? quia ego in mente, ego in carne. Non enim duae naturae contrariae, sed ex utroque unus homo, quia unus Deus, a quo factus est homo.* Et postea: *Mihi malum adjacet, et hoc mihi. Num enim caro non mea, aut de alia substantia caro, aut de alio principio caro, aut anima ex Deo et caro de gente tenebrarum? absit, etc.* Haec omnia Augustinus, quae sunt immotae veritatis. Cum enim ipsa illa concupiscens caro sit apostoli caro, quomodo motus concupiscentiae in carne suos esse absolute negaret? num peccatum aliqua substantia ab ipso apostolo aliena? Denique si nemini potest imputari, quod non est suum, hoc est, quod non agit deliberata mente, negabitur iterum διαῤῥήδην originale peccatum.

74. Ad posterius Bellarminianae exceptionis membrum respondemus, carnis nomine hic intelligi non ipsum corpus nec inferiorem tantum animae partem, (ut loquuntur), sed totum hominem, quatenus sub carnis vetustate adhuc constitutus est, usitatissima Scripturae phrasi. Bellarminus expresse concedit, in multis Scripturae locis, utpote Joh. 3. Galat. 5. etc. per carnem intelligi omnes potentias tum inferiores tum superiores per peccatum corruptas, negat vero in hoc 7. capit. Rom. pro toto homine accipi, idque variis adductis in medium rationibus. *1. Apostolus non vere diceret, non ego operor illud, si per carnem totus homo intelligeretur; quomodo enim non ipse operatur, quod ejus caro et animus, hoc est, ipse totus operatur?* Respondemus: sane apostolus Spiritu renovatus non consentiebat desideriis carnis, sed eis resistebat, interim tamen ipsa ejus anima non minus atque corpus sub carnis vetustate adhuc quodammodo erat constituta. Negat igitur apostolus se operari motus illos concupiscentiae non simpliciter (quia actiones sunt suppositi, et caro concupiscens erat propria apostoli caro), sed respectu habito ad consensum mentis renovatae. Distinguit inter subjectum quod et subjectum quo. Non ego operor illud, scilicet mente, quatenus est regenerata; sed peccatum illud operatur, hoc est, ego propter peccatum in carne adhuc reliquum. *2. Apostolus correctionis loco addit non in se, sed in carne sua illud malum habitare. Ergo non erat in ipso toto.* Respondemus: ἐξήγησις est, non ἐπίπληξις; declaratio, non correctio. Quia enim spiritu mentis renovatus motus illos concupiscentiae detestabatur, ideo se illos operari negat, puta quatenus spiritualis; faciebat enim illud quod oderat, quatenus carnalis, sub peccatum venumdatus v. 14. Opponit apostolus se ipsum Spiritu renovatum peccato in carne adhuc habitanti; fit ergo oppositio ejusdem, sed non secundum idem, ut patet ex vers. seqq. Si motus concupiscentiae plane nullo modo erant opus Pauli apostoli, quare propter eos sese vocat miserum et ab iis liberari expetit? *3. Apostolus diserte distinguit mentem a carne, id est, unam partem hominis ab altera.* Respondemus: mentem a carne utique distinguit, sed nomine mentis intelligit animam totam, quatenus renovata est: carnis nomine eandem totam, quatenus adhuc sub carnis vetustate constituta; ipse Bellarminus c. 15. hujus libri agnoscit in ipsa renatorum mente, hoc est, ut ipse loquitur, in parte animae superiore inveniri vitium pravae concupiscentiae. *4. Apostolus* ad Romanos capite sexto *in corpore mortali hoc malum esse dicit et hoc loco a corpore liberari expetit. Ergo in solo corpore peccatum habitat.* Respondemus: magna est in sermone apostolico emphasis; opponit enim vitam praesentem, in qua venumdati sumus sub peccatum ac circumferimus in nobis ipsis peccatum et mortem, vitae aeternae, in qua perfecta erit renovatio totius hominis et ab omni peccato liberabimur, ut non solum non regnet

Quid carnis nomine Rom. 7. intelligatur.

V. 49. in nobis, sed et plane non sit in nobis. Appellat corpus mortis, quia propter peccatum adhuc in nobis habitans subjecti sumus morti, quae non solum definienda est destructione corporis, sed etiam dolore ac miseria animae e proprio suo domicilio egredi compulsae. Chrysostomus serm. 13. in epist. Rom.: *Cum audis quod dicit: Quis me eripiet de corpore mortis hujus? noli putare, quod carnem accuset.* Augustinus 1. de nupt. et concup. c. 13: *ad corpus mortis hujus intelligitur pertinere, ut alia lex in membris repugnet legi mentis, dum caro concupiscit adversus spiritum, etsi mentem non subjuget, quia et spiritus concupiscit adversus carnem.* Ubi observa juxta Augustinum, per carnem, membra, corpus mortis etc. idem hic intelligi, quod Gal. 5. per carnem spiritui repugnantem intelligitur, jam vero fatetur Bellarminus Gal. 5: *nomine carnis totum hominem, quatenus adhuc nondum plene renovatus est, intelligi, id quod etiam res ipsa demonstrat; negari enim nulla veritatis specie potest, etiam renatos a carne solicitari ad haereses, superbiam, avaritiam,* etc. *5. nomine mentis intelligit apostolus interiorem hominem, quo nomine anima intelligitur* (2. Cor. 4); *nomine exterioris hominis corpus.* Respondemus: interiorem illum hominem de die in diem renovari pronuntiat apostolus, utique ergo nondum plene renovatus, et in quantum nondum renovatus, in tantum adhuc sub vetustate (et sub peccato) constitutus, ut recte colligit Augustinus 2. de peccat. merit. et remiss. c. 7. Per carnem ipse Bellarminus intelligit non solum corpus, sed etiam inferiorem animae partem, jam vero illa inferior pars est realiter unum cum ipsa anima ἀμερίστῳ καὶ ἀθανάτῳ, quomodo igitur carnem et exteriorem hominem, Rom. 7. et 2. Cor. 4. esse ἰσοδυναμοῦντα obtinebit? *6. caro, cum in malam partem usurpatur, non nisi impiis tribuitur.* Respondemus: an non diserte Apost. Rom. 7. v. 14. *ego adhuc carnalis sum?* Galat. 5, v. 16. (in ipsis renatis) *caro concupiscit adversus Spiritum.* Quamvis igitur renati sint per Spiritum sanctum a reatu peccati et carnis dominio liberati (quo respectu in carne esse negantur); tamen ex parte sub carnis infirmitate adhuc laborant et ad perfectam renovationem adhuc consequendam aspirant (quo respectu carnales dicuntur). 7. *Augustinus itidem nomine carnis intelligit tantum corpus et partem inferiorem.* Respondemus: 2. de pecc. merit. et remiss. c. 7. diserte scribit, *excepto etiam corpore in ipso animo, qui est homo interior, non fieri perfectam novitatem, ac veterem hominem intrinsecus exui, novum intrinsecus indui.* lib. 6. contra Jul. c. 5: *motibus suis anima, quos habet secundum spiritum, adversatur aliis motibus suis, quos habet secundum carnem, et rursus motibus suis, quos habet secundum carnem, adversatur aliis motibus suis, quos habet secundum spiritum, et ideo dicitur caro concupiscere adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Sed propter hoc et de ipsa anima dictum est, renovatur de die in diem.* Sufficit nobis juxta Augustinum 14. de civit. Dei c. 2. et alibi passim, carnis nomine Gal. 5. totum hominem, quatenus sub peccati jugo adhuc constitutus est, intelligi; jam vero ab illa concupiscentia carnis etiam in superioribus animae viribus renati nondum sunt plene ac plane liberi; utique ergo nomine carnis Rom. 7. itidem totus homo intelligitur, cum in persona renatorum apostolus ibi loquatur. Ac ne ullum hac de re supersit dubium, urgemus sequentia argumenta: 1. Ubicunque Scriptura carnis nomine describit naturae humanae corruptionem per peccatum introductam, intelligitur omnium animae partium corruptio et contaminatio. Jam vero nomine carnis Rom. 7. describitur humanae naturae corruptio per peccatum introducta et ex peccato relicta. Ergo, etc. 2. Apostolus de renatis testatur 1. Corinth. 3. et 6, quod corpora ipsorum sint templa Spiritus sancti, non minus ut hoc loco Rom. 7. mente ipsos legi Dei servire dicit. Ergo non potest tale inter corpus et mentem renatorum discrimen constitui, quasi mens tota renovata sit et totum corpus sub vetustate adhuc constitutum, sed carnis, corporis et membrorum nomine intelligitur vetus Adam, totus homo, quatenus adhuc carnalis; nomine mentis ac Spiritus intelligitur novus homo, hoc est, itidem totus homo, quatenus renovatus est. 3. Quando
opera carnis Gal. 5. enumerantur, talia carni παθή- V. 50.
ματα tribuuntur, quae nec soli corpori nec inferioribus animae facultatibus tantum, sed ipsi superiori portioni (ut loquuntur) competunt, ut constat. Jam vero de eadem carne renatorum loquitur apostolus Rom. 7; utique ergo nomine carnis totus homo, quatenus adhuc nondum plene in omnibus viribus renovatus est, intelligitur. 4. Illam carnem apostolus intelligit, Rom. 7, cui postea Rom. 8, v. 6. et 7. τὸ φρόνημα adscribit. Jam vero φρονεῖν est superioris animae facultatis proprium. Ea igitur carnis appellatione itidem comprehenditur. 5. Quicquid adhuc in renatis indiget renovatione, id nomine carnis Rom. 7. intelligitur. Connexio patet, quia carnis nomine non ipsa substantia, sed vetustas carnis renovanda accipitur. Jam vero renati indigent adhuc renovari spiritu mentis Ephes. 4, v. 23. Ergo carnis nomine ipsa quoque mens renatorum intelligitur, nimirum quatenus adhuc nondum plene renovata est. Haec opponenda sunt Stapletono, qui in antidot. c. 7. Rom. p. 419. hanc sententiam nostram vocat *profanam et inauditam verborum novitatem;* p. 410. *absurdum esse* addit ac tragice eam exagitat Vidit Bellarminus ex ipso textu sententiae nostrae argumenta peti posse, ideo addit: *Etiamsi cogeremur nomine carnis intelligere omnes animae potentias, tamen omnino dicendum esset, nomen carnis in justificatis non pertinere ad voluntatem sive mentem, nisi quod primos quosdam motus indeliberatos, sed nec superior animae pars peccati proprie dicti capax, ut praevenit suo motu judicium rationis; cum non possit esse justitia in parte animae inferiore vel etiam superiore, ut praevenit judicium rationis. Ergo nec peccatum proprie dictum in ea erit.* Respondemus: quo ergo relegabi-

tur peccatum originale in infantibus, qui nondum habent rationts usum? (et quid sibi volunt haec verba, partem animae inferiorem, ut et superiorem) quatenus suo motu judicium rationis praevenit, non esse capacem justitiae? an non originalis justitiae pars erat promtissima illa inferioris partis erga superiorem subjectio atque omnium animae virium cum lege conformitas? utique.

Rom. 8: Nihil damnationis in his, qui sunt in Christo. 75. 4. Rom. 8, v. 1: *Nihil damnationis est in iis, qui sunt in Christo Jesu. Ubi apostolus dicit, etiamsi renati concupiscentiam sentiant, tamen nihil in eis esse condemnatione dignum.* Respondemus: de suo hoc addit Bellarminus, quod in renatis nihil sit condemnatione dignum, hoc est, propter quod justo Dei judicio, si remoto gratiae umbraculo in judicium eos vocare velit, condemnari possint. Apostolus hoc non dicit, quia superiori capite in se et omnibus renatis peccatum adhuc habitare pronuntiaverat, quod hic non negat, sed οὐδὲν κατάκριμα illis metuendum pronuntiat, hoc est, negat concupiscentiam tale peccatum in illis esse, quod actu eos reos ac damnationi obnoxios reddat, nimirum quia sunt in Christo, hoc est, per fidem hujus peccati condonationem impetrant, et quia non ambulant secundum carnem, sed secundum spiritum, hoc est, quia concupiscentiae dominium non permittunt, sed eam mortificant, inde et ideo non redduntur obnoxii damnationi, cum alias concupiscentia sua natura peccatum sit et per consequens non remissum nec mortificatum damnationi obnoxium hominem facere possit. Frivolum est, quod Bellarminus regerit, *non opus fuisse ab apostolo doceri, quod renati nondum actu ac re ipsa damnati, cum sententia damnationis feratur demum post hanc vitam.* Respondemus: utique renati propter adhaerens peccatum sententiam damnationis saepius metuunt seque propter illud reos irae divinae et aeternae damnationis constitui posse agnoscunt, erigendi igitur erant hac consolatione, quod non sint venturi in judicium. *Qui non credit, jam judicatus est,* dicit Christus Joh. 3, v. 18, manifestatio interim extremo judicio reservatur; eodem modo res se habet cum renatis, in illis οὐδὲν κατάκριμα, id quod ultimo demum die manifestabitur. Maneat ergo firmum fixum, in renatis nihil damnationis esse ob concupiscentiam, cujus motibus repugnant, non quod sua natura non sit peccatum damnatione dignum, sed quia propter Christum reatus ejus dimittitur. Bellarminus hoc impugnat multis modis. *1. Reatus est peccati for-*
V. 51. *male, sublato ergo in baptismo concupiscentiae reatu, utique concupiscentia desinit esse peccatum.* Respondemus: Forma proprie dicta concupiscentiae et omnis peccati est ἡ ἀνομία, deflexio a norma legis. Quando Philippus et alii formale peccati dicunt esse reatum, non accipiunt formam ἀκριβῶς, sed loquuntur de peccato, ut consideratur in praedicamento relationis. Reatus proprie loquendo non est forma, sed proprium consequens peccati, ut in praedicamento qualitatis consideratur. Adde, quod reatus non tollatur ab ipsa concupiscentia, sed a persona, qua de re sic scribit Augustinus lib. 6. contra Julianum c. 6: *tollitur in baptismo reatus peccati, non reatus ejus (concupiscentiae), quo ipsa rea erat, neque enim aliqua persona est, sed quo reum hominem originaliter faciebat, remissus fuit atque vacuatus.* Absit autem, ut dicamus eam sanctificari, cum qua necesse habent regenerati, si non in vacuum gratiam Dei susceperint, interno quodam bello tanquam cum hoste confligere. *2. Reatus est omnino inseparabilis ab eo, quod sua natura dignum aeterna damnatione, cum sit meritum poenae.* Respondemus: reatus non tollitur a concupiscentia, sed ab homine. Concedit Bellarminus, Deum odisse concupiscentiam et tamen renatos, in quibus est concupiscentia, non odisse. Eodem modo nos dicimus, concupiscentiam esse rem sua natura damnatione dignam, et tamen renatos propter eam non damnari. Propria adjuncta non separantur a re, quoad potentiam, bene tamen quoad actum respectu divinae potentiae. Sic ergo etsi concupiscentia actu non damnet renatos, damnare tamen posset, si in se et per se consideratur. Veteres hic utuntur exemplo Cananaeorum, quorum jugum et imperium abstulerat Deus a cervicibus Israëlitarum, nec tamen reliquias eorum universas penitus deleverat, sed in materiam continui exercitii ad securitatem Israëlitarum praecavendam eos superstites reliquerat. Bernhard. serm. de coena Domini: *Licet damnationem abstulerit Christus, tamen ad humiliandos nos peccatum adhuc patitur in nobis et graviter nos affligere, ut sentiamus, quid gratia nobis praestet et semper ad illius gratiae auxilium recurramus. 3. Deus nunquam remittit reatum, dum manet ejus fundamentum, quia judicium ejus secundum veritatem.* Respondemus: quemadmodum peccata impiorum praetereunt actu, remanent reatu (teste Augustino 1. de nupt. et concup. c. 26.), ita vicissim renatorum peccata transeunt reatu, actu manent. Cum Davidi reatus adulterii dimitteretur, ipse tamen actus non auferebatur; pugnat cum veritate Dei factum non esse, quod vere factum est. *4. Apostolus hanc suam conclusionem deducit ex superioribus, in quibus dixerat, motus concupiscentiae non esse voluntarios, nec peccata.* Respondemus: posterius nuspiam dixit, sed quia in ultimo versu praecedentis capite dixerat, renatos per Dei gratiam in Christo impetrata peccatorum remissione et per Spiritum regeneratos ac renovatos carne tantum servire peccati legi, non autem mente, ideo addit, nihil condemnationis (vel ut Graeca habent, nullam condemnationem) illis esse, quod probat iterum dupliciter: 1. quia sunt in Christo, videlicet per fidem. 2. quia non ambulant secundum carnem, sed secundum Spiritum.

76. *4. Scriptura docet, per baptismum fieri veram peccatorum remissionem, ita ut non solum condonetur debitum poenae, sed etiam maculae abluantur, purgentur, deleantur, tollantur.* Respondemus: de hoc argumento in tractatu de baptismo dicendum erit, hac vice breviter respondemus. *Baptismus est* In baptismo perfecte remittitur peccatum

lavacrum regenerationis et renovationis, Tit. 3, v. 5; per regenerationem obtinemus remissionem peccatorum, gratiam Dei, υἱοθεσίαν, haereditatem vitae aeternae, etc.; haec omnia vere et perfecte nobis obveniunt. Renovatio itidem vera est, sed non statim perfecta; diserte enim apostolus 2. Cor. 4, v. 16: *Interior noster homo de die in diem renovatur.* In baptismo abluimur et sanctificamur, 1. Cor. 6, v. 11, nihilo tamen minus mundare nos jubemur ab omni inquinamento carnis et spiritus, ac sanctificationem perficere 2. Cor. 7, v. 1, qua de re plura suo loco.

v. 52 77. Alteram argumentorum classem petit Bellarminus ex dictis patrum, de quibus ita statuimus: 1. Hoc probandi genus secundarium est. 2. Pro nostrae sententiae confirmatione perspicua et evidentia in illis occurrunt testimonia. 3. Augustinus veterum sententias libro 2. contra Julianum collegit, ex quibus de antiquitatis sententia facile judicari potest. 4. Ante exortum Pelagianum certamen quandoque securius loquuntur. 5. Nomine peccati utuntur in sensu philosophico, illud saltem peccatum esse dicentes, quod actu est voluntarium, cum tamen originali peccato hoc non conveniat. 6. Peccatum saepius intelligunt, quod actu hominem etiam renatum irae Dei et damnationi obnoxium facit, quale peccatum cum concupiscentia in renatis non sit, hoc sensu eam peccatum esse negant. 7. Alibi vero suam sententiam diserte exponunt, perfectionem et merita operum repudiantes ac perfectam legis impletionem in hac vita fieri posse negantes. 8. Quin etiam cum patres ad populum verba facerent, ea dicebant, quae utiliora videbantur ad excitandos homines ad bona opera, ut in consimili quaestione fatetur Bellarminus libro secund. de grat. et liber. arbitr. c. 14. col. 628. 9. Denique tantum abest, ut ea, quae ex patribus Bellarminus adducit, omnia nobis adversentur, ut etiam diserte nostram quandoque confirment sententiam. Methodius apud Epiphan. haeres. 64. dicit, *concupiscentiam in nobis relictam esse ad agonem, ut per eam probemur tanquam aurum in fornace.* Recte, interim sua natura concupiscentia est peccatum, etiam cum diabolo pugnandum, qui tamen peccator maximus. Quid quod verba Methodii nostrae favent sententiae? *Vides*, inquit, *quod cogitationes propter inhabitans nobis peccatum forinsecus nobis instent, velut canes rabiosi aut feri aut audentes latrones, contra nos semper instigati a tyranno ac principe iniquitatis, probantes nos, an resistere ipsis possimus.* Basilius libr. de virgin. *carnis affectus vocat naturales* (sed intelligit naturam peccato corruptam, in principio enim non erat sic.) Chrysostom. homil. 19. ad populum Antiochenum: *concupiscere naturale est; male concupiscere voluntatis.* homil. 13. Rom.: *ipsae passiones in se peccatum non sunt, effrenata vero ipsarum immoderantia peccatum est.* (Quis hoc negat? distinguimus ipsi inter passiones naturales et inter vitia sive immoderantiam passionum.) Auctor operis imperfect. in Matthaeum homil. 12. negat, *carni dictum esse: Non concupisces* (ejus auctoritatem Bellarminus ipse passim elevat). Cyrillus 4. in Joh. c. 51. *voluptatem quandam peccatum* dicit *praecurrere*, (sed ex eo nondum sequitur, ipsam illam inordinatam voluptatem nullo modo peccatum esse). De reliquis idem judicium; distinguunt peccatum actuale mortale a peccato originali et veniali. Ex Augustini tomis omnibus probare conatur Bellarminus, quod negaverit concupiscentiam esse peccatum. Respondemus: diserte se ipsum exposuit 1. de nupt. et concup. c. 25: *Si quaeritur, quomodo concupiscentia carnis manet in regenerato, in quo universorum facta est remissio peccatorum, quandoquidem per ipsam seminatur et cum ipsa carnalis gignitur proles parentis etiam baptizati, aut certe si in parente baptizato potest esse et peccatum non esse, cur eadem ipsa in prole sit peccatum? ad haec respondetur, dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur. Quamvis autem reatu suo jam soluto, manet tamen, donec sanetur omnis infirmitas nostra proficiente renovatione interioris hominis de die in diem; non enim substantialiter manet, sicut aliquod corpus aut spiritus, sed affectio est quaedam malae qualitatis, sicut languor.* c. 26: *Sicut eorum peccatorum, quae manere non possunt, quoniam, cum fiunt, praetereunt, reatus tamen manet, et nisi remittatur, in aeternum manebit, sic illius, quando remittitur, reatus aufertur, hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati. Sicut peccata actualia praetereunt actu, manent reatu.* c. 27: *sic e contrario fieri potest, ut etiam illud* (originale) *maneat actu, praetereat reatu; agit enim aliquid concupiscentia carnis et quando non exhibetur ei vel cordis assensus ubi regnet, vel membra velut arma, quibus impleatur quod jubet; agit autem quid nisi ipsa desideria mala et turpia? non enim si bona et licita essent,* v. 53
eis obedire prohiberet apostolus. c. 29: *multum boni facit, qui facit, quod scriptum est, post concupiscentias non eas, sed non perficit, quia non implet quod scriptum est: Non concupisces.* Observa contra sophisticam Bellarmini (qui statuit, Augustino plane id non esse peccatum, quod non facit hominem actu reum): 1. quod Augustinus ideo peccatum originale a parentibus etiam baptizatis in sobolem propagari contra Pelagianos docet, quia manet in eis concupiscentia, licet in peccatum non imputetur, utique ergo sua natura est et manet peccatum, alias liberi baptizatorum non nascerentur peccato obnoxii; 2. quod illam infirmitatem in renatis manentem nominet affectionem malae qualitatis et desideria ejus mala turpia ac illicita, legi Dei repugnantia, quam esse peccati proprie dicti descriptionem negari nequit, cum omne turpe, illicitum et a legis norma deflectens sit peccatum; 3. quod conferat invicem remissionem originalis et actualium peccatorum. Ut ergo in remissione actualium peccatorum, ita reatus eorum solvitur, ut non desinant esse id, quod actu sunt; neque enim adulterium Davidis desinit esse ἀνομία, si vel

maxime remittatur; ita quoque in remissione originalis concupiscentiae ita solvitur reatus, ut non desinat esse, id quod sua natura est, videlicet ἀνομία et peccatum. Quotiescunque ergo Augustinus concupiscentiam peccatum esse negat, intelligit peccatum tale, quod actu nos (renatos) reos et damnationi obnoxios faciat. Sic lib. 6. contra Julian. c. 5. dicit, *justificatos carere omni peccato, non autem omni malo;* quale vero malum intelligat, ibidem exponit: *Tale ac tam magnum malum tantum quia inest, quomodo non teneret in morte et pertraheret in ultimam mortem, nisi et ejus vinculum in illa quae fit in baptismo remissione omnium peccatorum solveretur?* Ibidem: *Omni peccato caret, non omni malo; quod planius ita dicitur, omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis; nunquid caret corruptione corporis? nunquid caret ignorantiae malo, per quod a nescientibus innumerabilia perpetrantur mala* (haec ignorantia utique est malum culpae, quia Augustinus illi tribuit, quod per eam non percipiantur ea, quae sunt Spiritus Dei.)

Rationes concupiscentiam peccatum non esse φαινομένως probantes.

78. Tertia classis continet varias rationes. *1. Baptismus liberat ab omnibus peccatis, et tamen non liberat a concupiscentia.* Respondemus: de hoc argumento dicetur in tractatu de baptismo. *2. Concupiscentia est effectus et poena peccati originalis. Ergo non est ipsum peccatum originale.* Respondemus: Augustinus 5. contra Julian. c. 3. diserte scribit, concupiscentiam esse et peccatum et poenam peccati. Poena peccati est respectu actualis peccati ab Adamo commissi. Peccatum est, quia, ut in nobis haeret, repugnat legi Dei. Punit DEUS peccata peccatis, fatente Bellarmino libro 2. de stat. peccati. capite 14. col. 174. Lusus igitur est in voce originalis peccati, qua intelligitur in antecedente peccatum actuale Adami, quod fuit origo corruptionis illius, quae naturam humanam infecit; in consequente intelligitur ipsa corruptio nobis inhaerens ab Adamo in nos traducta. Concupiscentia etiam vocula ambigua est, ea enim quandoque intelligitur vitiosus concupiscentiae habitus, qui est ipsum originis peccatum, quandoque vero pravi ejus motus ac desideria, qui sunt poena originalis peccati. *3. Si homo non nasceretur ex Adam et tamen haberet concupiscentiam, quam nunc habet, non posset in eo concupiscentia proprie vocari peccatum. Ergo non est ex se et sua natura peccatum. Antecedens probatur auctoritate Augustini* 3. contra Julian. c. 12. Respondemus: Augustinus ibi Juliani Pelagiani objectionem recitat, eandemque refellit. Quod ergo Bellarminus ex Juliani sermone de diabolo hominem creante recitat, a mente atque auribus piorum abhorret nec ab Augustino ullibi conceditur. Praeterea si concupiscentia mala naturalis res est, quare non habuit locum in Christo nec habebit in vita aeterna? *4. Concupiscentiae primi motus non sunt peccatum. Ergo nec ipsa concupiscentia habitualiter inhaerens peccatum erit. Antecedens*
V. 54. *probatur, quia in pueris, amentibus et dormientibus, peccatum non est illa prava concupiscentia* teste Augustin. 10. confess. c. 30. Prospero 3. de vit. contempl. c. 6. Ambrosio 1. de offic. c. 21. *At non est etiam in potestate virorum sapientium et vigilantium non habere primos illos concupiscentiae motus. Ergo illi non sunt peccata.* Respondemus: hac ratione denuo aboletur originale peccatum. Si enim id non est peccatum, quod vitare non est in nostra potestate, infantes peccato originali obnoxii non erunt. *Per legem est peccati cognitio* Rom. 3, v. 20, non autem ex mensura virium nostrarum legis sententia aestimanda est. Si in concreata integritate primi homines perstitissent, in ipsorum et posterorum potestate fuisset, pravos concupiscentiae motus non habere, quod in illam ἀδυναμίαν implendi legem inciderint, divinae legis perfectioni nihil derogat. Anselmus de conceptu virgin. c. 28: *DEUS recte exigit a natura, quod ei dedit, et quod sibi juste debetur. Si quis vir et uxor ejus ad magnam quandam dignitatem vel possessionem nullo suo merito, sed sola gratia provecti, simul crimen grave inexcusabiliter committunt et pro eo juste dejiciuntur et in servitutem rediguntur, quis dicet, filios, quos post damnationem genuerunt, eidem non debere subjacere servituti?* Apud eundem lib. 1. cur Deus homo c. 24. Boso quaerit: *Si non potest homo debitum reddere, quomodo injustus est debitum non reddendo?* cui resp. Anselmus: *forsitan si nulla est in illo impotentiae causa, aliquatenus excusari potest, sed si in ipso impotentiae est culpa, sicut non levigat peccatum, ita non excusat non reddentem debitum, sicut si quis injungat servo suo aliquod opus et ei praecipiat, ne dejiciat se in foveam, quam illi demonstrat, unde nullatenus exire possit.* Quae de possibilitate implendi legem Bellarminus annectit, suum habebunt alibi locum. Augustin. 10. confess. cap. 30: *illos concupiscentiae in somno motus diserte vocat turpitudines et ab illis liberari ingemiscit. 5. Si concupiscentia peccatum est et in justificato manet, sequitur, quod Christus non vere, sed imputative tantum a peccatis nos redemerit, et quod diabolus Christo potentior sit.* Respondemus: hac de re plura dicemus in articulo de justificatione. Breviter, malitiosa est oppositio inter veram et imputatam justitiam. Nonne apostolus diserte dicit, quod *fides imputetur credenti ad justitiam* Rom. 4, v. 5; num hanc justitiam dicit Bellarminus non esse veram? Vere Christus et perfecte nos liberavit, vere et perfecte redemit; nemo nostrum unquam dixit Christum imputative nos redemisse; hoc vero dicimus, justitiam Christi nobis imputari, quae imputatio per fidem tam vera est, quam vere Christus peccata nostra in se suscepit. Ergo vere justificamur et redimimur, vere Christus diabolo potentior, quia remissio peccatorum, quam fides in Christi merito quaerit et apprehendit, vera ac perfecta est, ipsa interim renovatio in hac vita nunquam ita perfecta est, quin quotidie debeat crescere, quod apostolus diserte asserit. Neque ex illa renovationis in hac vita imperfectione sequitur,

vel Christum non vere nos redemisse, vel diabolo inferiorem esse; sed elucet inde atrocitas peccati tam arcte nobis inhaerentis, ut non possit venenum hoc prius extergi, quam in minutissimos cineres haec caro peccati et hoc corpus mortis redigatur? Vide Augustin. 6. contra Julian. c. 56: *fieri nequit, ut qui sunt vere iniqui et peccatores, non sint etiam rei irae divinae.* Respondemus: distinctio inter mortalia et venialia delicta hoc rectissime expedit, de qua inferius disputabitur.

An actus exterior peccati habeat malitiam propriam.

79. Haec dicta sint de prava concupiscentia in renatis, (quae est *absconditum illud peccatum, quod Deus collocat in lumine vultus sui* Psalm. 90, v. 8.) et in universum de interioribus peccatis. Exteriora delicta vel in gestibus vel in verbis vel in factis consistunt, juxta explicationem quinti praecepti a Christo traditam Matth. 5, v. 21. et 22. Quaerunt hoc loco Scholastici, *an actus exterior, qui a voluntate imperatur, habeat bonitatem vel malitiam propriam, propter quam magis, quam solus interior voluntatis actus in peccatum imputetur?* Scotus in quodlib. q. 18. affirmat, nititur autem his funda-
V. 55. mentis: *1. distinctis praeceptis hi actus prohibentur, exterior quidem in septimo, sed interior in decimo; 2. alia integritas eorum, quae secundum rectam rationem debent convenire actui interiori, et eorum, quae actui exteriori; 3. gravius punitur actus interior et exterior simul, quam unus per se.* Sed Biel 2. sent. dist. 42. q. un. secutus suum Occamum quodlib. 1. q. 1. q. 20. et quodlib. 3. q. 14. ac Gregor. de Arimino negant, *aut enim illa bonitas esset ipse actus exterior, aut aliquid superadditum; non primum, quia idem actus exterior potest primo esse malus et posteà bonus, nec secundum, quia illud superadditum non erit nisi respectus conformitatis et dependentiae actus exterioris ad actum interiorem, quia scilicet elicitur conformiter actui interiori, sed hic respectus convenit etiam actui causarum naturalium, ut si voluntas imperet appropiationem ignis ad candelas;* ex quo ulterius colligit Biel art. 2. *non esse operationem interiorem voluntatis cum exteriore magis meritoriam vel demeritoriam, quam sit sola interior sine exteriori imperata, stante scilicet aequalitate actus interioris, ut homo volens occidere et occidens non est majori poena dignus apud Deum, quam si vellet occidere et non occideret, supposito quod voluntatem aeque plenam habeat, quia non majus praemium meretur homo propter voluntatem et opus, quam alius propter aequalem voluntatem sine opere, alias homo invitus posset fieri per alium majoris meriti vel demeriti, cum possit impediri.* Art. 3. addit, *hominem plus peccare extensive concomitante exteriori operatione, quam sola interiori voluntate, cum peccet pluribus peccatis, nam tam voluntas interior mala peccatum est, quam etiam operatio exterior imperata.* Thomas 1. 2. q. 19. art. 3. distinguit: *Actus interior et exterior, prout considerantur in genere moris* (ut actus morales), *sunt unus actus, contingit tamen, quandoque actum, qui est unus subjecto, habere plures rationes bonitatis vel malitiae, quandoque unam tantum. Quando exterior actus est bonus vel malus, solum in ordine ad finem, tunc est eadem omnino bonitas vel malitia actus voluntatis et exterioris. Quando autem actus exterior habet malitiam vel bonitatem secundum se, secundum materiam vel circumstantiam, tunc alia bonitas actus voluntatis, alia actus exterioris.* Nos sequimur hic Scotum, cum non ex solo voluntario, sed ex legis norma de actionibus moraliter bonis vel malis sit judicandum.

CAPUT XII.

DE PECCATIS CONTRA DEUM, CONTRA PROXIMUM ET CONTRA NOS IPSOS COMMISSIS.

Quaedam peccata committuntur contra Deum, quaedam contra proximum, quaedam contra nos ipsos.

80. Sequitur tandem septima peccatorum divisio ex objectis petita. Quaedam peccata committuntur contra Deum, quaedam contra homines, idque iterum dupliciter; quaedam contra nos ipsos, quaedam contra proximum. Fundamenta hujus divisionis exstant 1. Sam. 2, v. 25: *Si peccaverit homo in hominem, judices hoc judicant. Si autem homo peccaverit in Deum, quis arbiter erit?* Tit. 2, v. 12: *Vivamus in hoc seculo σωφρόνως* (respectu nostri) *καὶ δικαίως* (respectu proximi) *καὶ εὐσεβῶς* (respectu Dei). Numer. 21, v. 7: *Peccavimus contra Dominum.* Matth. 18, v. 15: *Si peccaverit in te frater tuus* etc. Jac. 5, v. 16: *Confitemini invicem peccata vestra.* Triplici omnino obligatione homo tenetur obstrictus, Deo debet obedientiam, proximo beneficentiam, sibi custodiam; utique ergo tribus peccat modis, contra Deum, contra proximum, contra se ipsum, puta immediate et directe; nam mediate et consequenter peccando contra proximum etiam contra ipsum Deum peccatur, qui dilectionem proximi praecepit, hinc de adulterio suo pronuntiat David, quod per illud Domino peccaverit, 2. Sam. 12, v. 13. Psalm. 51, v. 6; quidam tamen non incommode id hoc modo V. 56.
exponunt, quod David hoc suo peccato dederit multis occasionem blasphemandi nomen Domini. 2. Sam. 12, v. 14.

Quaedam peccata committuntur contra primam, quaedam contra secundam tabulam.

81. Affinis huic divisioni est octava. Quaedam peccata committuntur contra primam, quaedam contra secundam decalogi tabulam. Fundamentum hujus divisionis exstat in distributione decalogi divinitus facta, qua omnia legis moralis praecepta in duas distinctas tabulas fuere descripta, Exod. 34, v. 1. Deut. 10. v. 1, quam distributionem confirmant Christus Matth. 22, v. 37. 38. 39. et Paulus Ephes. 6, v. 2. De prima decalogi tabula traditur haec regula. Obedientia primae tabulae derogat secundae, quando scilicet simul non possunt

servari. De secunda agit haec regula. Mandatum de dilectione proximi simile esse primo. De his in articulo de lege Dei agetur prolixius.

CAPUT XIII.

DE PECCATIS IN CORPUS ET EXTRA CORPUS COMMISSIS.

Quaedam peccata fiunt extra corpus, quaedam in proprium corpus.

82. Nona peccatorum actualium divisio traditur 1. Cor. 6, v. 18: *Omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est, qui autem fornicatur, in proprium corpus peccat.* Quomodo autem sola scortatione in proprium corpus peccatur, cum ebrietate, *αὐτοχειρίᾳ* et aliis peccatis itidem in proprium corpus peccari videatur? Glossa ordinaria quatuor affert responsiones. *1. Nullum peccatum in tantum dehonestat et coinquinat corpus ut illud. 2. Omne peccatum est extra corpus, id est, extra uxorem, quae cum viro unum corpus dicitur, praeter istud. 3. Qui criminaliter peccat, fera dicitur, non homo et extra corpus suum peccat, id est, extra ecclesiam, quia pro venialibus ab ecclesia non separamur; sed qui fornicatur, extra corpus suum peccat, id est, extra ecclesiam, ut ab ea ejiciatur.* (Sed apostolus non loquitur de corpore mystico vel metaphorice accepto, sed de proprio cujusque corpore.) *5. Caetera peccata, etsi per corpus gerantur, non tamen animam ita carnali concupiscentiae faciunt obstrictam atque obnoxiam, quemadmodum in solo opere fornicationis corporalis fit.* Lyranus sic commentatur: *Alia peccata communiter inficiunt solam animam, quia non perficiuntur in delectatione corporis, sicut avaritia, odium, invidia et hujusmodi. Sed fornicatio non solum animam, sed etiam corpus inquinat, quia perficitur in delectatione corporali in tantum, quod pro tunc absorbetur intellectus, et efficitur homo quasi equus et mulus. Gula vero licet perficiatur in delectatione corporis, illa tamen delectatio non est ita vehemens, quod absorbeat intellectum. Potest tamen dici, quod apostolus sub fornicatione intelligat etiam gulam, eo quod gula praeparat luxuriae materiam.* Alii quaerunt dicti apostolici rationem in eo, quod continua illa cum salacissimis et spurcissimis scortis conversatione extreme perdatur ac evertatur corporis valetudo, cum furore ille libidinis exsugatur sanguis, medulla ossium et ipsum cerebrum, unde postea foedissimi et gravissimi morbi oriuntur. Eccl. 19, v. 3: *Qui meretricibus conversatur, eum caries et vermes occupabunt;* quaedam exemplaria Graeca addunt, *καὶ ἐξαρανθήσεται ἐν παραδειγματισμῷ μείζονι.* Frisius part. 2. lib. 1. speculi medicinalis c. 9. refert, juvenem quendam Lutetiae in ipso scortationis actu mortuum, in cujus cranio aperto ne minima quidem cerebri particula sit reperta.

Multa Venus vires exhaurit spiritibusque
Noxia consumit corpora mille modis,

ut recte canit Eobanus. Haec verissime de foedissimo scortationis peccato dicuntur, interim cum et alia peccata corporis valetudinem prosternant, ideo simplicissime ex textu apostolico respondemus, ob id sola scortatione in proprium corpus secundum apostolum peccari, quia *qui adhaeret meretrici, fit unum corpus cum ea* v. 16, *tollit membra Christi et facit ea* v. 5.
membra meretricis v. 15. Hoc sensu peccatum scortationis in proprium corpus committi apostolus pronuntiat, quamvis enim feratur etiam ad scortum, tamen ab eodem in proprium corpus non sine horribili foeditate quasi reflectitur.

CAPUT XIV.

DE PECCATIS CARNIS ET SPIRITUS.

Quaedam sunt peccata carnis, quaedam Spiritus.

83. Decimo. peccata actualia quaedam sunt carnis, quaedam Spiritus. 2. Cor. 7, v. 1: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus perficientes sanctificationem.* Scholastici hanc divisionem sic exponunt: Peccatum consistit in appetitu inordinato alicujus boni, in quo habito aliquis inordinate delectatur; duplex autem est delectatio, animalis, quae consummatur in sola apprehensione alicujus rei ad votum habitae, et haec potest dici delectatio spiritualis, ut cum quis delectatur laude humana; alia est delectatio corporalis, quae in ipso tactu perficitur, et potest dici delectatio carnalis. Hos sequitur Bellarminus 1. de amiss. grat. et stat. peccati c. 2. Omnes res, ad quas inordinate convertimur, cum peccamus, aut sunt bona apprehensa sensibus carnis, ut cibus, potus, concubitus; aut intelligentia, ut honor, potestas, divitiae. Per conversionem (inordinatam) ad priora fiunt peccata carnalia, per conversionem ad posteriora fiunt peccata spiritualia. Ambrosius in 2. Cor. c. 19. ita legit: *mundemus nos ab omni inquinamento carnis, ut perficiamus sanctitatem*, et ex eo colligit, *omnia vitia esse carnalia;* sed Graeci codd. constanter legunt *σαρκὸς καὶ πνεύματος*, ergo et mentem et corpus impollutum servari a renatis apostolus requirit. Quidam existimant apostolum respicere ad Corinthiorum excusationem, qui reprehensi, quod interessent idololatricis ethnicorum conviviis, atque ita pollverentur idolorum cultu, responderint, se non eo animo accedere, ut honorem deferant idolis, cum probe sciant, idolum nihil esse, ac proinde se spiritum a pollutione integrum servare; illis ab apostolo hic responderi, quod non satis sit, spiritum a pollutione purum conservare, sed carnem quoque seu corpus impollutum retinendum esse.

CAPUT XV.

DE PECCATIS MANIFESTIS ET OCCULTIS.

Quaedam peccata sunt manifesta, quaedam occulta.

84. Undecima actualium peccatorum divisio proponitur 1. Tim. 5, v. 24: *Quorundam hominum peccata manifesta sunt praeeuntia damnationi* (αἱ ἁμαρτίαι πρόδηλοι προάγουσαι εἰς κρίσιν D. Chemnicius explicat, *quae accelerant poenas et judicium Dei), quosdam vero subsequuntur.* v. 25: *similiter et facta bona ante manifesta sunt (πρόδηλά ἐστι), et quae aliter se habent, occultari non possunt.* Monuerat apostolus Timotheum, ne peccatis alienis communicaret, hoc est, ne temere ordinaret presbyteros, quorum mores non essent perspecti, hac occasione addit discrimen inter peccata manifesta et occulta, ut ostendat, se de illis locutum, quorum peccata fuerint patefacta, de occultis ecclesiam non judicare, quae tamen suo tempore patefactum iri admonet. Porro vox πρόδηλα v. 25. ostendit phrasin ἁμαρτιῶν προαγουσῶν εἰς κρίσιν exponi commodissime de illis peccatis, quae in sui judicium et condemnationem publica manifestatione nos deducunt nec ullo teguntur externae hypocriseos velo, quo minus ea agnoscere, judicare ac detestari possimus.

V. 58.

CAPUT XVI.

DE EECCATIS CLAMANTIBUS IN COELUM.

Quaedam peccata Deus dissimulat, quaedam in coelum clamant.

85. Duodecimo. Quaedam sunt peccata, quae Deus longanimitate sua dissimulat, ὑπεριδών, ut loquitur apostolus Actor. 17, v. 30, quaedam sunt atrocia delicta in coelum clamantia, quae etiam tacentibus hominibus clamant ad Deum et vindictam expetunt. Vulgo quatuor talia numerantur, quae sequentibus comprehenduntur versiculis: *Clamitat ad coelum vox sanguinis* (Genes. 4, v. 10.) *et Sodomorum* (Genes. 18, v. 20.), *vox oppressorum* (Exod. 3, v. 7. et c. 22, v. 23.), *merces detenta laborum* (Jacob. 5, v. 4.). Hoc sensu quidam accipiunt verba filii prodigi Luc. 15, v. 21: *Peccavi pater in coelum et coram te;* quidam vero concinnius per metonymiam accipiunt coelum pro Deo, peccavi in coelum, id est, in Deum, sicut Christus interrogat Pharisaeos, *an baptismus Johannis fuerit ex coelo?* Luc. 20, v. 4. *Deum nomine coeli intelligere, Syriacum est,* ait Angelus Canin. in disquis. de obscur. locis N. T. Vide Drusium lib. 5. observ. sacrarum c. 11: *Coelum* (inquit) *pro Deo sumi e veteribus monumentis dudum observavimus.* Sic. 1. Maccab. 3: οὐκ ἔστι διαφορὰ ἐναντίον τοῦ οὐρανοῦ σώζειν ἐν πολλοῖς ἢ ἐν ὀλίγοις. *Rursus* 1. Maccab. 4, v. 19: καὶ νῦν βοήσομεν εἰς οὐρανόν, εἰ ἐλεήσει ἡμᾶς. *Sed et magistri* (Rabbini) *saepissime ita usurpant, ut cum dicunt omnia esse in manu coeli. Item, sit timor coeli super vos, et nomen coeli frequens in ore ipsius. Sic: Timor hominum, si praevaluerit, excludit timorem coeli.* Haec Drusius. Quamvis vero quatuor tantum peccata in coelum clamantia vulgo ita enumerentur, tamen quaevis atrocia delicta, quibus mensura iniquitatis impletur, Gen. 15, v. 16. Matth. 23, v. 32. Amos. 1, v 3. etc. ad coelum clamare et Dei vindictam expetere recte dicuntur. Rom. 8, v. 22. πᾶσα κτίσις στενάζειν dicitur, nimirum propter δουλείαν, qua cogitur impiorum abusui servire. Habac. 2, v. 11: *lapides de pariete clamare* dicuntur, quando cum oppressione pauperum et injustitia domus est exstructa. Eccl. 35, v. 19: *lacrymae viduae in genas ejus defluunt et clamant adversus eum, qui eas evocavit.*

CAPUT XVII.

DE PECCATIS CAPITALIBUS.

Quaedam peccata capitalia, quaedam ab illis orta.

86. Decimo tertio. Quaedam peccata sunt capitalia, quaedam ab illis orta. Notat Bonaventura 2. sent. dist. 42. lit. C. *capitale vitium dupliciter accipi, primo pro eo, quod praecipuum et magnum est in genere vitioso, secundo pro eo, quod est caput et principium aliorum;* hoc modo conciliare conatur diversitatem veterum, qui in numero capitalium vitiorum apud ipsos occurrit. Greg. in Exod.: *Septem sunt capitalia vel principalia vitia. Inanis gloria, ira, invidia, acedia, avaritia, gula, luxuria.* Glossa ordinaria in Prov. 9. enumerat *sex* capitalia vitia. Isid. in Deut. recenset *octo.* Sufficientiam et numerum capitalium vitiorum ita probat Thom. 1. 2. q. 84. art. 4: *Illa dicuntur capitalia vitia, quarum fines quasdam habent primarias rationes movendi appetitum. Est autem triplex hominis bonum, quod appetitum movet. Est quoddam bonum animae, quod ex sola apprehensione rationem appetibilitatis habet, sicut excellentia laudis vel honoris, hinc inanis gloria, aliud pertinet ad bonum corporis, idque ad conservationem individui, hinc gula; vel speciei, hinc luxuria. Tertium bonum est exterius, scilicet divitiae, et ad hoc ordinatur avaritia. Quod autem aliquis bonum fugiat propter aliquod malum conjunctum (et sic indirecte moveatur ad peccatum), est tripliciter: aut* V. 59.
enim hoc est respectu boni proprii, et sic est acedia, quae tristatur de bono spirituali propter laborem corporalem adjunctum, aut est de bono alieno, et hoc si fit sine insurrectione, pertinet ad invidiam, aut est cum quadam insurrectione ad vindictam, hinc ira. Tribuunt autem cuique capitali vitio suas quasi filias. Inanis gloriae dicuntur hae esse filiae: praesumtio, hypocrisis, pertinacia, discordia, contentio, inobedientia. Irae has assignant filias: indi-

gnationem, tumorem mentis. clamorem, blasphemiam, contumeliam, rixas. Avaritia mater dicitur obdurationis, inquietudinis, violentiae, fallaciae, perjurii, fraudis, proditionis. Gulae assignantur hae filiae: hebetudo sensus, inepta laetitia, multiloquium, scurrilitas, immunditia. Luxuria mater dicitur caecitatis, praecipitantiae, inconsiderationis etc. Vide Thomam 2. 2. q. 118. 132. 153. 158. 168. etc. 1. Joh. 2, v. 16. tres peccatorum actualium fontes videntur statui: *Quicquid est in mundo, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitae.* August. in Psalm. 78: *Omnia peccata oriuntur vel ex cupiditate male incendente, vel ex timore male humiliante.* Distinguunt tamen inter vitia capitalia, et inter radicem peccatorum. Ut caput notat principale membrum et completum, quod est aliorum principium quantum ad sensum et motum; sic capitale vitium notat peccatum completum, a quo omnia alia vitia oriuntur; radix autem proprie loquendo non notat determinatum genus peccati, sed pronitatem pravae concupiscentiae, quae concurrit ad omne peccatum. Scriptura distinguit inter arborem malam et fructus ejus malos, et incredulitatem accusat tanquam capitale vitium et omnium reliquorum originem.

CAPUT XVIII.

DE PECCATIS, QUAE ALIIS SUNT GRAVIORA.

Peccata alia aliis graviora.

87. Decimo quarto. Peccata alia aliis graviora esse, docet Christus Joh. 19, v. 11: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*, in quem locum sic commentatur August. tract. 116. in Joh.: *Plus peccat, qui potestati innocentem livore tradit, quam potestas ipsa, si eum timore alterius majoris potestatis occidit.* Ezech. 16, v. 47: *sceleratiora fecistis illis in omnibus viis vestris.* 1. Timoth. 5, v. 8: *qui suorum curam non habet, infideli deterior est.* 2. Pet. 2, v. 20: *posteriora fiunt pejora prioribus* etc. Idem etiam probant distincti gradus poenarum, quae peccatoribus olim in die judicii irrogabuntur. Matth. 10, v. 15: *Tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorrhaeorum in die judicii, quam illi civitati, quae non receperit apostolos.* Matth. 11, v. 21: *Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii, quam civitatibus Corazin et Bethsaidae.* Luc. 12, v. 47: *Servus, qui cognovit voluntatem domini sui et non praeparavit se nec fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.* v. 48: *Qui autem non cognovit et fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Stoicorum et Jovinianorum paradoxum fuit, omnia peccata esse paria. August. lib. 2. de sentent. Jacobi apost. ad Hieron. c. 3: *Illud de inseparabilitate virtutum omnibus philosophis placuit, hoc autem de parilitate peccatorum soli Stoici ausi sunt disputare contra omnem sensum generis humani. Quam eorum vanitatem in Joviniano illo, qui in hac sententia Stoicus erat, in aucupandis autem et defensandis voluptatibus Epicuraeus, de Scripturis sanctis dilucidissime convicisti; in qua tua suavissima et praeclarissima disputatione satis evidenter apparuit, non placuisse auctoribus nostris, vel ipsi potius, quae per eos locuta est, veritati, omnia peccata esse paria.* Campianus Jesuita rat. 8. hunc Stoicorum et Jovinianorum errorem etiam nostris affricare conatur ecclesiis. *Hoc quoque tritum est* (ait) *in hac fece protestantium, peccata esse paria; hac trutina non levius in Deum deliquerit ille caupo, qui gallum gallinaceum, quam qui hominem occiderit;* sed ab hac calumnia ipse Bellarminus nos liberat 3. de justific. c. 26. in princ.: *Lutherani non dicunt,* v. 60.
quod sciam, virtutes esse pares, aut paria esse peccata, neque negant hominem crescere posse spe, dilectione aliisque virtutibus.

88. Sunt autem varii modi, quibus unum peccatum efficitur gravius alio, qui tamen omnes ad quatuor classes reduci posse videntur. Gravius enim est peccatum aliud alio 1. respectu personae peccantis. Luc. 12, v. 47: *Servus sciens voluntatem domini et non faciens eam, vapulabit multis.* Sap. 6, v. 7: *Potentes potenter tormenta patientur;*

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.

2. respectu, personae quae offenditur. Sic gravius peccat, qui Deum blasphemat, quam qui homini conviciatur; qui viduas, pupillos, pauperes laedit, quam qui contra alios peccat. Zach. 2, v. 8: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei;* 3. respectu rei, cui infertur detrimentum. Sic gravius peccatum est falsare Dei verbum, quam monetam. Qui vitam proximi laedit, gravius peccat, quam qui bona fortunae ipsi aufert; 4. respectu ipsius peccati, idque tum ratione causarum, tum ratione ipsius actus. Sic gravius peccat, qui scienter, quam qui ignoranter peccat. August. libr. 4. contra Donatist. de baptismo c. 5. de grat. et lib. arbit. c. 3: *Peccatum malitiae gravius esse, quam peccatum ignorantiae vel infirmitatis,* demonstravimus thesi 24. August. 2. de visit. infirm. c. 5: *Peccare voluptate gravius est, quam peccare necessitate.* Peccatum commissionis gravius esse, quam peccatum omissionis, ita probat Thom. 2. 2. q. 79. art. 4: *Peccatum in tantum grave, in quantum a virtute distat, contrarietas autem est maxima distantia, unde contrarium magis distat a suo contrario, quam simplex ejus negatio, sicut nigrum plus distat ab albo, quam non album; jam vero transgressio contrariatur actui virtutis, omissio importat negationem actus.* Aggravatur etiam peccatum ex continuatione, ex multiplicatione, ex recidivatione, ex peccati defensione vel extenuatione. Sic nocumentum majus efficit etiam peccatum gravius. Thom. 1. 2. q. 73. art. 3: *nocumentum se habet tripliciter ad peccatum. Quandoque est praevisum et intentum, tunc directe quantitas nocumenti adauget gravitatem peccati; quandoque est praevisum et non intentum, ut cum quis transiens*

per agrum, ut compendiosius vadat ad fornicandum, infert nocumentum his, quae seminata sunt in agro; si quantitas nocumenti itidem aggravat peccatum, sed indirecte: quandoque nec est praevisum nec intentum, et tunc, si per accidens se habeat ad peccatum, non aggravat peccatum directe, sed propter negligentiam considerandi nocumenta, quae consequi possunt, imputantur homini ad poenam mala, quae eveniunt. Si vero nocumentum per se sequatur ex actu peccati, licet non sit intentum nec praevisum, directe aggravat peccatum, ut si quis publice fornicetur. Porro quod diximus ratione personae peccantis aggravari peccatum, id hoc modo limitat et confirmat Thom. 1. 2. quaest 73. art. 10: *Duplex est peccatum, quoddam ex subreptione proveniens propter infirmitatem humanae naturae, et tale peccatum minus imputatur ei, qui est major in virtute; alia peccata ex deliberatione procedunt, et ista tanto magis alicui imputantur, quanto quis major est, propter quatuor causas: 1. quia facilius possunt resistere peccato, qui excedunt scientia et virtute; 2. omne bonum, quo aliquis magnificatur, est donum Dei, cui homo fit ingratus; 3. propter specialem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem personae, sicut si princeps violet justitiam, qui positus justitiae custos; 4. propter majus scandalum.* Quod *respectu personae*, in quam peccatum committitur, gravius peccetur, ita probat art. 9: *Persona, in quam peccatur, est quodammodo objectum peccati, prima autem gravitas peccati attenditur ex parte objecti. Ex parte igitur Dei aggravatur peccatum, cui tanto magis aliquis conjungitur, quanto est virtuosior vel Deo carior. Ex parte sui ipsius tanto aliquis gravius peccat, quanto aliquis magis in conjunctam personam seu naturali necessitudine seu beneficiis seu quacumque conjunctione peccaverit. Ex parte pro-*
V. 61. *ximi tanto quis gravius peccat, quanto peccatum plures tangit, ideo peccatum in principem gravius.* art. 5. probat, *spiritualia peccata graviora esse, quam carnalia: 1. quia spirituale peccatum plus habet de aversione a Deo; 2. peccatum carnale est in proprium corpus, quod minus diligendum quam Deus et proximus, in quos peccatur per spiritualia peccata; 3. carnalia peccata habent vehementius impulsivum, videlicet ipsam concupiscentiam connatam.*

CAPUT XIX.

DE PARTICIPATIONE PECCATORUM ALIENORUM.

Quaedam peccata sunt nostra, quaedam aliena, quibus participamus modis variis.

89. Decimo quinto. Quaedam sunt nostra, quaedam vero aliena, quibus participamus. Fundamenta hujus divisionis exstant in sequentibus Scripturae locis: 1. Tim. 5, v. 22: *Ne communices peccatis alienis* (temere eos ordinando ad sacrum ministerium; quorum eruditio et vita non satis explorata); Ephes. 5, v. 7: *nolite fieri participes eorum.* v. 11: *nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, sed redarguite.* Rom. 1. v. ultim: *Qui talia non solum faciunt, sed etiam facientibus consentiunt.* 2. Joh. v. 11: *Qui dicit seductoribus: Ave, communicat operibus eorum malignis.* Apocal. 18, v. 4: *Exite ab ea populus meus, ne participes sitis delictorum ejus.* Modi, quibus alienis peccatis participetur, comprehenduntur his versiculis:

Consulo, praecipio, consentio, provoco, laudo,
Non retego culpam, non punio, non reprehendo,
Non obsto, sed praecipio et defendo aliena.

Omnes hi modi ad duo generalia capita revocari possunt. Reddimur enim participes alieni peccati vel committendo vel omittendo. Committendo, cum peccati alieni vel auctores sumus vel adjutores, idque 1. vel consensu et approbatione, cum ea, quae ab aliis committuntur, nostro comprobamus suffragio, Actor. 8, v. 1. Rom. 1, v. 32; 2. vel consilio, cum mali perpetrandi auctores sumus ac consultores, 2. Sam. 16, v. 23. Joh. 11, v. 49; 3. vel jussione et mandato, cum vel superiorum decreta in malo perpetrando sequimur, vel alios jubemus malum agere. Exod. 1, v. 16. 2. Reg. 11, v. 15. Matth. 2, v. 16. Joh. 19, v. 16; 4. vel excusatione ac defensione, cum mala aliorum facta defendimus, Esa. 5, v. 20. Ezech. 13, v. 18; 5. vel quacunque criminis et commodi ex eo participatione, ut cum in partem lucri ex furto recipi nos patimur, Psal. 50, v. 18. etc. Omittendo, cum officium nostrum, quo peccata reprehendi ac puniri debebant, negligimus, quod fit intempestivo silentio, conniventia ac nimia lenitate, Ezech. 3, v. 17. c. 33, v. 7. Esa. 58, v. 1. etc.

CAPUT XX.

DE PECCATIS VENIALIBUS AC MORTALIBUS.

Quaedam peccata, venialia, quaedam mortalia.

90. Decimo sexto. Ex accidenti quaedam peccata sunt venialia, cum sua natura omnia sint mortalia (rectius mortifera). Gravis hac de re adversaria nobis cum Scholasticis et Pontificiis constituta, qui statuunt, quaedam peccata sua natura venialia esse, quod ut rectius intelligatur, audiamus ipsorum verba. Thom. 1. 2. q. 77. art. 8: *Veniale peccatum dicitur tripliciter: uno modo ex causa, quod scilicet habet causam veniae, quae diminuit peccatum, et* V. 62.
sic peccatum ex ignorantia dicitur veniale; 2. ex eventu, sicut omne peccatum per poenitentiam fit veniale, hoc est, veniam consequitur; 3. ex genere, sicut verbum otiosum (de hac tertia venialis peccati specie tota quaestio est, non de prioribus), quaest. 88. art. 1: *Peccatum mortale dicitur ad similitudinem morbi, ex eo, quod inducit defectum irreparabilem per destitutionem alicujus principii. Principium autem spiritualis vitae est ordo ad ultimum finem, qui si destitutus fuerit, reparari non potest*

per principium intrinsecum, sed solum per virtutem divinam. Peccata autem, quae habent inordinationem circa ea, quae sunt ad finem, conservato ordine ad ultimum finem reparabilia sunt, sicut error, qui accidit circa conclusiones per veritatem principiorum. Venialiter igitur peccans non facit quod lex prohibet, nec praetermittit id, ad quod lex obligat, sed facit praeter legem. art. 2: *Veniale ex genere est, quando voluntas fertur in id, quod continet in se quandam inordinationem, non tamen contrariatur dilectioni Dei et proximi, ut verbum otiosum. Contigit autem, quod id, quod est peccatum veniale ex genere, ratione sui objecti fit mortale ex parte agentis, vel quia in eo constituit finem ultimum, vel quia ordinat ipsum ad aliquid, quod est peccatum mortale, ut verbum otiosum ad adulterium. Similiter ex parte agentis contingit, quod aliquod peccatum, quod ex suo genere est mortale, fit veniale, propter hoc, quod est actus imperfectus, ut subitus motus infidelitatis.* Haec Thomas, quae ex eo repetit Bellarminus lib. 1. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 3. ubi ea, quae sua natura dicuntur venialia peccata, ita dividit, *ut quaedam* dicat esse *venialia ex suo genere* (quae habent pro objecto rem malam et inordinatam, sed quae caritati Dei vel proximi non repugnet), *quaedam vero ex imperfectione operis*, quae ex suo genere mortalia esse possunt, tamen ob imperfectionem operis efficiuntur venialia, in quibus sola operis imperfectio hoc efficit, ut cum caritate non pugnare judicentur). Posterioris generis venialia peccata iterum statuit duplicia: *quaedam*
V. 63. *dicuntur venialia ex subreptione* (quae non sunt perfecte voluntaria, ut subiti motus cupiditatis, irae etc., qui prius in animo exsistunt, quam ratio plene deliberare potuerit, essent necne admittendi, qui quidem et peccata sunt, cum praeveniri aut continuo repelli potuissent, si ratio vigilasset; et tamen venialia sunt, cum pleno voluntatis assensu caruerint); *quaedam vero ex parvitate materiae* (quae in re parva ac levi committuntur, ut furtum unius oboli, quod neque proximum notabiliter laedit, neque tale est, ut apud aequos homines amicitiam tollere queat.) c. 9. se ipsum sic explicat, *quod peccatum veniale ex sua natura distinguatur a mortali sine ulla relatione ad DEI misericordiam vel statum renatorum, et sit ejusmodi, ut poenam quidem mereatur, sed non aeternam; et Deum offendat, sed non usque ad amicitiae dissolutionem.*

91. De remissione peccati venialis varie disputant. Scotus 4. dist. 21. statuit, *quod remissio venialis peccati nihil aliud sit, quam solutio poenae temporalis pro eo debitae.* Alii contra statuunt, quod remissio cujuscunque peccati distinguatur a remissione poenae, ideoque remissionem peccati venialis fieri per aliquem actum, qui Deo magis sit acceptus, quam veniale peccatum displiceat. Hinc ulterius inferunt, non esse necessarium, agere poenitentiam de venialibus. Sic enim Biel 4. sent. dist. 16. q. 5. art. 2: *Ad remissionem peccati venialis non requiritur poenitentia proprie accepta, nec actualis, nec habitualis, nec sacramentalis, quia manens in veniali usque ad mortem non damnatur, sed tandem salvabitur, remittitur autem veniale per satispassionem in purgatorio, item per actum ferventem caritatis consumitur, sicut aqua per ignem.* art. 3: *accipiendo tamen poenitentiam large pro cessatione voluntatis ab actu complacentiae in peccato utique etiam ad venialia requiritur talis poenitentia.* art. 4: *non solum per actum displicentiae, sed per omnem actum meritorium veniale peccatum remittitur, maxime dum ad ejus remissionem ordinatur, quia omnis actus meritorius est satisfactivus poenae temporalis. Ergo etiam pro peccato.* Idem distinct. eadem quaest. 6: *per quodlibet opus meritorium remittitur veniale peccatum; specialiter tamen aliqua opera assignantur, comprehensa hoc versiculo: Orans (Dominicam orationem), tinctus (aqua benedicta), edens (eucharistiam), confessus (sacramentaliter vel confessione generali) dans eleemosynam corporalem), benedicens (sumens benedictionem episcopalem), quia 1. illi modi specialiter incitant liberum arbitrium ad detestationem peccati, per quam efficacius remittitur; 2. in illis concurrunt oratio et meritum ecclesiae; 3. illa frequentius ex intentione ecclesiae vel agentis ordinantur ad remissionem venialis; 4. reliqui modi ad illos reducuntur.* Hactenus Biel. Ex jure canonico quidam colligunt duodecim modos remissionem venialium impetrandi, videlicet dignam communionem, aquae benedictae adspersionem, eleemosynarum largitionem, injuriarum remissionem, orationem praesertim Dominicam, confessionem generalem; episcopalem, sacerdotalem ut et monialem benedictionem, devotam pectoris tunsionem, cordis contritionem, extremam unctionem, patientiam flagellorum, et quodlibet opus bonum. Quidam octo remedia venialium peccatorum agnoscunt, quae sequentibus versiculis includuntur:

Confiteor, tundo, conspergor, conteror, oro,
Signor, edo, dono, per haec venialia pono.

Fundamenta et sufficientiam horum remediorum contra venialia delicta ita probat Thom. part. 3. q. 87. art. 3: *Ad remissionem peccati venialis non requiritur novae gratiae infusio, sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo homo detestetur peccatum vel explicite vel implicite, sicut cum aliquis ferventer movetur in Deum. Ergo triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum: 1. in quantum in eis fundatur gratia, quia per infusionem gratiae tolluntur venialia peccata. Sic eucharistia, extrema unctio et alia sacramenta; 2. in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum; hoc modo confessio generalis, tunsio pectoris, oratio Dominica operantur ad remissio-* V. 64.
nem venialium; 3. in quantum sunt cum aliquo motu reverentiae in Deum et res divinas; hoc modo episcopalis benedictio, aspersio aquae benedictae etc. *operantur ad peccatorum istorum remissionem.*

92. Pharisaicae huic peccatorum extenuationi, le-

gis divinae depravationi, ejusdemque cum evangelio confusioni, ad patrocinium propriae justitiae excogitatae et in Christi sanguinem, qui solus ab omnibus peccatis nos abluit, multis modis injuriae, serio adversamur, statuentes, nullum esse peccatum, quod ex genere suo vel ex imperfectione operis sit veniale sive venia dignum; quod autem quaedam dicuntur venialia, quaedam tantum mortalia, id non fit propter naturam peccatorum, sed propter misericordiam Patris, meritum Filii et sanctificationem Spiritus; ac respicit haec divisio non omnes homines in genere, sed tantum renatos; nec desumenda est ex lege, quae omnia peccata, qualiacunque et et quantulacunque sint, accusat et damnat; sed ex evangelio, quod ostendit credentibus in Christum peccata infirmitatis, ignorantiae et pravas concupiscentias non imputari, si eis resistant, hoc est, si renati 1. haec mala in corde habitantia agnoscant; 2. de illis serio doleant; 3. merito mediatoris velut umbraculo tegi petant et credant; 4. frenos eis nequaquam laxent, sed Spiritu eis resistant, crucifigentes carnem cum concupiscentiis; haec quatuor capita in apol. confess. August. rectissime ad remissionem et mortificationem referuntur. Ex quibus omnibus apparet: 1. in non renatis nulla esse peccata venialia, sed omnia mortalia; 2. venialia peccata esse talia non ex natura ipsius actus, sed ex conditione personae delinquentis, quae si est in Christo per fidem, peccata infirmitatis teguntur; 3. nomen mortalis peccati non esse satis commodum, dicendum potius erat mortiferum, φονικὸν ac regnans; 4. nec venialium peccatorum nomen satis commodum est, dicenda potius erant peccata infirmitatis, lapsus humani, pravae concupiscentiae etc.; neque enim ideo dicuntur venialia, quod in se et ex se venia sint digna, sed quod Deus credentibus ea dimittat ac venia dignetur.

Nulla peccata esse ex se et natura sua venialia.

93. Nullum igitur esse per se et sua natura veniale peccatum demonstramus his argumentis: 1. Quicquid committitur contra aeternam et immotam Dei justitiam in lege revelatam, illud sua natura est mortale peccatum. Atqui etiam venialia peccata committuntur contra aeternam et immotam Dei justitiam in lege revelatam. Ergo sunt sua natura mortalia peccata. 2. Quodcunque Scriptura absolute et simpliciter pronuntiat esse peccatum, id veram et propriam peccati naturam, videlicet reum mortis facere, retinet. Jam vero venialia peccata absolute et simpliciter in Scriptura dicuntur peccata et debita. 1. Joh. 1, v. 8: *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, decipimus nos ipsos.* Jac. 3, v. 2: *in multis offendimus* (*πταίομεν*) *omnes.* Ps. 32, v. 6: *pro peccatorum remissione orabit omnis sanctus.* Matth. 6, v. 12: *Dimitte nobis τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, debita nostra.* Luc. 11, v. 3: *Dimitte nobis τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, peccata nostra.* Ergo venialia peccata habent per se et ex se veram et propriam peccati naturam, videlicet reum mortis facere. Rom. 6, v. ult.: *Stipendium peccati mors est.* 3. Cuicunque competit propria peccati definitio, eidem quoque propria peccati natura competit. Atqui etiam venialibus *παραπτώμασι* competit propria peccati definitio, videlicet quod sint *ἀνομία* 1. Joh. 3, v. 4. Ergo etiam propria peccati natura ipsis competit. 4. Quodcunque sub poena maledictionis temporalis et aeternae a lege prohibetur, illud sua natura est mortale peccatum. Atqui etiam venialia peccata sub maledictionis temporalis et aeternae comminatione a lege prohibentur. Deuter. 27, v. 26: *Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis*, quod repetitur Gal. 3, v. 10. *Lex spiritualis est* Rom. 7, v. 14, requirit interiorem et exteriorem omnibus numeris absolutam obedientiam, qui in uno etiam minimo delinquit, debitam et a lege requisitam obedientiam non praestat, transgressor igitur legis est et maledictioni ejus subjacet. Ergo etiam venialia peccata sunt ex se et sua natura mortalia. 5. De quocunque peccato posset Deus etiam a renatis exigere rationem v. 65. in judicio et revera eam exiget a non renatis, illud est sua natura mortale peccatum. Atqui etiam de venialibus peccatis posset Deus a renatis exigere rationem et revera eam exiget a non renatis. Matth. 12, v. 35: *Dico vobis* (ait Christus, qui est veritas), *quoniam de omni verbo otioso* (*ἀργῷ*), *quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Ergo venialia, quae ita dicuntur peccata, sunt sua natura mortalia. Major certa est, quia judicium Dei non solum temporales, sed etiam aeternas poenas complectitur, quando in non renatos illius fulmen vibratur. Minor itidem evidens, praesertim vero observandum, quod Bellarminus lib. 1. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 3. nominatim verbum otiosum inter venialia peccata refert. 6. Cuicunque propria peccati effecta tribuuntur, illud sua natura peccatum mortale est. At venialibus peccatis propria peccati effecta tribuuntur. Matth. 15, v. 19: *ex corde procedunt cogitationes malae, quae impurum reddunt hominem.* Esa. 64, v. 6: *omnes nostrae justitiae sicut pannus mulieris menstruatae* (videlicet propter adhaerens peccatum). Job. 15, v. 14: *Quid est homo, ut sit immaculatus coram Deo* etc. Exod. 34, v. 7: *Coram Deo nemo est innocens.* Matth. 5, v. 22: *qui irascitur fratri, judicio est obnoxius:* hinc omnes sancti, etiamsi concupiscentiis suis resistant, tamen serio orant. Psalm. 130, v. 3: *Si iniquitates observare volueris, Domine, quis sustinebit?* Psalm. 143, v. 2: *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificatur in conspectu tuo omnis vivens.* Psalm. 19, v. 13: *Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me* etc. Ergo peccata venialia sunt ex se et sua natura mortalia, ac si Deus propter ea in judicium intrare vellet, justissime nos reprobare ac damnare posset. 7. Quodcunque Christus ut Pharisaicam legis divinae depravationem repudiat, illud a mentibus et scholis Christianorum merito exsulare debet. Atqui sententia illa, quod quaedam sua natura sint venialia peccata et tam minuta, ut non sint contra legem, ut Pharisaicus error a Christo repudiatur

Matth. 5, v. 18: *Amen dico vobis, donec transeat coelum et terra, jota unum aut unus apex non praeteribit de lege, donec omnia fiant.* v. 19: *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, minimus erit in regno coelorum;* in quem locum ita commentatur doctissimus Chemnicius c. 51. Harmon. p. 337. et seqq.: *Docet Christus tam firmam, immotam et immutabilem esse legis sententiam, ut cum coelum et terra, quorum constitutio firmissima judicatur, praeteritura sint, fieri tamen non possit, ut aliquid in lege, quod vel minimum judicatur, intercidere possit, quin omnia perfectissima satisfactione sint implenda, atque hoc opponit Pharisaeis, qui (sumentes hoc axioma certum et verum, ad justitiam et vitam aeternam opus esse impletione legis, atque interim animadvertentes, impossibile esse, ut minutissima quaeque in lege, verbi gratia de interioribus motibus in mente, voluntate et corde, de naevis quibusdam in gestibus, in verbulo aliquo, ex toto corde, tota anima et omnibus viribus perfecta conformitate impleantur, ita ut nulla sentiatur contraria concupiscentia) fingebant talem disctinctionem, mandata quaedam legis esse minima, quaedam vero magna, ac licet quis in mandatis illis minimis de interioribus motibus et affectibus cordis legi perfecte non satisfaciat; si modo, quantum in ipso est, magna mandata de externis operibus servet, illum esse justum coram Deo; cum mandata illa de interioribus motibus cordis, utpote de rebus minutalis, sint minima, ideo Deum nolle neminem impium censere propter istorum transgressionem, modo reliqua magna mandata de externis operibus praestet. Sed Christus huic Pharisaicae persuasioni opponit unum jota et unum apicem, ut ita quam fortissime neget, esse quaedam mandata in lege ita minuta, quae Deus non multum curet, quorum etiam, quamvis non impleantur, non sit habenda ratio in statuenda justitia legis coram DEO; mandata enim DEI constant verbis, verba constant literis, literae multis apicibus; ut ergo perfectissimam legis impletionem necessariam esse Christus ostendat, ne unum quidem literae apicem cadere pronuntiat, quem non sit necesse*
V. 66. *impleri; quod enim Matthaeus dicit jota praeterire, hoc Lucas dicit apicem cadere. Jod est litera minutissima, apices seu puncta vocalia adhuc minora sunt, et tamen Christus pronuntiat, unicum Jod et minutissimum punctum in lege eo loco apud Deum haberi, ut priusquam praetereat vel cadat, quin impleatur, prius coelum et terra sint transitura, ac proinde ad legis impletionem requiri, ut omnia etiam usque ad minutissimum apicem impleantur, perinde et Moyses maledictionem denuntiat, non illis tantum, qui non in magnis, sed qui non in omnibus permanserint, quae scripta sint in libro legis; et sicut Jacobus inquit: Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est reus omnium,* c. 2. v. 10. Haec D. Chemnicius.

Exceptiones Bellarmini.

94. Excipit Bellarminus lib. 1. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 12. primo, *venialia peccata non esse perfecte peccata, si cum mortalibus conferantur, ideoque vocabulum* peccati *non praedicari univoce de peccatis mortalibus et venialibus.* Respondemus: gradus peccatorum esse non negamus; ex eo autem nondum sequitur, esse quaedam sua natura venialia peccata, quibus aequivoce tantum peccati nomen tribuatur, cum illis ipsis venialibus et nomen et definitio et propria effecta peccati tribuantur. Praedicatio univoca opponitur tum aequivocae tum ei, quae dicitur ἀφ' ἑνὸς sive analogica, clarius ergo exponendum erat, quo sensu et quo respectu Bellarminus neget, peccati nomen univoce de mortalibus et venialibus praedicari. 2. *Dicta illa Scripturae loqui non de venialibus, sed de solis mortalibus peccatis.* Respondemus: imo vero in genere loquuntur de quacunque cujuscunque praecepti transgressione, ut sonus verborum et circumstantiae textus evidenter ostendunt. 3. *At,* inquit Bellarminus, *si Scripturae illae etiam peccata venialia comprehenderent, sequeretur homines justos ob illa non solum posse excidere, sed etiam re ipsa excidere gratia Dei.* Respondemus: Legis hoc judicium et hic rigor est, quam evangelium non abolet nec destruit, sed ostendit nobis Christum mediatorem, qui nostro loco se subjecit legi eandemque perfectissima sua obedientia implevit, quin et poenas peccatorum nostrorum in se recepit: hanc perfectam Christi justitiam offert evangelium cordibus vere contritis, quae fide nobis imputatur Rom. 5, v. 15. c. 10, v. 6. etc., atque haec est mirabilis illa consensio legis et evangelii, de qua apostolus Rom. 3, v. ult.: *Legem ergo destruimus per fidem? absit, sed legem stabilimus.* Evangelium non destruit legem, sed translationem legis factam esse ostendit, docet enim Christum esse impletionem et finem legis ad justitiam omni credenti, quod lex a nobis requirit, id a Christo pro nobis praestitum esse et gratia Dei credentibus imputari docet. Hoc ergo tantum sequitur ex Bellarmini argumento, ne ipsos quidem renatos ex lege et ex operibus coram Deo justificari, cum minimos quosque defectus et παραπτώματα ipsorum lex observet, arguat et accuset, sed evangelium ostendit, credentibus in Christum et concupiscentias pravas Spiritu mortificantibus peccata illa non imputari εἰς κατάκριμα; bona renatorum opera Deo placere, quia fiunt ex fide in Christum; interim justitiam, quae coram Deo consistat, in illis nec quaeri nec statui posse, cum nec perfecta sint, nec immaculata, si ad legis divinae normam examinentur. 4. Pergit Bellarminus et ex singulorum locorum circumstantiis evincere conatur de mortalibus tantum peccatis in eis agi. Deuter. 27. *proponuntur mandata longe gravissima de cavenda idololatria, incestu et homicidio, quae sunt peccata letalia. Ergo istorum longe gravissimorum mandatorum transgressoribus solummodo denuntiatur maledictio.* Rom. 6: *illius peccati stipendium mors est, quod pugnat cum gratia et cum justitia simul consistere nequit.* Jac. 2. *de illa offen-*

sione loquitur, quae est contra legem et contra caritatem, talis non est peccatum veniale. Respondemus: sententia maledictionis Deut. 27, v. 26. fertur in omnes legis transgressores, non solum in eos, qui in maximis praeceptis legem violant, sed in omnes, qui non permanent in omnibus, quae scripta sunt in libro legis. Ostendunt circumstantiae textus, omnia legis praecepta non solum graviora de non-moechando, de non-furando etc., sed etiam illud ultimum de non-
67. concupiscendo fuisse prius in auribus populi Israëlitici publice recitata et tunc demum maledictionis sententiam in omnes transgressores legis promulgatam; ideo apostolus Gal. 3, v. 10. ut generalem sententiam eam accipit: *Quicunque ex operibus legis sunt* (quicunque in operibus legis justitiam quaerunt), *sub maledicto sunt, scriptum enim est: maledictus qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Glossa ordinaria pulcherrime in c. 27. Deut. in fine: *Haec sententia generaliter et praeterita et praesentia et dicenda legis mandata complectitur, tanto gravior, quanto generalior.* Quis enim potest sine transgressione in omnibus sermonibus legis permanere, cum et Paulus dicat: *Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt?* Nemo hanc maledictionem evadere potuit, nec legislator (Moyses) nisi Christus, unde: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Rom. 6, v. 23: *stipendium peccati mors dicitur*, quae sententia itidem generalis est omne peccatum respiciens, quod autem quaedam peccata renatos non reddunt aeternae morti obnoxios, ejus causam reddit apostolus Rom. 8, v. 1: *quia sunt fide in Christo, et quia non ambulant secundum carnem*, nec permittunt in corpore suo peccatum regnare. Ostendit autem res ipsa generale esse apostoli pronuntiatum, quod stipendium peccati mors sit, cum et baptizati et renati propter inhabitans peccatum sint morti temporali obnoxii. Rom. 8, v. 10: *Si Christus est in vobis, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vita propter justitiam;* nisi remissio hujus inhabitantis peccati obtingeret renatis per Christum, non minus aeternae quam temporalis mortis vinculo eos teneret obstrictos; libenter interim fatemur de peccatis regnantibus sive mortalibus, quae actu hominem reddunt aeternae morti obnoxium, proprie apostolum ibidem loqui. Jacobi apostoli sententia itidem generalis est, ad προσωποληψίαν, quae ex se videtur leve et veniale peccatum respiciens, ut apparet ex v. 9. August. epist. 29. ad Hieron. sive lib. 2. de sent. Jac. apost. ad Hieronym. c. 11. recte statuit, *ideo qui in uno offendit, omnium fieri reum, quia contra caritatem facit, unde tota lex pendet*, interim tamen non negat, etiam leviora (quae ita nobis videntur) peccata contra legem et caritatem committi, sic enim scribit c. 10. praeced.: *Caritas in aliis minor, in aliis nulla est, plenissima vero, quae jam non possit augeri, quamdiu hic homo vivit, est in mente, quamdiu autem augeri potest, profecto illud, quod minus est, quam debet, ex vitio est. Ex quo vitio non est justus in terra, qui faciat bonum et non peccet. Ex quo vitio non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens. Propter quod vitium, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmet ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Propter quod etiam quantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere: Dimitte nobis debita nostra, cum jam omnia in baptismo dicta, facta, cogitata demissa sint.* c. 15: *Sanctus Jacobus jam ex isto loco de misericordiae operibus loquitur, ut quos vehementer illa sententia terruerat, consoletur, cum admonet, quomodo etiam quotidiana peccata, sine quibus hic non vivitur, quotidianis remediis expientur, ne homo, qui cum in uno offenderit, sit reus omnium, in multis offendendo, quia in multis offendendo propter magnum aggerem reatus sui minutim collectum ad tribunal tanti judicis perveniat, et eam, quam non fecit, misericordiam non inveniat, sed potius dimittendo atque dando mereatur sibi dimitti peccata reddique promissa.* Haec Augustinus. Ex quibus omnibus patet, generales esse illas legis comminationes, id quod patet etiam ex illis locis, quae in specie de peccatis levioribus loquuntur, utpote de verbo otioso Matth. 12, v. 35. de subitis irae motibus Matth. 5, v. 22. de adspectu libidinoso v. 28. et quae testantur in medio pietatis cursu sanctos precari, ne Deus in judicium cum ipsis intret Psalm. 143, v. 2. etc. 5. Cumprimis vero in pervertendo c. 5. Matth. industrius est Bellarminus, monet primo loco sententiam Christi, *qui solverit unum de his minimis mandatis et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum, oppositam esse non illis, qui mandata minima transgrediuntur, sed illis, qui solvunt ista mandata prava
sua interpretatione, quod non amplius est veniale,* v. 68.
sed mortale crimen, videlicet depravare Dei verbum. Respondemus: utrumque docet Christus, nimirum legi non satisfieri particulari et mutila obedientia, sed necesse est, ut omnia usque ad minimum apicem perfectissime impleantur, quo pertinet v. 18, et praecipue interim minatur falsis doctoribus, qui perversa hac opinione homines ad vanam operum suorum justitiam abducunt, quo pertinet v. 19; nihilo tamen minus utrosque simul, et qui ita docent, et qui hac doctrina sese patiuntur a vera justitia abduci, excludit e regno coelorum. In doctorum vel potius seductorum istorum numero est ipse Bellarminus, qui hoc loco et alibi passim prorsus similia docet, ut justitiam operum stabiliat, Deum scilicet non requirere, ut minutissima quaeque legis in hac vita summo perfectionis gradu a nobis impleantur, sed contentum esse, si, quantum in nobis est, fecerimus, reliqua pertinere ad alteram vitam. Aliam igitur exceptionem addit priori huic parum fidens: *Si quis* (inquit) *contendat, excludi hoc loco a regno coelorum etiam eos, qui non observant minima mandata, possumus aliam adhibere solutionem. Nam per minima mandata recte possunt intelligi verba legis veteris: non moechaberis, non occides, quae dicuntur minima, quia minus perficiunt hominem, quam ea,*

quae Christus explicando et perficiendo tradidit. Respondemus: ostendemus suo loco, Christum non addidisse legi perfectiora et graviora quaedam mandata, quae enim major perfectio esse potest, quam diligere Deum, ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, et proximum sicut se ipsum? quomodo igitur mandatum illud poterit dici minimum? adde, quod ipse Bellarminus vi veritatis coactus fateatur lib. 4. de Justif. c. 3. *Christum hoc loco non tradere nova quaedam praecepta, sed adversus Pharisaeorum corruptelas veterem legem declarare.* Ergo nec huic solutioni acquiescit Bellarminus, sed addit tertiam, *Christum scilicet vocasse mandata minima, quae adjecit supra justitiam Pharisaeorum et scribarum, utpote non concupiscere mulierem alienam, non odisse inimicos, non dimittere uxorem nisi ob fornicationem, non ducere aliam vivente priore* etc., *non quia sint levia et exigua, sed ut modeste de rebus suis loqueretur, vel etiam quia minus peccatum est haec violare, quam superiora.* Respondemus: Quomodo Christus ea vocaret minima mandata, quae sunt ipsius legis praecepta? Pharisaeorum corruptelas unice respicit, illi tale fingebant discrimen inter praecepta Dei, quasi quaedam sint tam minuta ac levia, ut eorum transgressio non magnopere curetur a Deo; sed Christus illis gravem et seriam illam assertionem opponit v. 18: *Amen dico vobis, donec transeat coelum et terra, jota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant.* v. 19: *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum*, hoc est, nullus, ut recte interpretantur veteres et colligitur ex versu 20. Quae Bellarminus addit de gradibus quinti praecepti a Christo expositis, quasi id solum ex illis colligi possit, eum, qui proximo irascitur, recedere tantum a perfecta observatione legis, non tamen censeri simpliciter praevaricatorem legis (mirifica distinctio, recedere ab observatione legis et tamen non esse praevaricatorem, ἀντικείμενον ἐν προσκειμένῳ), ea paulo post excutientur. Quae de perfecta impletione praecepti de diligendo Deo super omnia disputat, excutientur in tractatu de lege. 6. Quidam ducunt argumentum ex Joh. 13, v. 8, ubi Christus ad Petrum dicit: *Si non lavero te, non habes partem mecum*, et docet renatos, etiamsi mundi sint ac purgati, tamen quotidiana peccatorum remissione indigere, ita enim lotionem illam interpretantur Augustinus in comm. et Bernhardus serm. de coena Dom. Quod si venialia illa quotidiana renatorum delicta excluderent a parte Domini, nisi ab eodem remitterentur, utique sua natura sunt mortalia peccata. Huic argumento frigide respondet Bellarminus *(non simpliciter ejusmodi peccata excludere a regno coelorum, sed solum ad tempus, donec videlicet purgata non fuerint, nec simpliciter ea mereri ex natura sua poenam aeternam, sed temporalem)*; haec enim non erant nude repetenda, sed confirmanda. Christus diserte testatur, etiam renatos ac lotos non habitu-
v. 69. ros partem secum, hoc est, in regno coelorum, nisi quotidiana peccatorum remissione mundarentur ac lavarentur.

95. Ex patribus referenda huc dicta ea, quibus perfectionis laudem operibus nostris et perfectam legis impletionem nobis derogant, de quibus suo loco. Basilius in quaest. comp. explic. q. 4: *nullum peccatum contemnendum ut parvum, cum revera nullum sit parvum, quando D. Paulus de omni peccato generatim pronuntiaverit, stimulum mortis esse peccatum.* Hieronym. dial. 2. adv. Pelagian.: *Si ira et sermonis injuria atque interdum jocus judicio concilioque et gehennae ignibus delegatur, quid merebitur turpium rerum appetitio et avaritià?* August. lib. 2. de pecc. merit. et remiss. c. 3: *Quis cum spe aliqua adipiscendae salutis aeternae de hac vita migraret, manente illa sententia, quod quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, reus factus sit omnium, nisi post paulum sequeretur, misericordia autem superexsultat judicio?* lib. 9. confess. c. ult.: *Vae etiam laudabili hominum vitae, si remota misericordia discutias eam.* Epist. 29: *Cum rex justus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato? quae igitur spes est, nisi superexsultet misericordia judicio?* Denique multis in locis asserit, quotidiana peccata non esse parvi pendenda, cum simul collecta hominem damnent, nisi eorum quotidiana remissio impetretur. epist. 29. ad Hieronym. epist. 108. in Psalm. 118. conc. 3. tract. 12. in Joh. tract. in epist. Joh. His veterum dictis ita respondet Bellarminus, *ut concedat nullum peccatum ut parvum ac leve contemnendum, ex eo tamen nondum sequi, quod sint sua natura mortalia.* Atqui nisi venialia illa et quotidiana renatorum peccata sua natura mortalia essent, non foret metuendum ab ipsis, nec eorum dimissio tam solicite petenda. Augustini dictis, respondet, *venialia peccata non pugnare cum caritate*, qua de re superius diximus. Beda in Samuelem: *Non tantum capitalium criminum incendia, in quibus apertum opus diaboli claret, sed et parva quaeque et quae hominibus extrema vel levia forte peccata videntur, districti judicis sententia reprobans damnat*, Gerson. part. 3. de vita spirit. anim. lect. 1: *Omne peccatum, pro quanto est offensa Dei et contra legem ejus aeternam, est de sua conditione et indignitate mortiferum secundum rigorem justitiae et a vita gloriae separativum. Ratio est, quoniam omnis offensa in Deum potest juste ab ipso judice DEO puniri poena mortis tam temporalis, quam aeternae, imo annihilationis poena. Est igitur de se mortifera. Assumtum deducitur ex hoc, quod nulla poena talis est ita mala, quantum mala est ipsa offensa. Et ex alio, quia potius toleranda esset omnis mors poenalis et annihilatio, quam committenda esset quantumlibet parva offensa in Deum, da oppositum, jam offensa DEI licite fieri deberet in casu. Praeterea quaelibet offensa Dei nisi remitteretur, repelleret a gloria DEI, perpetuo et absque termino puniretur, alioquin maneret dedecus culpae, sine decore justitiae;*

quod autem offensa dimittitur aut remittitur, est ex pura libertate Dei remittentis et non amplius imputantis etc. Coroll. 1: *Nulla offensa Dei est venialis de se, nisi tantummodo per respectum ad divinam misericordiam, quae non vult de facto quamlibet offensam imputare ad mortem, cum illud possit justissime; et ita concluditur, quod peccatum mortale et veniale in esse tali non distinguuntur intrinsece et essentialiter, sed solum per respectum ad divinam gratiam.* Coroll. 3: *obligamur Deo ad gratificationem et gratiarum actionem ex hoc, quod peccata nostra venialia non imputat ad mortem, sicut tenemur ex remissione mortalium.* Hanc Gersonis dissertationem approbat Biel. 4. sent. dist. 16. q. 2. art. 1, ubi addit: *non habet hic locum quorundam verbalis concertatio, quod veniale non sit offensa, nec contra Deum, quia omne peccatum est contra Deum.* Gersonem sequitur Almarius vel Almain tract. 3. c. 20. et Michaël Bias referente Vasquez in Thomam tom. 1. disp. 142. num. 7, uti etiam Roffensis acerrimus Lutheri adversarius art. 32: *Quod peccatum veniale solum ex Dei misericordia veniale sit, in hoc tecum sentio. Sed quoniam et nos mortale*
70. *quoque peccatum per Dei misericordiam fieri posse veniale credimus, vellem apertius nobis exponeres, quid ipse discriminis arbitreris, inter mortale venialeque peccatum statui debere. Nec opinor te dicturum, quin mortale protinus ut fit, effuget ab animo gratiam et in odio DEI constituat ipsum peccatorem. At veniale non ita. Quod si mortale gratiam aversetur, non autem veniale; profecto palam est, non mediocre discrimen esse venialis a mortali, nec exiguum inter ipsa repositum intervallum.* Hactenus convenire te par est, ut opinor, nobiscum de veniali mortalique.

96. Format etiam Bellarminus c. 14. rationes quasdam pro nostrae sententiae confirmatione, easdemque conatur solvere. Videamus, quid praestet: 1. Quaelibet culpa juste potest a DEO puniri poena temporali et aeterna. Ergo quaelibet culpa natura sua mortalis est. Excipit Bellarminus, *DEUM si id faceret, Dominum se probare, non judicem.* Respondemus: imo vero justum judicem et Dominum se probaret, quia transgressorem legis suae puniret. Quantum abest Bellarmini responsio ab illo pronuntiato, quod DEUS justo suo judicio salva justitia sua quosdam homines absoluto decreto reprobatorio aeternae morti adjudicare possit et adjudicaverit nullo habito peccatorum respectu! 2. Peccatum quodlibet infinitam habet malitiam, quia committitur contra infinitum bonum. Ergo etiam infinitam poenam ex natura sua meretur. Excipit Bellarminus, *veniale peccatum non habere infinitam malitiam, cum non avertat hominem a summo bono.* Respondemus: posset tamen a summo bono avertere, nisi Deus misericorditer propter Christum illud remitteret. Solum Dei odium formaliter est aversio a summo bono, nihilo tamen minus etiam alia mortalia peccata actu avertunt a summo bono per inordinatam conversionem ad temporalia, idem facerent venialia, nisi remitterentur. 3. Peccatum veniale posset nunquam remitti, cum ex indebita gratia Deus illud remittat. Ergo sua natura meretur aeternam poenam. Excipit Bellarminus *per accidens id non remitti propter adjunctum mortale.* Respondemus: imo vero posset Deus etiam sola venialia non conjuncta cum mortali non remittere, cum eadem gratis et ex indebita misericordia remittat, quamvis enim eorum remissionem credentibus promiserit, ea tamen promissio est mere gratuita, neque nititur nostra dignitate nostrisve meritis, sed sola promittentis et promissionem illam implentis Dei misericordia, quae in Christo ac propter Christum nobis contingit.

97. Scholastici et Pontificii quaedam peccata sua natura venialia esse disputant, ut superius vidimus, interim tamen non consentiunt in omnibus: 1. Bonavent. 2. sent. dist. 42. q. 2. num. 47. negat, *per veniale peccatum Deum offendi.* Bellarminus lib. 1. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 9. concedit, *veniali peccato Deum offendi, sed non usque ad amicitiae dissolutionem.* 2. Biel 4. sent. dist. 16. q. 5. art. 2. dicit, *ad remissionem peccati venialis non requiri poenitentiam proprie acceptam, nec actualem, nec habitualem, nec sacramentalem; nihilominus inter remedia venialium peccatorum numerant contritionem et confessionem*, eademque jejunio, flagellis, aspersione aquae benedictae etc. expiare sive pro iis satisfacere jubent recentiores scriptores. 3. Quidam statuunt, etiam venialia peccata sacerdoti confitenda esse, quidam vero negant. Bonavent. statuit, quod teneatur quis ad confessionem venialium ratione praecepti ecclesiae per cap. Omnis utriusque sexus; sed Biel hoc improbat et statuit capitulum illud loqui de solis mortalibus peccatis, addit etiam rationem valde egregiam. *Nemo tenetur de illis confiteri, ad quorum contritionem non tenetur, sed de venialibus non est habenda contritio.* Thom. 4. sent. dist. 17. recitat opinionem quorundam, *quod tunc quis teneatur ad confessionem venialium, si non habet mortalia*, cui concordat Richardus ead. c. dist., sed contrarium statuunt Scotus, Durandus, Petrus de Palude, vide summam angelicam in verbo confessionum 1. quaest. 28.

Antithesis adversariorum, quod quaedam peccata sint sua natura venialia.

98. Nobis cum Bellarmino res erit. Is lib. 1. de amiss. grat. et stat. pecc. c. 4. et lib. 4. de notis eccles. c. 9. Joviniano et Pelagio nos conjungit, qui discrimen et gradus peccatorum tollebant, quod a nobis minime fit, retinemus enim discrimen inter venialia et mortalia peccata in renatis ac gradus peccatorum esse agnoscimus. Quae ergo c. 5. et 6. disputat, nos non attingunt, uti nec ea quae c. 7. profert; neque enim dicimus omnia electorum peccata venialia esse, sed peccatis contra conscientiam admissis, fidem et Spiritum sanctum amitti cum August. confess. art. 12. profitemur, qua de re in articulo de fide dicendum erit. Cap. 8. tria contra nos demonstrare nititur Bellarminus: *1. falsum esse, quod ea peccata sint venialia, quae nobis non im-* V. 71.

putantur. Argumento utitur tali: *Scriptura docet remissionem peccatorum venialium a DEO petendam. Ergo ea non sunt tecta.* Respondemus: Imo vero invertimus hoc argumentum: Quia Christus jubet pro quotidianis orare delictis, et exauditionem precum promisit; ergo teguntur et remittuntur petentibus in fide, ac nisi gratis propter Christum remitterentur, reos non facerent. Est omnino illa renatorum precatio perpetuum fidei exercitium, ejusdemque confirmandae et augendae medium, proinde non debent hae preces et fiducia remissionis peccatorum sibi opponi, sed fides illa certo statuens propter Christum peccata infirmitatis quotidiana nobis remitti per orationem sese exserit et peccatorum remissionem quaerit. *2. Falsum etiam illud esse, quod ea solum peccata sint venialia, quae cum fide consistunt, fore enim ut sacrilegia, homicidia, adulteria, furta* etc. *sint venialia. 3. Falsum denique et istud esse, quod peccata mortalia non consistant cum fide.* Respondemus: hac de re in articulo de justificatione dicetur et contrarium evidenter demonstrabitur.

Ex Scriptura. Matth. 5: Qui irascitur fratri reus erit judicio.

99. Tandem igitur c. 9. acropolin controversiae aggreditur Bellarminus et conatur probare, esse quaedam sua natura venialia peccata. Primam argumentorum classem petit ex Scriptura: 1. Matth. 5, v. 22: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui dixerit raca, reus erit concilio; qui dixerit fatue, reus erit gehennae ignis; ibi tres gradus iracundiae statuit Christus, eisdemque tres reatus opponit*, hoc ita applicat Bellarminus: *Manifestum convitium, teste vel judice Christo, facit reum gehennae ignis, ac per hoc est mortale peccatum. Iracundia sono vocis expressa, sed ad malum convitii non pertingens, facit reum concilii, id est, non constat, an mereatur gehennam, sed aut ea poena aut minore digna est. Inveniuntur ergo peccata quaedam, quae leviora sunt, quam ut gehennam ignis mereantur. Quorsum enim cogeretur concilium ad discernendum, num aliqua culpa gehenna ignis punienda esset, si omnes culpae gehennam ignis mererentur? sunt ergo culpae aliquae, quae divino judicio sola poena temporali multandae sunt. Rursus iracundia, quae nullo signo externo foras prorumpit, non facit reum concilio, sed judicio; hoc est, non constat, an mereatur poenam aliquam vel nullam.* Respondemus: foedissima haec est textus depravatio, quod sic ostendimus. Docuerat Christus in praecedentibus, non qualemcunque, sed perfectam legis impletionem requiri, ut quis intret regnum coelorum, nec tale divinorum praeceptorum discrimen statuendum, quasi quaedam sint minuta et levia, quorum observationem non adeo scrupulose et rigide requirat legislator, modo in maximis praeceptis legi obedientia praestetur, sed omnia usque ad unicum jota et minutissimum punctum perfectissime implenda esse, hanc generalem doctrinam more Hebraico exemplis quorundam praeceptorum declarat et Pharisaicas eorum corruptelas refellit. v. 21. recitat verba veteris traditionis, hoc est, Pharisaicae depravationis quinti praecepti specioso veteris traditionis schemate venditata. *Audistis, 'quod dictum sit antiquis, non occides, qui autem occiderit, reus erit judicio;* ex quo apparet, v. 21
Pharisaeos interpretationem quinti praecepti ita depravasse, quod is tantum, qui externo opere homicidium committit, reus sit irae Dei et poenae aeternae coram Dei judicio, perinde ut in civili judicio juxta forenses leges Moysis externum tantum homicidium morte puniebatur. Huic corruptelae Christus opponit veram legis divinae explicationem v. 22: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri suo raca, reus erit concilio; qui autem dixerit fatue, reus erit gehennae ignis;* ubi ostendit quatuor gradus peccatorum, quibus quintum praeceptum de non-occidendo violetur. *Quisquis irasci-* v. 22
tur fratri; nomine irae intelligit omnes interiores motus in mente, voluntate et corde cum proximi caritate pugnantes. *2. Quisquis dixerit fratri suo raca;* cum hic gradus ponatur in mente inter affectus interiores et manifesta convitia, inde colligitur sub voce raca, quae procul dubio tum temporis fuit vulgaris et in omnium ore comprehendi omnia signa et gestus irati animi. *3. Quisquis dixerit fatue;* hoc est, qui irati animi affectus per manifesta convitia et maledicta ostendit. *4. Quisquis occiderit,* hoc est, qui externo opere corpus aut vitam proximi laeserit; omnibus et singulis hisce gradibus quintum decalogi praeceptum violari Christus docet, nec eum solum, qui occiderit proximum, sed etiam qui eidem iratus fuerit, judicio obnoxium esse pronuntiat. Respicit autem, uti dictum, Christus ad Pharisaeorum corruptelas, qui docebant, externa tantum graviora delicta, quae judicio forensi capitalia censentur, coram Dei etiam judicio maledictioni obnoxia esse, sed Christus hac sua explicatione ostendit, de magnitudine peccatorum et de ira Dei adversus peccata coram Dei judicio non esse pronuntiandum ex forma judiciorum humanorum vel ex forensibus legibus, sed ex genuina decalogi sententia, juxta quam etiam is, qui interioribus saltem irae motibus quintum praeceptum transgreditur, judicio Dei fiat obnoxius. Quia vero judicium Dei de magnitudine et poenis peccatorum declarat Christus per vocabula judicii, concilii et synedrii, quae in politia Mosaica usitata erant, ideo observandum, quod ex Paulo Fagio in c. 16. Deut. annotat Dn. Chemnicius in Harmon. c. 51, p. 345: *Judices in politia Mosaica in tres ordines fuisse distributos: 1. In judicio sedebant triumviri, pronuntiantes de causis, quae erant manifesti juris, ut de poena homicidii. 2. In qualibet civitate Israël erat parvum synedrion, constans ex 23. judicibus, illi judicabant de causis, quae aliquid habebant controversiae. 3. Hierosolymis erant 72. judices, qui de summis causis cognoscebant, quod summum judicium vocabatur synedrion, a Judaeis Sanhedrin. Haec ergo vocabula, concilii, judicii et gehennae. significant hoc loco poenas non civiles, sed supplicia capitalia, quas*

pro ratione delictorum aggravabantur quidem et exasperabantur, omnia tamen erant capitalia; Christus igitur ea ab usu forensi transfert ad descriptionem judicii Dei adversus peccata et concedit, sicut peccata omnia non sunt paria, ita etiam poenas coram Dei judicio non fore per omnia aequales, sed simul contra Pharisaeos ostendit, in judicio Dei, si non facta fuerit remissio, omnia etiam, quae minutissima a nobis censentur peccata, obnoxia esse judicio damnationis aeternae. Haec omnia doctissimus Chemnicius, ex quibus Bellarmini depravatio facile refelli potest. Nam 1. statuere, quod quaedam peccata contra quintum praeceptum sint ita comparata, ut de illis non constet, an poenam aliquam mereantur, vel nullam; evidenter repugnat scopo et intentioni Christi, qui Pharisaicum somnium de minutulis quibusdam mandatis hac quinti praecepti explicatione refellit. 2. Judicii nomine non humanum, sed divinum hoc loco intelligitur judicium, quod non modo examen et discussionem caussae complectitur, sed in Scriptura ita explicatur Psal. 143, v. 2. cum quo DEUS in judicium suum ingreditur, is non justificatur. 3. Galat. 5, v. 20. ira numeratur inter opera carnis, et additur: *qui talia agunt, regnum DEI non possidebunt.* Coloss. 3, v. 9. ira refertur ad veterem hominem; 1. Joh. 3, v. 15: *Qui odit fratrem, homicida est, non habens vitam aeternam in se manentem;* quo ergo ore, quave fronte Bellarminus pronuntiat, non constare, an iracundia, quae nullo externo signo sese prodit, poenam aliquam mereatur vel nullam? 4. Quid nomine judicii hoc loco intelligatur, Christus ipse v. 25. exponit, cum inquit: *tradetur talis homo judicii, judex tradet illum tortori*, et Luc. 12, v. 58: *conjicietur in carcerem, unde non exibit, donec solverit extremum quadrantem.* Ergo in judicio Dei etiam extremus debitorum nostrorum quadrans, nisi in hac vita remissio facta fuerit, hanc habet rationem, ut si DEUS in judicium nobiscum ingredi velit, aeterno carcere nos mancipare possit. 5. Imo
v. 74. generalis clausula omnibus praeceptis et sic etiam quinto praecepto addita ostendit, quale sit judicium DEI adversus peccata: *Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis* Deut. 27, v. 26. 6. Si reum esse judicio hunc habet sensum, quod non constet, an talis mereatur poenam aliquam vel nullam, sequetur etiam homicidam venialiter peccare, ut patet ex versu 21.

Luc. 6: Quaedam peccata comparantur festucis.

100. Secundo loco urget Bellarminus, quod Matth. 23. et Luc. 6. *Christus comparet peccata quaedam rebus sua natura levissimis, videlicet culicibus et festucae, alia vero gravissimis ut camelo et trabi, inter quae ex natura rei est discrimen.* Respondemus: esse quaedam peccata aliis graviora, quod ex his locis evinci potest, non negamus; id vero probandum erat, leviora illa, quae aliorum comparatione ita dicuntur, esse sua natura venialia sive venia digna, quod ex illis locis evinci non potest. Matth. 23. Christus taxat Pharisaeos, quod in minutissimis videri velint habere rationem conscientiae suae, cum interea in rebus maximis conscientia stupida secure peccent et delinquant. August. libr. 1. quaest. evang. c. 35. Luc. 6. Christus taxat eos, qui in levioribus aliorum erratis observandis quovis Argo oculatiores, in suis vero quavis talpa caeciores, non vident id manticae, quod in tergo est. Sed quid hoc ad praesentem quaestionem, in qua non agitur de comparatione peccatorum, an alia aliis graviora, sed de vera ac propria natura eorum, quae nobis videntur minuta ac levia? Quod tertio loco Bellarminus addit *per novissimum quadrantem* Luc. 12, v. ult. *intelligi peccata minuta et levissima, pro quibus in carcere purgatorii satisfaciendum; uti etiam* 1. Cor. 3, v. 12. *per lignum, foenum ac stipulas eadem venialia peccata intelligenda esse;* id suo loco, nimirum in tractatu de purgatorio excutietur. Certum est, ex parabolis seu allegoriis non posse dogmata constitui aut probari, nisi ipsa Scriptura addat explicationem. Parabola Christi Luc. 12. non hoc ponit categorice, post judicium aliquando dissolvi posse debitum, neque asserit, fore ut debitor ex illo carcere olim liberetur, sed rigidum atque summum jus, sive exactissimam debiti inquisitionem describit illa hypothetica, neminem ex illo carcere liberari posse, nisi omne debitum et quidem extremum quadrantem persolverit, et diserte ibi agit Christus de irreconciliabili odio ergo proximum, quod veniale peccatum esse non opinor, dicit Bellarminus. 1. Cor. 3. non agitur de peccatis venialibus, sed de humanis opinionibus fidei fundamento superstructis, qua de re suo loco. Dictum Jacobi c. 1. de concupiscentia ad peccatum illiciente expositum est superius. Denique affert Bellarminus duo Scripturae loca, *quae mitius loquuntur de quibusdam peccatis, quam de mortalibus solent loqui.* Matth. 12, v. 35. *de verbo otioso tantum rationem reddendam in judicio Christus pronuntiat, sed operantes iniquitatem plane a se rejicit.* Eph. 5, v. 3. et 4. enumerat apostolus sex peccatorum genera, fornicationem, immunditiam, avaritam, turpitudinem, stultiloquium, scurrilitatem, et v. 5. de prioribus tribus tantum subjungit, *eos, qui talia agunt, non habere haereditatem in Dei regno.* Respondemus: hoc saltem ex illis et similibus dictis probari potest, esse quoddam peccatorum discrimen, ita ut quaedam a renatis committantur, nec tamen e regno coelorum actu eos excludant, quaedam vero, si a renatis committantur, fidem et Spiritum sanctum excutiant, quod nos non negamus, sed ullum omnino peccatum sua natura et ex suo genere esse veniale et venia dignum, ex illis dictis probari nunquam poterit. Si de verbo inutili rationem deberemus in judicio reddere, quis consisteret? per fidem in Christum ab illo judicii divini rigore liberamur, *qui enim in Christum credit, non venit in judicium* Joh. 5, v. 24. Quis vero patienter audiat voluntariam turpitudinem et scurrilitatem numerari inter venialia peccata, quae sua natura venia sint digna, cum verbum turpe et scurrile animam proximi gravius vulneret, quam gladius ipsius cor-

pus? diserte apostolus c. 4. praeced. v. 29. et 30. sermone σαπρῷ Spiritum sanctum contristari pronuntiat.

V. 75. Ex patribus. 101. Quae ex concilio Milevitano, Origene, Chrysostomo et Augustino Bellarminus producit, ea nostrae non adversantur sententiae, probant enim hoc tantum, quod sint peccatorum gradus, quod sint quaedam venialia peccata, quod renatis saepe in levissimis et aliquando incautis obrepat peccatum, per quod non desinunt esse justi, quod sine levibus ac brevibus quotidianis peccatis haec vita nostra non traducatur etc., quorum nihil a nobis negatur; probandum vero erat, quaedam peccata esse sua natura venialia et venia digna, quod diserte in dictis ipsorum non occurrit. Ex ratione. Audiamus ergo rationes, quas profert Bellarminus c. 11. Primo: *Si venialia peccata sua natura essent mortalia, in infidelibus omnia omnino peccata essent mortalia. Posterius est absurdum. Ergo et prius.* Respondemus: Imo vero hoc certissimae veritatis est, quod omnia infidelium opera sint peccata. Matth. 7, v. 10: *Non potest arbor mala fructus bonos facere.* Joh. 3, v. 36: *Qui incredulus est Filio, super eum manet ira Dei.* Rom. 14, v. ult.: *Quicquid non fit ex fide, peccatum est.* Tit. 1, v. 15: *Coinquinatis et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatae sunt ipsorum mens et conscientia.* Hebr. 11, v. 6: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Quid ab inimicis, qua talibus, offerri potest gratum et acceptum? quis ab oleastro sperari potest fructus? Proinde quamvis quaedam infidelium opera juxta aeternam speciem videantur apprime bona et suo genere vel (ut alii loquuntur) ex substantia actus sint honesta, ut cooperire nudum, subvenire periclitanti etc., tamen coram Deo sunt peccata, quia fiunt in vetustate literae, non in novitate Spiritus, a persona DEO nondum reconciliata; non fiunt ex fide in Christum nec referuntur ad verum finem, videlicet Dei gloriam. Nondum renati sunt in peccatis mortui, ut ergo spiritualis vita in eis nulla, ita quoque spiritualis operatio non est ab eis exspectanda. Huic sententiae calculum suum addunt Ambrosius, Augustinus et Anselmus, ut suo loco videbimus, unde glossa ordinaria in Rom. 14. ex illis scribit: Omnis infidelium vita peccatum est. *At*, inquit Bellarminus, *fidelis magis tenetur perfectioni studere, quam infidelis, ergo in eodem peccati genere gravius Deum offendit.* Luc. 12: *Servus sciens voluntatem Domini* etc. Hebr. 10: *Deteriora meretur supplicia, qui Filium Dei conculcaverit* etc. Respondemus: Certum est, renatos per peccata mortalia contra conscientiam admissa gravius Deum offendere, quam infideles vel non renatos, quibus tantum cognitionis lumen ac tantus beneficiorum divinorum cumulus non obtigit, sed ex eo nondum inferri potest, quaedam peccata infidelium esse sua natura venialia; quod enim in renatis quaedam sunt venialia, id non est a natura peccatorum, sed ex sola DEI miserentis et peccata non imputantis gratia; ergo in non renatis ac infidelibus omnia omnino peccata sunt et manent talia, qualia sunt ex sua natura, hoc est, mortalia. Ubi vera in Christum fides, per caritatem efficax, ibi homo spiritualiter vivit, hanc spiritualem vitam non amittit per quaevis peccata ignorantiae et infirmitatis, modo ea agnoscat, deploret et Christo adhaerens Spiritu concupiscentias carnis mortificet, sed per peccata contra conscientiam admissa, per quae Spiritus sanctus excutitur, fides et vita spiritualis amittitur. In non-renatis ac infidelibus locum non habet spiritualis vita, sunt enim in peccatis mortui, et ira Dei super ipsos manet, ergo tale peccatorum discrimen in ipsis non habet locum. *2. Non ideo peccatum aliquod veniale, quia Deus illud ad reatum mortis aeternae non imputat, sed ideo Deus ad reatum mortis aeternae non imputat, quia veniale est. Veniale siquidem dicitur, quod est venia dignum.* Respondemus: Imo vero ideo aliquod peccatum veniale, non quia sua natura venia dignum, sed quia Deus illud credentibus in Christum et peccatum illud mortificantibus non imputat: major hic rei quam nominis habenda ratio. Scriptura nuspiam appellat peccata venialia, interim tritam illam et usitatam appellationem retinemus, sed veram ex Scripturis declarationem addimus. Addit Bellarminus, *ideo a nobis quaedam peccata dici venialia, quia sunt involuntaria, quaedam vero mortalia, nimirum quae sunt voluntaria, et ex eo colligere nititur, re ipsa* V. 76.
nos affirmare, quod verbis negemus, videlicet ad ipsam peccati naturam mortalium et venialium peccatorum discrimen esse referendum, cum voluntarium esse ad propriam peccati rationem pertineat, adeo ut plane non sit peccatum, quod nullo modo voluntarium. Respondemus: Augustinianum illud, quod omne peccatum sit voluntarium, de solis actualibus, et ne de omnibus quidem, sed de solis peccatis malitiae intelligendum, alias ipsum originale peccatum, uti etiam ignorantiae et infirmitatis peccata negabuntur. Non est perpetuum, quod ea peccata sint mortalia, quae voluntaria; et vicissim venialia, quae involuntaria; cum peccatum originale in infantibus nondum baptizatis sit mortale, etiamsi non sit voluntarium. Ideo autem quaedam dicuntur in renatis mortalia, quia contra conscientiam admissa excutiunt fidem et Spiritum s., quod non fit per peccatum inhaerens, quamdiu illi resistitur. *3. Peccatum veniale ex natura sua non ponit aversionem a Deo, cum non repugnet caritati. At poena aeterna non debetur peccato, nisi ratione aversionis a bono aeterno.* Respondemus: de peccati magnitudine judicandum ex lege, ἡ ἁμαρτία ἐστιν ἡ ἀνομία 1. Joh. 3, v. 4; quicquid ergo a lege deflectit, peccatum est, omne autem peccatum sua natura tale est, ut a lege accusetur et damnetur. Quamvis ergo venialia peccata non videantur actu et formaliter pugnare cum caritate Dei et proximi, tamen quia testantur, in corde hominis non esse tantam caritatem, quantam lex exigit, ideo sunt et manent sua

natura mortalia peccata contra legis prohibitionem admissa, ac proinde si Deus in judicium suum ea adduceret, ipse tanquam ignis consumens propter ea nos jure a se rejicere et damnare posset. *4. Non quaevis offensio dissolvit amicitiam inter homines. Ergo etiam venialibus peccatis non offenditur Deus usque ad amicitiae dissolutionem. Qui amicum incaute vel in re levissima laedit, judicio prudentum non censetur solvendae amicitiae satis justam causam dedisse.* Respondemus: non ex rationis judicio, *sed ex lege est agnitio peccati* Rom. 3, v. 20: *Non sunt cogitationes Dei, sicut cogitationes nostrae, nec viae Dei sunt sicut viae nostrae, sed quanto altiores sunt coeli quam terrae, tanto alteriores sunt viae Dei, quam viae nostrae* Esa. 59, v. 8. et 9. Alia Dei, alia hominum judicia. Adde quod humano etiam judicio delictum soleat aestimari juxta dignitatem personae offensae, qui incaute vel in re levi offendit principem, gravius judicatur peccare, quam qui alium in re majori offendit. Quamvis ergo venialia peccata actu non dissolvant Dei et renatorum amicitiam (ut Bellarmino placuit loqui), hoc est, quamvis non per quaevis peccata renati excidant Dei gratia, id tamen non fit ex natura peccatorum, sed ideo, quia talia non excutiunt fidem et Spiritum s. De infidelibus dici non potest per leviora peccata non dissolvi amicitiam, quae cum Deo ipsis intercedit, cum sint Dei inimici. *5. Venialia peccata nec sunt perfecte voluntaria, nec perfecte contra legem. Ergo non sunt perfecte peccata, sed tantum imperfecte et secundum quid.* Respondemus: actualia peccata non esse eodem gradu voluntaria concedimus, sed ex eo inferri non debet, quod sint imperfecte peccata, quia ex legis norma de peccato judicandum, quicquid est ullo modo contra legem, illud est peccatum vere et proprie dictum, licet alio peccato minus sit. Si ergo nomine imperfecti peccati Bellarminus hoc quaerit, ut obtineat, involuntaria peccata non esse vere et proprie peccata, tunc illam vocem improbamus, quia originale peccatum non est voluntarium et tamen vere, proprie ac perfecte, imo perfectissime est peccatum. Si vero nomine imperfecti peccati gradus peccatorum exprimit, concedimus peccata alia aliis graviora esse, sed ex eo nondum sequitur, quod leviora illa, quae reliquorum graviorum comparatione ita dicuntur, non sint vere et proprie peccata, cum sint ἀνομία sive deflectio a legis norma. Probandum igitur erit, quaedam peccata non esse contra legem. *Peccatum veniale ex parvitate materiae* (ait Bellarminus) *non est perfecte contra legem, quia lex prohibet furtum in genere, non autem furtum unius oboli in specie*, quae consecutio mirabilis est, ex genere enim et toto ad speciem et partes firmissime procedi docent omnes
V. 77. logici, quia lex prohibet furtum in genere, ideo etiam prohibet furtum unius oboli in specie. *At*, inquit Bellarminus, *furtum levius non laedit enormiter proximum, ergo nec repugnat caritati proximi, nec est contra legem perfecte.* Respondemus: furtum majus proximum laedit gravius, interim tamen furtum etiam levissimum caritati proximo debitae repugnat, quod ostendit regula Christi: *Quodcunque vultis, ut faciant vobis homines, idem et vos illis facite* Matth. 7, v. 12. Appellavit in ratione quarta Bellarminus ad judicium prudentum, audiat ergo hic juris consultos, qui rectissime disputant, *etiam in re minima vere committi furtum, cum majus et minus non mutent speciem.* §. Gallinarum 16. Inst. de R. D. arg. lib. 3. §. 1. ff. commodati lib. 3. C. de distract. pign. lib. 37. ff. de usucap. c. final. 14. q. ult. Clarus in §. furtum. nu. 23. testatur hanc esse communem sententiam. Et recte monet Wesenbecius, *pauperibus unum nummum esse pretiosiorem, quam divitibus centum.* Fictitia ergo et falsa distinctio est, quod quaedam tantum peccata sint contra legem, quaedam vero tantum praeter legem, cum omne peccatum sit ἀνομία ac proinde contra legem. Vasquez in Thom. disp. 143. c. 4. num. 9: *Negari non potest, peccatum veniale esse contra aliquod praeceptum legis.* Azorius instit. moral. lib. 4. c. 8: *Dicendum est, ut docuerunt Durandus, Cajetanus, Vega, veniale peccatum esse quidem contra legem Dei, id quod argumenta adversariorum* (protestantium) *comprobarunt; at non est contra speciale Dei praeceptum de amicitia ejus nunquam violanda* (quod subterfugium vanum ac putidum esse ostendit Thom. Morton. Apol. Cath. lib. 2. p. 2. c. 23.). Pergit Bellarminus ac disputat, *praecepta de re minima non esse proprie et in rigore praecepta, siquidem constituantur de re, quae parum admodum ad finem praecepti, videlicet caritatem pertinet,* Respondemus: non poterat Pharisaeorum causa melius defendi, quam hac ratiocinatione, cum et ipsi statuerint, praecepta de rebus minimis non esse proprie, perfecte et in rigore praecepta; imo serpentina diaboli primaevos homines decipientis calliditas non poterat speciosiori schemate pingi atque velari, quam quod primordialis illa lex de non comedendo arboris vetitae fructu sit praeceptum de re minima, ac proinde non perfecte et in rigore praeceptum, cujus transgressio magnopere a Deo curetur. Atqui obligatio praecepti dependet non a quantitate objecti, sed a majestate praecipientis; non tam quid dicatur, quam quis dicat, in lege Dei attendendum; qui in uno non veretur Dei praeceptum violare, audebit id ipsum etiam in alio, qui in minimo obediens, is in majoribus itidem remissus. *6. Absurdissimum est statuere, quod per veniale aliquod peccatum homo justus fiat praevaricator legis, cum Scriptura quosdam nominet simpliciter sanctos et justos, etiam cum peccatis venialibus non carerent, ut de Zacharia et Elisabetha* Lucae 1. Respondemus: coram Deo erant justi non legaliter, sed evangelice per fidem in Messiam; et hanc fidei justitiam demonstrabant exterius sincera erga legem DEI obedientia, qua de re suo loco dicetur plenius. Nec ullo modo absurdum, sed

certissime verum est, renatos per quodcunque peccatum fieri legis praevaricatores, *ideoque ex operibus legis non justificatur omnis caro, quod erat legi impossibile, id praestitit Deus mittens Filium; a Christo exciderunt, qui per legem justificari volunt: si ex lege justitia, Christus frustra mortuus est.* 7. *Venialia peccata non excludunt caritatem; qui vero proximum diligit, legem implevit* Rom. 13. *Ergo venialia peccata non tollunt impletionem legis, nec sunt proprie contra legem.* Respondemus: non qualiscunque, sed perfecta caritas est impletio legis, quare cum caritas in hac vita non sit perfecta et omnibus numeris absoluta, ideo non potest in ea quaeri et statui coram Deo valens justitia. Venialia peccata in renatis etsi directe et formaliter non pugnent cum caritate proximi, tamen pugnant cum caritate DEI, qui tulit legem istam, quam per peccata venialia transgredimur, et quam perfectissima DEI et proximi dilectione implere debebamus.

102. Atque haec dicta sint de venialibus peccatis, an sint talia sua natura, an vero ex DEI propter
v. 78. Christum ea non imputantis gratia, quam controversiam Bellarminus vocat non levem, cum ardua illa de nostri coram Deo justificatione quaestio non mediocriter ex ea illustretur. De mortalibus peccatis itidem gravis agitatur controversia, *an renati per ea excutiant fidem et Spiritum s., ac amittant gratiam et vitam aeternam?* ad quam ex verbo DEI affirmate respondet Augustana confessio art. 12; ejus discussionem rejiciemus in tractatum de fide justificante.

An sint septem mortalia peccata.

Porro mortalia peccata septenarii numeri ambitu complectuntur Scholastici plerique eodemque memoriae causa includunt voci *SALIGIA* significantes *superbiam, avaritiam, luxuriam, iram, gulam, invidiam, acediam.* Vere autem monet Toletus Jes. instruct. Sacerd. tract. de pecc. mortal. *rectius ea dici capitalia, quam mortalia, cum plura sint omnino peccata mortalia.* Gal. 5, v. 19. numerantur inter opera carnis *adulterium fornicatio, immundities, luxuria.* v. 20: *idololatria, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, haereses.* v. 21: *invidia, homicidia, ebrietates, comessationes,* et additur, *quod qui ea et illis similia agunt, non sint consecuturi coelestis regni possessionem.* August. in speculo praefat. epist. ad Rom.: *Quidam putant tria tantum crimina esse mortifera, idololatriam et homicidium et fornicationem, ubi utique et adulterium et omnis praeter uxorem concubitus intelligitur; quasi non sint mortifera crimina, quaecunque alia sunt praeter haec tria, quae a regno Dei separant!*

CAPUT XXI.

DE PECCATIS REGNANTIBUS ET NON REGNANTIBUS.

Quodd[...] peccat[...] regnan[...] quodd[...] non re[...]gnans.

103. Finiamus tandem hanc de discrimine venialis ac mortalis peccati dissertationem; succedat actualium peccatorum divisio decima septima, qua quaedam dicuntur peccata regnantia, quaedam non regnantia. Convenit haec re ipsa cum priore, quia peccata mortalia in renatis dicuntur regnantia, sed venialia dicuntur non regnantia. Fundamentum hujus divisionis exstat Rom. 6, v. 12: *non regnet peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Quando ergo originalis concupiscentia membris inhaerens non mortificatur, sed ejus desideriis secure indulgetur, tunc fit peccatum regnans sive dominans. Joh. 8, v. 34: *Qui facit peccatum, servus est peccati.* 1. Joh. 3, v. 6: *Omnis, qui manet in Christo, non peccat.* v. 8: *Qui facit peccatum, ex diabolo est.* v. 9: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit.* Aliud ergo in Johanne peccare et peccatum facere, h. e. concupiscentias pravas et desideria peccatricis carnis perficere: aliud vero peccatum habere, h. e. concupiscentiae motus sentire. Felix anima, quae sentiens peccatum non consentit peccato.

CAPUT XXII.

DE PECCATIS PER SE ET PER ACCIDENS.

Quaedam sunt peccata per se, quaedam κατ' ἄλλο et per accidens.

104. Decimo octavo. Quaedam sunt per se peccata, quaedam vero κατ' ἄλλο, propter aliud. Sic quando infideles furantur, fornicantur, rapiunt etc., ea sunt per se et natura actus peccata; quando vero cooperiunt nuditatem proximi, eidemque subveniunt etc., ea ex se et quoad naturam actus non sunt peccata, sed per ac propter aliud fiunt peccata, quia persona Deo nondum est reconciliata, quia talia opera non procedunt ex puro corde, quia non diriguntur ad Dei gloriam. Usus hujus divisionis est multiplex. Dicebat D. Lutherus, *justum in omni bono opere peccare;* graviter hoc exagitat Bellarm., sed observa,
bona opera renatorum non dici peccata per se et v. 79.
quoad substantiam actus, sunt enim cultus Deo gratissimus et odor suavitatis coram ipso, sed quia renatis bona operantibus adhaeret peccatum, et quia illa ipsa bona opera non sunt perfecte bona, ideo hoc respectu verissime dicitur, justum in omni opere bono peccare, et bona opera renatorum esse peccata, nimirum κατά τι, propter adhaerentem pravam concupiscentiam et multiplicem imperfectionem, propter quam Deus ipsa renatorum bona opera repudiare posset, si ad rigidam legis normam ea velit exigere,

atque inde est, quod Esaias c. 64, v. 6. *Omnes nostras justitias coram Deo quasi pannum mulieris menstruatae esse* pronuntiat. *Jugiter super pannum vitae, quem justitiae operibus teximus, stillamus saniem diversorum criminum*, scribit Adrianus de Trajecto in 4. sent. referente Cassandro in sua consult. Ad ejus examen vita nostra ducitur, sub quo et ipsae virtutes trepidant. Quia vero renatorum bona opera procedunt ex fide, ideo adhaerentes istas sordes et imperfectionem Deus ipsis non imputat, sed filialem ipsorum obedientiam in Christo ac propter Christum gratam habet.

CAPUT XXIII.

DE PECCATO MORTUO ET VIVENTE.

Quoddam peccatum mortuum, quoddam vivens.

105. Decimo nono. Est quoddam peccatum mortuum, quoddam vero vivens. Fundamentum hujus divisionis exstat Rom. 7, v. 8: *Sine lege peccatum erat mortuum.* v. 9: *sed cum venisset mandatum, peccatum revixit.* Ergo respectu legis manifestantis et accusantis peccatum aliud dicitur mortuum, aliud vivens. Peccatum mortuum est, quod in nobis quidem haeret, sed non agnoscitur pro peccato, neque ita furit, ut solet post legis cognitionem. Peccatum vivens dicitur, quod ex legis speculo agnoscitur et in nobis furit.

CAPUT XXIV.

DE PECCATO MANENTE ET REMISSO.

Quoddam peccatum manens, quoddam remissum.

106. Vigesimo. Est quoddam peccatum manens, quoddam vero remissum. Fundamentum hujus divisionis exstat Joh. 9, v. 41: *Si caeci essetis* (si agnita caecitate vestra ad medicum animae confugeretis), *non haberetis peccatum* (remitteretur vobis peccatum vestrum); *nunc vero dicitis, quod videatis* (non agnoscitis morbum nec quaeritis medicum), *ideo peccatum vestrum manet.* Peccatum igitur manens est omne, quod non remittitur, de quo praecedente c. 8, v. 25. Christus loquitur ad Pharisaeos: *Moriemini in peccatis vestris*, et quia non aliter obtineri vel obtingere potest peccatorum remissio nisi fide in Christum, ideo addit: *Si non credideritis, quod ego sim* (lux mundi, unicus mediator et agnus Dei, qui tollit peccata mundi), *moriemini in peccatis vestris.* Joh. 3, v. 36: *Qui non credit in Filium, non videbit vitam, sed ira Dei μένει ἐπ' αὐτόν, manet super ipsum.*

CATUT XXV.

DE PECCATO IN SPIRITUM SANCTUM.

De peccato in Spiritum sanctum.

107. Denique cum omnia peccata reliqua sint remissibilia, unum a Christo statuitur irremissibile, videlicet peccatum in Spiritum s., de quo pronuntiat Augustin. serm. 11. de verb. Dom., *quod Deus exercere nos voluerit difficultate quaestionis de hoc peccato, cum in omnibus Scripturis s. forte nulla* V. 80.
major, nulla difficilior inveniatur. Ipse autem statuit peccatum illud in Spiritum s. esse cordis impoenitentis perseverantem duritiem, quae in nullo, dum in hac vita est, deprehendi possit. Vide epist. 50. ad Bonifac. lib. de corrept. et grat. c. 11. de vera et falsa poenit. c. 4. Athanas. q. 71. tom. 2. p. 296: *οὐκ εἶπεν ὁ θεὸς τῷ βλασφημοῦντι καὶ μετανοήσαντι οὐκ ἀφεθήσεται, ἀλλὰ τῷ βλασφημοῦντι, ἤγουν τῷ ἐν τῇ βλασφημίᾳ ἐπιμένοντι, ἐπειδήπερ οὐκ ἔστιν ἁμαρτία ἀσυγχώρητος παρὰ τῷ θεῷ ἐν τοῖς ὁσίως καὶ κατ' ἀξίαν μετανοοῦσιν.* Gregor. in Psalm. 51: *Quis est, qui peccat in Spiritum s., nisi qui non credit remissionem peccatorum? remissio enim peccatorum opus est Spiritus s.* Lomb. 2. sent. dist. 43. lit. A: *Quidam dicunt, illud peccatum esse desperationis vel obstinationis. Obstinatio est induratae mentis in malitia pertinacia, per quam homo fit impoenitens. Desperatio est, qua quis diffidit penitus de bonitate Dei, aestimans suam malitiam divinae bonitatis magnitudinem excedere. Utrumque dicitur in Spiritum s., quia Spiritus s. est amor Patris et Filii, et benignitas, qua se invicem et nos diligunt, quae tanta est, cujus finis non est.* Lit. B: *Quidam dicunt, omnem obstinationem et omnem desperationem esse peccatum in Spiritum s. Alii dicunt illam tantum appellari peccatum in Spiritum s., quam comitatur impoenitentia.* Lit. C: *Est etiam alia hujus peccati assignatio, videlicet cum post agnitionem Dei per gratiam Christi oppugnat aliquis fraternitatem et adversus ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo, invidiae facibus agitatur.* Lit. D: *Secundum Ambrosium, si quis corporis specie deceptus humani remissius aliquid sentit de carne Christi, quam dignum est, habet culpam, non est tamen exclusus a venia, si quis vero sancti Spiritus dignitatem, majestatem et potestatem abneget sempiternam et putet non in Spiritu Dei ejici daemonia, sed in Beelzebub, non potest ibi exhortatio esse veniae, ubi sacrilegii plenitudo est.* Thom. 2. 2. q. 14. art. 1: *Antiqui doctores Athanasius, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus et Chrysostomus dicunt, esse peccatum in Spiritum s.*, quando ad literam aliquid blasphemum dicitur contra Spiritum s., sive Spiritus s. accipiatur, secundum quod est nomen essentiale, sive prout est nomen personale. Augustinus dicit, esse finalem impoenitentiam. Alii dicunt, peccatum in Spiritum s. esse, quod provenit

ex certa malitia, bonitas enim appropriatur Spiritui
s. etc. Communiter sex species hujus peccati constituunt Scholastici: 1. desperationem; 2. praesumtionem; 3. impugnationem agnitae veritatis; 4. invidentiam fraternae caritatis; 5. impoenitentiam; 6. obstinationem. Vide commentatores in 2. sent. dist. 43.

Ex Scriptura. 108. Ut ad veram et propriam hujus peccati designationem penetrare possimus, diligenter expendenda sunt Scripturae dicta, quae de eo agunt:
V. 81. Matth. 12, v. 30: *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus. Spiritus autem blasphemia non remittitur.* v. 31: *Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum s., non remittentur ei, neque*
V. 82. *in hoc seculo, neque in futuro.* Marc. 3, v. 30: *Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata et blasphemiae, quibus blasphemaverint.* v. 31: *Qui autem blasphemaverit in Spiri-*
V. 83. *tum s., non habet remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni delicti.* v. 32: *quoniam dicebant, spiritum immundum habet.* - Luc. 12, v. 10: *Omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur ei, qui*
V. 84. *autem Spiritum s. blasphemaverit, ei non remittetur.* Hebr. 6, v. 4: *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste, et*
V. 85. *participes facti sunt Spiritus s.* v. 5: *et gustaverunt bonum Dei verbum, virtutesque futuri seculi.* v. 6: *et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam, rursum crucifigentes sibi Filium Dei et ostentui eum habentes.* Hebr. 10, v. 26: *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis non relinquitur pro peccatis hostia.* v. 27: *terribilis autem quaedam expectatio judicii* etc. v. 29: *quanto deteriora mereri putatis supplicia, qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit', in quo sanctificatus est et Spiritus gratiae contumeliam fecerit.* 1. Joh. 5, v. 16: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petet et dabit ei vitam peccantibus non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* Verba Christi apud evangelistas directa sunt contra Pharisaeos, qui contra testimonium conscientiae miracula Christi dicebant fieri per Beelzebub. Locus Hebr. 6. varie exponitur. Quidam impossibile accipiunt pro difficili. Quidam textum accipiunt de poenitentia post hanc vitam. Quidam ex vocabulo φωτισμοῦ elicere volunt agi de renovatione per baptismum, ad quem non pateat denuo aditus, sed commodissime accipitur hic locus de peccato in Spiritum sanctum, ut ostendunt accuratae illae descriptiones subjecti. Peccatum ad mortem, de quo 1. Joh. 5, v. 16. agitur, quidam distinguunt a peccato in Spiritum sanctum, sed rectius pro eodem accipitur.

Quodnam sit. 109. Horum locorum verba et περιστάσεις si diligenter excutiantur, invenietur, quod peccatum in Spiritum s. sit agnitae et in conscientia approbatae veritatis evangelicae destinato consilio facta abnegatio cum pertinaci impugnatione et voluntaria blasphemia conjuncta. Observandum enim, hanc peccati speciem a Christo in Pharisaeis argui, qui veritatis ab ipso praedicatae vi constricti et fulgore ejusdem in conscientia convicti, malitiosa tamen impietate sic in ipsum furebant, ut doctrinam et miracula ipsius Satanae adscribere non erubescerent. Epistola ad Hebraeos peccantes in Spiritum s. sic describit, quod illi, qui prius illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste et participes facti Spiritus s., gustaverunt etiam bonum Dei verbum et virtutes venturi seculi, nihilo minus postea prolabuntur (παραπεσόντες) et sic sibimet ipsis rursum crucifigunt Dei Filium, eumque ostentui habent (haec enim omnia ad subjecti descriptionem ibidem pertinent). Item, quod voluntaria apostasia Filium Dei conculcent et sanguinem Testamenti pollutum ducant, in quo sunt sanctificati et Spiritui gratiae contumeliam inferant. Hoc peccatum primo dicitur peccatum in Spiritum s. non respectu personae, hac enim ratione, qui peccat in Patrem et Filium, peccat etiam in Spiritum s., cum Patris, Filii et Spiritus s. una sit divinitas, aequalis gloria, coaeterna majestas, sed ratione ministerii Spiritus 2. Cor. 3, v. 8, quod est evangelium, ac ratione officii Spiritus, quod est illuminare, et ratione testimonii, quod Spiritus s. fert Spiritui nostro Rom. 8, v. 16. Quo sensu etiam blasphemia Spiritus Matth. 12, v. 30. blasphemia in Spiritum Marc. 3, v. 31. et contumelia Spiritui gratiae illata Hebr. 10, v. 30. appellatur. Illi ergo soli peccatum hoc committunt, qui veritatem agnitam, de qua in conscientia convicti sunt, voluntaria malitia abnegant, eandemque cum blasphemia impugnant. Ex quo colligitur, nimis late hoc peccatum ab eis extendi, et desperationis ansam praeberi, qui quodvis voluntarium peccatum hoc nomine accipiunt, vel etiam quamvis veritatis abnegationem. 2. Vocatur hoc peccatum irremissi-
bile, quod nimis dilute quidam accipiunt pro eo, V. 86.
quod difficulter remittitur, quia Christus magna vehementia pronuntiat, nec in hoc nec in futuro seculo, hoc est, in aeternum non remitti ac epistola ad Hebraeos dicit omnino impossibile esse, ut tales renoventur. Dilutius etiam hoc est, quod irremissibile quidam accipiunt pro eo, quod non habet coram hominibus excusationem, non enim de excusatione, sed de remissione peccati hoc loco Christus agit. Dicitur autem illud peccatum irremissibile, tum quia ipsum salutis medium, videlicet ministerium Spiritus sancti directe impugnat, tum quia cum extrema cordis induratione et finali impoenitentia conjunctum est; unde non absurde quidam dicunt, verbo hoc τὸ γινόμενον potius quam τὸ δυνατὸν notari, quod tenor verborum Christi non obscure comprobat, et sic stante (ut ita loquar) irremissibilitate hujus peccati nihilominus verum ac certum manet, gratiam exuberare supra peccatum Rom. 5, v. 20. 3. Eodem sensu dicitur peccatum ad mortem, non solum, quia est mortale peccatum,

sed potius quia aeternae mortis nexibus per hoc ita constrictus tenetur homo, ut ex illis liberari non possit. 4. Ex quo sequitur etiam quartum, quod scilicet pro tali peccato non sit orandum, neque enim frustra Spiritus precum debet ingemiscere pro illis, quos in Spiritum s. irremissibiliter peccare constat. Sed cum rectissime moneat August. lib. 1. retract. et serm. 11. de verb. Dom., *non nisi a posteriori, hoc est, a finali impoenitentia seu postquam judicium Dei per mortem declaratum est, de hoc peccato judicandum, quorsum attinebat moneri, ne quis pro tali peccato oret?* Hieronymus lib. 2. adv. Jovin. sententiam Johannis *μεταληπτικῶς* interpretatur, quasi postulatio posita sit pro venia, quae postulatur, sicut Jer. 7, v. 16: *noli orare pro isto populo*, hoc est, frustra orabis. Ambrosius lib. 1. de poenit. c. 9. solutionem quaerit in pronomine *quis*, non dico, ut pro eo quis oret, scilicet de plebe aliquis, quia hujusmodi peccatum indiget perfecto deprecatore. Certum est, in primitiva ecclesia viguisse donum *διακρίσεως πνευμάτων* 1. Cor. 12, v. 10, quod hodie non ita viget, tutissimum igitur et Christianae caritati, *quae omnia sperat* 1. Cor. 13, v. 3, maxime congruum, precibus suis omnes, etiam persecutores et blasphemos apostatas complecti 1. Tim. 2, v. 1.

CAPUT XXVI.

DE USU HUJUS LOCI ET PECCATORUM ACTUALIUM DEFINITIONE.

Usus hujus loci.

110. Usus hujus loci de peccatis actualibus consistit in tribus potissimum partibus: 1. ut gravitatem ac varietatem peccatorum nostrorum agnoscentes vere et serio nos coram Deo humiliemus, abjecta omni propriae justitiae fiducia; 2. ut medicinam morbi nostri in Christo quaeramus, *cujus sanguis nos mundat ab omnibus peccatis* 1. Joh. 1, v. 7; 3. ut peccata contra conscientiam tanquam venenum, imo mortem animae studiose caveamus, nec patiamur peccatum inhaerens nobis dominari, sed Spiritu concupiscentias ejus mortificemus et ad vitae aeternae purissimam perfectionem ac perfectissimam puritatem suspiremus. O Christe, quod factum tege, quod futurum rege.

Definitio peccatorum actualium.

111. Ex superioribus omnibus talis constitui potest actualium peccatorum definitio. Peccata actualia sunt omnia vel facta vel dicta vel cogitata contra normam legis divinae, quibus malum committitur vel bonum omittitur, promerentia iram Dei, temporales et aeternas poenas, eisdemque hominem obnoxium reddentia, nisi facta fuerit remissio propter Christum mediatorem, cui cum Patre et Spiritu sancto sit gloria in seculum. Amen.

LOCUS UNDECIMUS

V. 87.

DE LIBERO ARBITRIO

HOC EST

DE VIRIBUS HUMANIS POST LAPSUM ADHUC RELIQUIS.

I.

Connexio cum loco praecedente.

Quam miris ac miseris modis peccatum originale veneni instar omnes hominis vires pervaserit, quam intime corruptio ex eo naturae humanae adhaeserit, quam pestiferos venenatum illud semen proferat fructus, superius vidimus; restat inquirendum, quid in hominis viribus reliquum manserit. Pulcherrima erat quondam hujus aedificii structura, utpote omnipotentis DEI habitaculum atque templum, sed peregrinus admissus hospes eam horribiliter destruxit; videamus quae manserint rudera atque *ἐρείπια*.

Radix liberi arbitrii.

2. Vires hominis aestimantur potissimum ex anima rationali, per quam homo a brutis secernitur et in certam speciem constituitur. Animae rationalis duae facultates sunt: *Mens et voluntas*, illa cognoscendo, discernendo, consultando, judicando; haec eligendo et repudiando suum expedit officium, ex utriusque potentiae *συνδρομῇ* et concursu nascitur id, quod vulgo vocatur liberum arbitrium, quod mentis et voluntatis facultas est, ita ut arbitrium pertineat ad mentem, liberum ad voluntatem.

Liberum arbitrium est facultas mentis.

3. *Etsi vero liberum arbitrium est mentis et voluntatis facultas*, *mixta ex intelligentia et appetitu* (rationali), ut loquitur Thomas p. 1. q. 83. art. 3, recte tamen ab eodem additur, *eam magis ad appetitum inclinare*, quia judicium mentis est quasi praevium, electio complementum et formale huic libertati addit. Ex quo Bellarminus lib. 2. de gratia et liber. arbitr. c. 2. minus recte colligit, *per liberum arbitrium solius voluntatis actum significari*, imo *liberum arbitrium esse ipsam voluntatem*. libr. 3. de liber. arbitr. c. 7. nimirum, ut fucum facere possit suae calumniae, quod arbitrii libertatem negantes ipsam naturam violemus; at non dicimus, hominem voluntate, sed voluntatis sanitate privatum esse.

CAPUT I.

DE DISTINCTIONE LIBERTATIS.

4. Libertas illa arbitrii unde aestimanda sit et quo respectu consideretur, accurate dispiciendum, id quod multis liberabit nos difficultatibus, quae alias doctrinam hanc circumcingunt. *Ista quaestio* (ait Augustinus 1. de gratia Dei contra Pelagian. c. 47. et lib. 4. contra Julianum c. 8, ubi de arbitrio voluntatis et Dei gratia disputatur) *ita difficilis est ad discernendum*, *ut*, *quando defenditur liberum arbitrium*, *negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia*, *liberum arbitrium putetur auferri*. Libertas assignatur arbitrio, primum habito respectu ad modum agendi, quia talis est, ut voluntas, quatenus talis, libere agat, hoc est, V. 88—96 [sic].
non cogatur aut violenter rapiatur externo motu, nec ex naturali instinctu solum agat, sed sponte sua seu interno motus principio aliquid vel amplectatur vel rejiciat; hoc sensu liberum et voluntarium sunt synonyma ac voluntatem non liberam dicere est perinde, ac si quis dicere velit calidum absque calore.

Libertas vario respectu tribuitur arbitrio.

5. Vocatur haec libertas a coactione, qua fit, ut non possit voluntas cogi ad faciendum aliquid contra suam inclinationem. Item libertas a necessitate, quatenus necessitas pro coactione et violentia accipitur (non autem pro immutabilitate). Alii vocant libertatem interiorem, qua voluntas hominis *ἑκουσίως*, sponte, libere, sine coactione, vi insita ac *προαιρέσει* movetur, suique motus internum habet principium. Aliis dicitur libertas in subjecto.

Libertas a coactione et necessitate; libertas interior et in subjecto.

6. Haec libertas cum sit naturalis atque essentialis a Deo indita voluntati proprietas, per lapsum non est amissa. Substantia hominis non periit.

Quae per lapsum non est amissa.

Ergo nec anima rationalis, ergo nec voluntas, ergo nec libertas voluntatis essentialis. Voluntas est potentia animae essentialis, et anima nihil aliud est quam ipsae potentiae seu facultates essentiales; proinde manente anima potentiae etiam ejus essentiales, intellectus et voluntas manent. Vicissim vis libere et absque coactione volendi est voluntati essentialis, manente ergo voluntate etiam vis illa manet.

7. Hinc Augustinus in Enchirid. c. 30: *Liberum arbitrium semper est liberum* (intellige a coactione), *sed non semper est bonum.* lib. 2. de gratia et libero arbitrio c. 15: *semper in nobis voluntas est libera, sed non semper bona. Aut enim a justitia libera est, quando servit peccato, et tunc est mala, aut a peccato libera est, quando servit justitiae, et tunc est bona.* Ambrosius vel potius Prosper 1. de vocat. gent. c. 3: *Homo a diabolo spoliatus non voluntate, sed voluntatis sanitate privatus est, depravatum est voluntatis judicium, non ablatum.*

8. Hoc sensu et hoc respectu liberum in homine arbitrium etiam post lapsum mansisse firmiter credimus et sonora voce profitemur, adeo ut cum Augustino dicamus hypogn. 3. *eum, qui neget liberum arbitrium, non esse catholicum.* Apage igitur tragicas illas accusationes ecclesiis nostris a Bellarmino in praefat. libror. de lib. arbitr. intentatas, quasi arbitrii libertatem tollamus, ipsam naturam violemus et nos ipsos non solum beluarum similes, sed omnino beluas rationis expertes profiteamur. Idem libr. de not. eccles. c. 9. §. Manichaeorum, sic scribit: *Haeresis octava Manichaeorum, quorum erat* [ut ait Hieronymus] *damnare naturam et liberum auferre arbitrium, nec peccatorum originem* [inquit Augustinus] *libero arbitrio tribuebant. Idem omnino Lutherus, qui librum scripsit de servo arbitrio* etc. Sed enim si liberi arbitrii nomine intelligatur ipsa voluntas, itemque si de libertate arbitrii in primo homine ac de libertate in malis actiobus quaeratur, nos nequaquam liberum arbitrium negamus, viderit igitur Bellarminus, qua fronte Manichaeorum haeresin nobis affricet, cujus accusationem longe justiorem ipsi intentare possemus, siquidem statuit rebellionem carnis adversus Spiritum futuram fuisse in homine ex naturae conditione, si homo in puris naturalibus exstitisset, libro de gratia primi hominis c. 7.

V. 97. Nec per providentiam divinam excluditur.

9. Neque hanc voluntatis humanae libertatem providentia divina tollit vel excludit; sic enim res administrat, ut eas proprios motus agere sinat, August. lib. 7. de civ. Dei c. 30. Gerson de consol. theol. l. 2. prosa. 4. Ut in naturaliter agentibus vim naturaliter agendi, ita in voluntarie agentibus vim libere agendi divina providentia conservat.

10. Cumque haec libertas a coactione cum voluntate sit ἀντίστροφος, sequitur, quod non minus in Deo sit quam in homine, cum hoc tamen discrimine, quod eam Deus habeat a semet ipso, proinde est αὐθεκούσιος et αὐτεξούσιος; homines autem a Deo eam habent, unde proprie illis ἑκούσιον tribuimus, exemplo Scripturae epist. ad Philem. v. 14. Hebr. 10, v. 26. 1. Petr. 5, v. 2. Videtur igitur τὸ αὐτεξούσιον [quod theologi Graeci usurpant] gloriosius esse, quam ut homini conveniat. Significat enim αὐτοδέσποτον, quod nullius imperio subest, quodque a nemine prohiberi vel impediri potest, utpote eligendi facultate et praestandi viribus abunde instructum; Deo autem propriissime competit, cujus voluntati ac potentiae nemo potest resistere.

11. Quae consideratio nobis suppeditat alium libertatis respectum, quam vocabimus libertatem ab obligatione, qua arbitrium non obligatur ad certam aliquam et immutabilem normam, secundum quam judicet atque eligat. Aliis vocatur libertas a jure. Haec libertas nihil aliud est, quam effrenis licentia omni lege soluta vagans more beluarum sine notitia gubernante et ordine obligante; indigna haec est honorifico illo libertatis nomine; vera enim libertas est justitiae servire. — Libertas ab obligatione et jure.

12. Hanc libertatem hominis voluntati plane denegamus. Impressit enim Deus menti humanae in prima creatione notitias naturales, legem suam scripsit in cor hominis, eamque solenni promulgatione repetivit, cui ad obediendum voluntas obstricta est et obligata; atque ut haec norma aeterna est, ita quoque aeterna obligatio. — Quae homini denegatur.

13. Dei quidem voluntas externae cuidam normae non est obligata; unde iterum patet, αὐτεξουσίου denominationem propriissime ipsi competere; interim tamen ipsa ejus natura talis est, ut non possit non bene et recte agere. Deus est αὐταγαθός, Deus est essentialiter et summe bonus, Deus est caritas; contra hanc normam nihil agit, nihil agere potest; id quod non impotentiae sed summae potentiae argumentum.

14. Si ergo respicias libertatem a coactione, homo semper habet liberum arbitrium, etiam post lapsum, si respicias libertatem ab obligatione, homo nunquam habet liberum arbitrium, nec ante lapsum, imo nec ipsi angeli. Est autem adhuc alius libertatis respectus, de quo proprie et potissimum hoc loco quaeritur.

15. Aestimari enim potest arbitrii libertas ratione objecti, circa quod voluntatis actio occupata est, et haec dicitur a quibusdam libertas ad objectum, item libertas exterior, ubi non amplius de libertate motus, de ipsa libera volendi vi agitur, sed respectus habetur ad objectum voluntatis, bonum puta vel malum, et quaeritur, quomodo ad illud vires voluntatis comparatae sint. — Libertas ad objectum libertas exterior.

CAPUT II.

DE CONSIDERATIONE LIBERI ARBITRII SECUNDUM QUADRUPLICEM STATUM HOMINIS.

Quatuor status hominis.

16. Hic vero distinguendi sunt diversi illi hominis status, alia enim libertas arbitrii fuit in homine ante lapsum, cum adhuc in statu integritatis concreatae floreret et vigeret; alia est post lapsum, postquam justitiae servire detrectans, imagine divina spoliatus, *jugo malae dominae iniquitatis* [ut loquitur Augustinus Jerem. 12. de verb. apost.] *sese sponte subdidit*. V. 98.

17. Vicissim quia amissa imago divina incipit in hac vita reformari et natura sanari, in futura demum plene restituenda; ideo alia libertas arbitrii est in hominibus nondum renatis ante conversionem, alia in renatis post conversionem. Itemque alia libertas arbitrii in hominibus renatis, dum in hac vita adhuc sub vetustate carnis ex parte laborant: alia vero erit in futura vita, quae plenariam demum libertatem ac securitatem pariet.

18. Promanat ex hoc fonte *πολυθρύλλητος* illa distinctio inter quadruplicem hominis statum, quae jubet hominem considerare primo in natura instituta, hoc est, in concreata originali perfectione ante lapsum; deinde in natura destituta et corrupta post lapsum, cum ante reparationem, tum in ipso conversionis actu, quomodo ad gratiam Dei sese habeat: tertio in natura restitui coepta, hoc est, in statu novae obedientiae post factam conversionem. Quarto in natura plene et consummate restituta, hoc est, in patefactione alterius seculi post resurrectionem. Vide Lombardum 2. sent. dist. 25. lit. G., ubi satis commode hos quatuor status distinguit. Ad hanc distinctionem proxime accedit illa Augustini in exposit. epist. Rom., quae praetermissa primi status consideratione tres posteriores hominis status hoc modo effert: *Distinguamus quatuor hominis gradus; ante legem, sub lege, sub gratia, in pace. Ante legem sequimur concupiscentiam carnis, sub lege trahimur ab ea, sub gratia nec sequimur eam, nec trahimur ab ea, in pace nulla est concupiscentia carnis. Ante legem ergo non pugnamus, quia non solum concupiscimus et peccamus, sed etiam approbamus peccata; sub lege pugnamus, sed vincimur; sub gratia pugnamus et vincimus; in pace non pugnamus, sed perfecta et aeterna pace requiescimus.*

Libertas arbitrii ante lapsum.

19. *Libertas arbitrii in homine ante lapsum fuit facultas rationis ac voluntatis, qua potuit homo peccare et non peccare*, Anselmus de lib. arbitr. c. 7, hoc est, potuit mente Deum recte agnoscere et spontaneo voluntatis motu integram obedientiam ipsi praestare; vicissim etiam potuit a DEO se avertere atque deficere, quippe nondum in bono erat confirmatus, hoc est, voluntas ejus nondum erat ad bonum immutabiliter ita determinata, ut a bono se non posset avertere, sed erat in ea *δύναμις ἀντιφάσεως*, poterat velle bonum et nolle malum, poterat etiam nolle bonum et velle malum.

Quae vo[cari] po[test] libe[r]tas a se[r]vitute [et] miseria, libertas rectitudinis.

20. Nominemus hanc libertatem a servitute, quia homo sese nondum peccato ejusdemque tyrannidi mancipaverat; item libertatem a miseria, quia homo nondum miserae illi peccandi necessitati illaqueatus erat. Vocari etiam potest libertas rectitudinis, quia poterat mens recte Deum cognoscere, poterat voluntas recte agere, judicium mentis et electio voluntatis cum norma legis divinae exacte congruebant, quamdiu in statu isto integritatis homo persistebat. Non tamen conjuncta erat huic libertati libertas a mutabilitate, quia poterat voluntas hominis mutari, et libere malum eligere, uti etiam elegit.

21. Haec libertas in primo homine accurate secernenda ab ea, quam supra vocavimus libertatem a coactione; quia libertas illa a coactione est essentialis voluntatis proprietas, vel potius ipsa voluntatis essentia, ac proinde dicitur a Bernhardo de grad. et lib. arb. inamissibilis; sed libertas rectitudinis fuit accidens quoddam separabile, ita comparatum, ut salva voluntatis essentia amitti posset, ut etiam amissa est.

Per lapsum est amissa.

22. Si ergo quaeratur de illa libertate rectitudinis seu de *δυνάμει* illa ad alterutrum, bonum puta vel malum eligendum vel repudiandum aequaliter se habente, dicimus eam periisse. *Homo enim male utens libero arbitrio et se perdidit et ipsum. Cum enim libero arbitrio peccaretur, victore peccato amissum est et liberum arbitrium, a quo enim quis devictus est, huic servus addictus est.* Verba sunt August. in Enchir. c. 30. Atque hoc respectu idem vocat *arbitrium hominis non amplius liberum, sed servum*, lib. 2. contra Julian. *Captivatum*, quod non nisi ad peccandum valet lib. 3. contra duas epistol. Pelag. c. 8. *Perditum;* lib. 3. hypogn. voluntatem vocat *non liberam, sed damnabilem ancillam*, de verb. apost. serm. 13. *contumaciam, non libertatem*, epist. 89. ad Hilar. V. 99.

23. Postquam enim per peccatum imago Dei amissa est, simul etiam *δύναμις* illa bonum eligendi amissa est, [quippe quae erat pars imaginis divinae] et quia per peccatum homo non solum spoliatus, sed et misere corruptus est; ideo in locum istius libertatis successit effrenis ille ad malum impetus, ita ut post lapsum in hominibus corruptis et nondum renatis [sive voluntate sua corrupti sint, ut primi homines, sive ex parentibus corruptis nascantur, ut omnes eorum posteri] arbitrium sit liberum ad mala tantum, quia tales corrupti homines et nondum renati nihil nisi peccare possunt.

Libertas arbitrii post lapsum. Libertas a justitia.

24. Alia igitur jam arbitrii libertas est in hominibus post lapsum, quam possumus vocare libertatem a justitia, exemplo apostoli Rom. 6, v. 20, qua fit, ut corrupta hominis voluntas libere ac sponte feratur tantum ad malum, Joh. 8, v. 34: *Qui facit peccatum, servus est peccati.* 2. Petr. 2, v. 19: *a quo quis superatus, ejus et servus est.*

25. Misera haec est libertas, ac potius miserabilis servitus: *Qualis, quaeso, potest servi peccato addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? liberaliter enim servit, qui sui domini voluntatem libenter facit, ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est.* August. in Ench. c. 30. *Libertas sine gratia nihil est nisi contumacia, non libertas. Vere enim liberi eritis, si Filius vos liberaverit.* Id. epist. 89. ad Hilar.

26. Ἐμφατικωτέρως hoc exprimit Bernhard. serm. 81. super Cant.: *Nescio quo pravo et miraculoso modo ipsa sibi voluntas facit, ut nec necessitas excusare valeat voluntatem, nec voluntas excludere necessitatem; est enim necessitas haec quodammodo voluntaria. Premimur jugo, non alio tamen, quam voluntariae cujusdam servitutis, ideo pro servitio sumus miserabiles, pro voluntate inexcusabiles, quia voluntas, cum libera esset, servam se peccati fecit. Anima sub hac voluntaria quadam ac male libera necessitate et ancilla tenetur et libera; ancilla propter necessitatem, et libera propter voluntatem; et quod magis mirum magisque miserum, ideo rea, quod libera, ac per hoc eo ancilla, quod libera.*

27. Dicis: quia homo libere agit, ergo aequaliter se habet ad bonum vel malum, alias liber non erit? respondemus verbis Bernhardi de grat. et lib. arb.: *Nemo putet ideo dictum liberum arbitrium, quod aequa inter bonum et malum potestate aut facultate versetur; alioqui nec Deus nec angeli, sive boni vel mali, liberi arbitrii esse dicerentur, sed ex eo potius liberum arbitrium dicitur, quod sive in bono sive in malo aeque liberam facit voluntatem. cum nec bonus quispiam, nec item malus dici debeat aut esse valeat nisi volens.*

28. Libertas a coactione proprie attenditur in libero arbitrio, non autem exterior illa libertas ratione objectorum, qua ad alterutrum vel bonum vel malum voluntas ferri potest. Summa in Deo libertas, qui tamen malum velle nequit. Major libertas in angelis bonis, quam in homine ante lapsum, cum tamen illi in bono sint confirmati et non possint non bonum velle. Summa libertas est non posse esse miserum; summa felicitas non posse esse infelicem.

29. Consistit ergo arbitrii libertas in homine cum peccati servitute, nam et peccat et non potest non peccare, et tamen libere peccat, ac peccare ipsum delectat; quamvis non nisi ad malum feratur, id tamen libere, id est, ultro et sponte, non invitus aut coactus, eligit totoque impetu ad illud fertur. Adde quod in ipso malorum delectu quadam libertate utatur. August. lib. 1. contra Julian. c. 2: *Li-*
V. 100. *berum arbitrium usque adeo non periit in peccatore, ut per illud peccent maxime omnes, qui cum delectatione peccant.*

30. Eo autem sensu et eo respectu, ut libertas accipiatur pro illa libera vi ac facultate bonum eligendi ac malum aversandi, quae in Adamo fuit, dicimus rectissime pronuntiatum a D. Luthero in assert. artic. art. 36: *liberum arbitrium esse titulum sine re, vel rem de solo titulo.* Intelligit quidem adhuc homo post lapsum mente, voluntate libere eligit ac prosequitur corde, sed propter lapsum primorum parentum eumque secutam naturae corruptionem fit, ut mens in judicando erret, et voluntas in eligendo; aut si mens quandoque recte judicat, tamen voluntas ab ea quasi divortium facit et cum vitiosis affectibus se cunjungit, eorumve ductum sequitur. Desiit enim in mente vera et integra Dei cognitio, in voluntate et corde vera dilectio et timor Dei, fiducia erga Deum, propositum et studium ex animo obediendi Deo; successerunt autem in mente ignorantia, caecitas, dubitationes; in voluntate et corde contumacia adversus Deum, pravae ad omnis generis peccata inclinationes.

31. Quia vero cardo totius rei in eo consistit, ideo Scripturae sacrae fundamentis id confirmatum et expositum dabimus uberius, ut hac ratione nobis ἑπομένως innotescat: quid ante conversionem et παλιγγενεσίαν hominis arbitrium propriis suis et post lapsum adhuc reliquis viribus praestare possit, itemque an in primo conversionis momento, quando verbum Dei praedicatur, et gratia in eo nobis offertur, homo vi liberi arbitrii spirituales motus inchoare vel Spiritui sancto cooperari atque ita sui conversionem adjuvare sive firmo sive infirmo arbitrio possit.

CAPUT III.

DE VERO CONTROVERSIAE STATU.

32. Accurate vero genuinus quaestionis status observandus, quod superius quidem admonitum denuo monendum est, propterea quod studiose eum in scriptis multorum involvi et diversas quaestiones confundi videamus. 1. Non est hoc loco quaestio de statu hominis in primaeva integritate atque innocentia constituti, quem fatemur talibus ac tam perfectis liberi arbitrii viribus instructum fuisse, ut promte potuerit Deo obedire ac non obedire, hoc est, potuit Deum concreata intellectus luce recte agnoscere ac spontaneo voluntatis motu sinceram, integram et numeris omnibus perfectam obedientiam ipsi praestare, potuit etiam se a Deo avertere atque a sanctae obedientiae tramite declinare, quod proh dolor ipsum fecisse, satis constat. 2. Neque quaestio est de statu hominis renati ac renovati, quomodo in eo vires liberi arbitrii sint constitutae, fatemur enim hominem per Spiritum sanctum regeneratum ac renovatum ad bonum spirituale liberam habere voluntatem, quippe virtute Spiritus s. a peccati servitute liberatam, quae tamen libertas in hac vita longe abest a perfecta futurae vitae libertate, uti paulo post plenius expositum dabitur. 3. Neque quaestio est de statu hominis glorificati, fatemur

Verus quaestionis status in quo consistat.

enim hominem post suam εἰς δόξαν αἰώνιον μετάθεσιν perfectis iterum liberi arbitrii viribus fore instructum atque in bono confirmatum, ut non solum possit non peccare, sed etiam non possit peccare: sed tota quaestio est de statu hominis per lapsum corrupti, quid in illo vel ante conversionem vel in conversione propriis suis et naturalibus liberi arbitrii viribus possit. 4. Neque quaestio est de ipsa voluntatis essentia, an illa post lapsum superstes manserit, id enim sonora voce profitemur, hominem non voluntate, sed voluntatis sanitate privatum esse cum Ambrosio [vel Prospero] 1. de vocat. gent. c. 3. asserentes. 5. Neque quaestio est de libertate a coactione, fatemur enim hoc sensu et respectu voluntatem in agendo etiam post lapsum esse liberam, hoc est, libere, non coacte malum agere; sed tota quaestio est de libertate ratione objecti,
V. 101. circa quod voluntas occupata est, hoc est, de libertate rectitudinis, an δυνάμει illa ad bonum et malum aequaliter se habente homo post lapsum adhuc sit instructus. 6. Neque quaestio est de objecto civiliter bono, an homo naturalibus liberi arbitrii viribus illud eligere possit; fatemur enim aliquid libertatis remansisse quoad opera, quae justa sunt, justitia morali, politica et oeconomica, quae ad inferius hemisphaerium pertinent, ut loquitur D. Lutherus; potest utique homo nondum renatus locomotivam externam utcunque regere, potest externis membris dictamine rectae rationis imperare, potest justitiam civilem aliquo modo praestare et peccata externa graviora cum paedagogia externa pugnantia vitare: quin imo potest etiam verbum Dei exterius audire, meditari, interim tamen libertas illa tum externis impedimentis saepius labefactatur, ut postea explicabitur, unde notanter diximus, aliquid libertatis in hoc actionum genere remansisse; tota igitur quaestio est de objecto spiritualiter bono, de operibus, quae justa sunt justitia spirituali, quaeque ad superius hemisphaerium pertinent, de motibus spiritualiter bonis, an homo ex se et suis viribus spirituales illos motus inchoare, oblatam gratiam acceptare, aliqua Deo grata praestare possit, quod διαῤῥήδην negamus. 7. Neque quaestio est, an in conversione fiant aliqui motus mentis et voluntatis, fatemur enim nullam fieri conversionem absque cognitione intellectus et assensu voluntatis, sed tota quaestio est, unde oriantur tales motus, sintne divinae gratiae an humanae voluntatis effecta. 8. Neque quaestio est de naturalibus animae actionibus, quales sunt audire, legere, meditari; quae suo modo καταχρηστικῶς spirituales dici possunt, quia ab anima, quae spiritualis est essentia, proficiscuntur; agnoscimus enim in hisce quandam arbitrii libertatem, potest homo legere, potest non legere; potest audire, potest aures avertere; sed tota quaestio est de motibus proprie dictis spiritualibus, quales sunt, Deum recte agnoscere, verbum Dei cum fructu audire et legere. 9. Neque quaestio est de mediis ad spirituale objectum deducentibus, qualia sunt, verbum Dei audire et legere; fatemur enim externum horum mediorum usum hominis etiam nondum renati viribus expositum esse: sed tota quaestio est de salutari horum mediorum usu, de spirituali legis et evangelii intellectu, de interiori conversione, ubi dicimus, nullam ne modiculam quidem arbitrii libertatem aut virium ἱκανότητα ad tales spirituales motus in homine post lapsum superstites esse, quod ut manifestum fiat, hoc modo procedimus.

33. In opere conversionis concurrunt DEUS convertens et homo convertendus; inquirendum ergo quid Deo, quid homini Scriptura in hoc opere tribuat; ita manifestum evadet, quid de viribus liberi arbitrii in homine ante conversionem et in ipsa conversione statuendum. Cumque liberum arbitrium sit mentis et voluntatis facultas, inquirendum, quid de mente, quid de voluntate hominis nondum conversi Scriptura pronuntiet, utriusque enim integritas ad liberi arbitrii integritatem requiritur.

CAPUT IV.

DE AMISSO LIBERO ARBITRIO POST LAPSUM.

34. De mente hominis nondum renati Scriptura testatur, quod in locum istius lucis concreatae, quae in mente primi hominis fulgebat, successerint tenebrae. Eph. 5, v. 8: *Eratis quondam tenebrae*, Joh. 1, v. 5: *Lux lucet in tenebris.* Actor. 26, v. 18: *ut convertantur homines a tenebris ad lucem.* Proinde non cogitandum est, intellectum saltem caecutire in vera et salutari Dei cognitione, sed est plane obtenebratus; atque hae tenebrae tales sunt, ut illis conjuncta sit umbra mortis, Esa. 9, v. 1. Luc. 1, v. 79: *Sedent homines in tenebris et umbra mortis*, sunt igitur tenebrae illae mortis, i. e. ducuntur ad aeternam mortem, qui in tenebris illis manent, id Paulus sic exprimit: *Habent tenebris* V. 102.
obscuratum intellectum, ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ, *alienati a vita Dei per ignorantiam Dei, quae est in illis* [i. e. quae in natura ipsorum haeret] *propter caecitatem* [πώρωσιν, callosam duritiem] *cordis eorum*, Eph. 4, v. 18. *Ambulant in vanitate mentis suae* v. 17. i. e. ut exponitur Rom. 1, v. 21, *evanescunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum*, sunt διεφθαρμένοι τὸν νοῦν, 1. Tim. 6, v. 5, *vivunt in temporibus ignorantiae*, Act. 17, v. 30. Etsi ergo mens hominis cogitationes sua opinione satis egregias sibi format, tamen Dei judicio sunt vanae. Gen. 8, v. 21: *omne figmentum cordis* [etiam illae cogitationes, quae maxima diligentia et summa sapientia finguntur] *est tantum malum omni die.* Proinde *caro et sanguis non revelat nobis salvificam Dei cognitionem* Matth. 16, v. 17, h. e. homo ut ex carne et sanguine corruptorum parentum in mundum nascitur, non potest

Corruptio mentis post lapsum.

connatis viribus ad eam aspirare, quia *animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi, et non potest intelligere,* 1. Cor. 2, v. 14, ubi animalis homo idem est, quod in dicto Christi caro et sanguis, i. e. talis homo, qui sine revocatione Spiritus, solis naturae viribus et facultatibus praeditus est, huic derogat apostolus et γνῶναι et δέχεσθαι ea, quae sunt Spiritus, ita ut nec intelligere nec firmo vel infirmo assensu ea amplecti possit; quin imo non solum γνῶσις, sed et δύναμις γνώσεως, vis illa activa δεκτικὴ ipsi adimitur, adeoque φρόνημα σαρκὸς, non solum affectus, sed et sapientia carnis [ut habet vulgata versio]. Praestantissimi cogitatus et conatus mentis in homine carnali [seu nondum regenerato et sub vetustate carnis adhuc constituto] *sunt inimicitia adversus Deum* Rom. 8, v. 7, ubi in substantivo magna emphasis, quod non solum mens nostra Deo inimica, sed ipsa adversus Deum inimicitia, ut proinde etiam *πᾶν νόημα sit captivandum sub Christi obsequium* 2. Cor. 10, v. 5. Concludimus ergo pronuntiato apostolico 2. Cor. 3, v. 5: *Non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est,* ubi observandae particulae ἀπό et ἐξ, quibus denotatur non esse in viribus nostris cogitare aliquid boni; jam vero cogitare longe minus quam assentiri, consultare, firmiter sibi proponere etc.

[...]ssertio [...]ictorum [...]criptu[...]e. [...]Cor 2: [...]nimalis [...]omo [...]a per[...]pit ea, [...]uae sunt [...]piritus, [...]e.

35. Haec Scripturae oracula quasi solis radio scripta de extrema intellectus corruptione et ad spirituale bonum percipiendum ἀδυναμίᾳ satis manifeste testantur, neque tamen a corruptelis manent libera. Dictum apostolicum 1. Cor. 2, v. 14: *animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei,* ita depravabat olim Emserus, ut per hominem ψυχικὸν appetitum ejus sensitivum, quem cum brutis communem habet, intelligi juberet, sed apostolus non de aliqua hominis parte, sed de toto homine nondum renato loquitur, qui Spiritu Dei non regitur, manifestum enim est ab anima dici animalem, quemadmodum Jac. 3, v. 15. *sapientia* ψυχικὴ dicitur carnalis hominum nondum renatorum sapientia. Intelligitur ergo per hominem animalem is, qui sine Spiritus renovatione solis naturae viribus et facultatibus praeditus agit, quem apostolus vocat ψυχικόν, quia non vult intelligi Epicuraeos, qui sunt ἄλογα ζῶα, 2. Petr. 2, v. 12, sed eos, qui potissimam sui partem, animam scilicet excolunt, tales dicit nec γνῶναι nec δέχεσθαι ea quae sunt Spiritus Dei. Augustin. tract. 98. in Joh.: *Animalis homo, i. e. qui secundum hominem sapit, animalis dictus ab anima, carnalis a carne, quia ex anima et carne constat totus homo, non percipit, quae sunt Spiritus Dei, i. e. quid gratiae credentibus conferat crux Christi.* Id ipsum textu apostolico manifeste ostenditur. Opponit enim apostolus hominem ψυχικὸν illi, qui Spiritum Dei habet v. 12, qui Spiritu Dei illuminatus est, eodemque regitur ad bonum.

[...]or. 3: [...] [...]ms

36. Alterum illud non minus perspicuum 2. Cor. 3, v. 5: *Non sumus* ἱκανοὶ ἀφ' ἑαυτῶν λογίσασθαί τι ὡς ἐξ ἑαυτῶν, ἀλλ' ἡ ἱκανότης ἡμῶν ἐκ τοῦ θεοῦ. Bellarminus lib. 6. de grat. et lib. arb. c. 13. dicit, sententiae suae favere vel maxime, cum apostolus non neget nos sufficientes esse, siquidem addat continuo sufficientiam nostram esse ex Deo. *Sufficimus ergo* [inquit Bellarminus] *aliquid cogitare, imo etiam velle et facere, sed posteaquam vires a Deo acceperimus; nisi enim liberi essemus arbitrii, non recte diceremur sufficere ex nobis, sicut non recte diceret aliquis jumentum aut lapidem non sufficere ex se aliquid cogitare de Deo.* Respondemus ex August. de grat. et lib. arb. c. 16: *Certum est nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus, de quo dictum est, Deus est, qui operatur in nobis velle. Certum est, nos facere, cum facimus, sed ille facit, ut faciamus, praebendo voluntati vires efficacissimas, de quo dictum est, faciam, ut faciatis.* An dictum apostolicum sententiae Bellarmini faveat, apparebit inferius, ubi ipsum de viribus liberi arbitrii disserentem prius audiverimus. Captivitatem passivam seu receptivitatem spiritualium motuum in hominis intellectu superstitem esse, quae non est in trunco vel lapide, libenter concedimus, sed activam quandam ἐνέργειαν seu activitatem superesse negamus. Si tum demum ἱκανοὶ sumus aliquid boni cogitare, velle et facere, posteaquam vires a Deo (per regenerationem et renovationem) accepimus, sequitur ante illas nobis a Deo donatas vires nullam ἱκανότητα in nobis esse. Ludit autem Bellarminus verbo sufficientiae, quod ex nobis quidem idonei ad bonum cogitandum simus et aliquas habeamus vires, sed non sufficientes; ut hac ratione sit concursus gratiae et liberi arbitrii in conversione, quasi liberum arbitrium inchoet bonum, Deus det vires perficiendi, sed in Graeco est οὐχ ἔσμεν ἱκανοί, non sumus idonei, δυνατοί, ac viribus necessariis instructi; Xenoph. ἱκανός εἰμὶ ἐπιτυχεῖν, possum illud consequi. De renatis recte dicitur, quod aliquibus ad bonum viribus sint instructi, licet non sufficientibus, cum absque divinae gratiae adjutorio bonum perficere nequeant; sed nondum renatis nec perfectas nec aliquas ad bonum vires apostolus tribuit, sed extremam ἀδυναμίαν, ut ostendit collatio hujus dicti cum priore 1. Cor. 2, v. 14: *Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei, imo ne potest quidem.* Ambr. de fuga seculi c. 1. et August. lib. 2. de bono persev. c. 8: *Ex eo, quod apostolus dicit, nos non esse idoneos aliquid boni cogitare ex nobis tanquam ex nobis, colligunt, non esse in potestate nostra cor nostrum et cogitationes nostras, a Deo dari cordi humano pias cogitationes* etc. Ejusdem lib. de bon. persev. c. 13: *cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus, quicquid agimus; quod autem attinet ad pietatis viam et verum Dei cultum, non sumus idonei cogitare aliquid ex nobismet ipsis tanquam ex nobis* lib. 2. contra duas epist. Pelag. ad Bonifac. c. 8: *Isti* [Pelagiani] *volunt in homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni, ut hujus coepti meritum etiam perficiendi gratia consequatur* etc. *Sed Do-*

Idonei v. 103. cogitare aliquid.

minus, ut ipsis responderet, non ait, sine me nihil potestis perficere, sed facere. Namsi perficere dixisset, possent isti dicere, non ad incipiendum bonum, quod a nobis est, sed ad perficiendum esse Dei adjutorium necessarium etc. *Videant quid respondeant apostolo dicenti, non quia idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobismet ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, cogitare, ait, aliquid utique bonum, minus est autem cogitare quam cupere. Cogitamus quippe omne, quod cupimus, nec tamen cupimus omne, quod cogitamus, quoniam nonnunquam et quod non cupimus, cogitamus. Cum igitur minus sit cogitare, quam cupere, potest enim homo cogitare bonum, quod nondum cupit, et perficiendo postea cupere, quod antea non cupiendo cogitavit, quomodo ad id, quod minus est, i. e. ad cogitandum aliquid boni non sumus idonei tanquam ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, et ad id quod est amplius, i. e. ad cupiendum aliquid boni sine divino adjutorio idonei sumus ex libero arbitrio?* Vides non solum sufficientes, sed omnes omnino ad bonum vires naturalibus liberi arbitrii viribus in dicto apostolico juxta Ambrosii et Augustini expositionem derogari. Dictum Gen. 8. a depravationibus adversariorum in tract. de peccato originali superius vindicavimus.

V. 104—112 [sic]. Corruptio voluntatis post lapsum.

37. De corruptione voluntatis verbis non minus tragicis Scriptura concionatur. Vocat enim homines *mortuos delictis et peccatis* Eph. 2, v. 1. *mortuos in peccatis* Joh. 5, v. 15. Col. 2, v. 13. Ut autem homo naturae et hominibus mortuus nihil eorum quae naturae sunt et hominum praestare potest; sic nec qui Deo in peccatis mortuus, ea quae Dei sunt et verae pietatis vere agnoscere facereve potest, sed tantum in peccatis foetere et in sepulchro peccatorum computrescere cogitur. Vocat *liberos justitiae* Rom. 6, v. 20. *servos peccati* Joh. 8, v. 34, qui miserae peccati servituti ad obediendum sese mancipārunt. Jam vero, *cui quis se sistit servum ad obediendum, ejus etiam servus est* Rom. 6, v. 17. Vocatur *cor hominis lapideum* Ezech. 36, v. 20. Uti ergo lapis se ipsum non potest praeparare, ut fiat aedificio construendo aptus, ita Deus homines tanquam lapides vivos aedificare vult *super angularem lapidem Christum, ut fiant domus ejus spiritualis*, 1. Petr. 2, v. 5, sed homines non possunt se praeparare, cum cor ipsorum sit lapideum. Deus autem illud potest, quippe *potens etiam de lapidibus suscitare filios Abrahae* Luc. 3, v. 8. Rom. 5, v. 10. homo dicitur inimicus Dei ante conversionem. Ut ergo voluntas hominis inimico suo repugnat, ita quoque ante conversionem homo fugit Deum. Ideo etiam facientes voluntates carnis et cogitationum *sunt natura filii irae* Eph. 2, v. 3, i. e. obnoxii irae et judicio Dei. Dicitur homo non renatus *arbor mala, quae non potest ferre bonos fructus* Matth. 7, v. 18, comparatur spinis et tribulis, e quibus nec uvas colligere possis. v. 16: *Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus maculas, et vos poteritis benefacere, cum sitis mali*, dicit de eo Creator Jer. 13, v. 23.

Assert. dictor. Script. rae. Joh. 8 Qui fa... peccatum, s... vus e... peccat...

38. Dictis illis, in quibus homines nondum renati dicuntur servi peccatorum, ita respondet Bellarm. 5. de grat. et lib. arb. c. 29: *Servitutem et libertatem generatim acceptam opponi, non autem quamvis servitutem cuivis libertati, ac proinde servitutem peccati in illis dictis opponi libertati a peccato, non autem libertati naturae, quae proprie dicitur liberum arbitrium. Qui servus est peccati, non potest sui viribus excutere jugum peccati et ad libertatem justitiae pervenire, potest tamen per liberum arbitrium adjuvante Deo liberari a peccato, et potest, si velit permanere in servitute peccati. Sicut etiam e contrario servitus naturae, i. e. naturalis determinatio ad unum, qualis est in pecoribus, opponitur libertati naturae, i. e. libero voluntatis arbitrio, non tamen libertati a peccato, imo quae carent libertate naturae, hoc ipso, quod illo carent, non possunt ullo modo servire peccato.* Respondemus: confunditur libertas a coactione cum libertate rectitudinis. Si per libertatem naturae Bellarminus intelligit ipsam voluntatis essentiam vel libertatem a coactione, dicimus eam non esse per lapsum amissam, adhuc enim homo libere agit malum; si vero per libertatem naturae intelligi vult libertatem rectitudinis, qua voluntas hominis aequaliter se habet ad bonum vel malum eligendum [quo spectare videtur, quod servitutem naturae definit determinatione ad unum] dicimus, eam utique per peccatum amissam esse. Vitiose autem opponit Bellarminus liberum arbitrium determinationi ad unum, subinnuens non consistere cum libero hominis arbitrio determinationem tantum ad unum videlicet malum; cui respondemus verbis Bernhardi superius adductis ex lib. de grat. et lib. arb.: *Nemo putet ideo dictum liberum arbitrium, quod aequa inter bonum et malum potestate aut facultate versetur, alioqui nec Deus nec angeli, sive boni sive mali, liberi arbitrii esse dicerentur, sed ex eo potius liberum arbitrium dicitur, quod sive in bono sive in malo aeque liberam facit voluntatem;* servitus igitur peccati, cui homines nondum renati sunt subjecti, non tollit libertatem naturae, si per eam intelligatur prona illa ad malum inclinatio; tollit autem libertatem naturae, si per eam intelligatur concreata et naturae humanae primitus insita rectitudinis libertas, qua voluntas aequa inter bonum et malum facultate versabatur. Insidiose ergo dicitur, posse hominem non renatum per liberum arbitrium, adjuvante Deo, liberari a peccato; si enim intelligitur illud hoc modo, quod adjutorium Dei excitet sopitas liberi arbitrii vires, ut gratia Dei et voluntas hominis sint causae sociae conversionis, falsum est; sin vero ita explicetur, quod homo in eo differat a bruto, quod sit voluntate adhuc post lapsum praeditus, in quam tanquam subjectum cadere possit conversionis gratia, quae in pecora non cadit, recte dicitur.

V. 113.

Ezech. 3... Auferam cor lapideum.

39. Propheticum dictum, in quo cor hominis dicitur lapideum Ezech. 36, v. 26, manifeste ostendit, nullas in hominis voluntate post lapsum superesse

vires, quibus divinae gratiae ad bonum cooperari possit. Bellarminus lib. 6. de lib. arbit. c. 13. excipit, *liberum arbitrium non esse cor lapideum, neque carneum, sed vim quandam mediam et naturalem, quae formam lapidis, i. e. peccati duritiem et formam carnis, i. e. teneritudinem gratiae recipere possit.* Respondemus: per vim illam aut intelligitur interior et essentialis voluntatis libertas, qua voluntas libere agit, quicquid agit, aut exterior illa libertas ratione objectorum, qua ad alterutrum bonum vel malum voluntas ferri potest. Si prius, concedimus eam adhuc in homine superesse; si posterius, diserte negamus. Ambiguitas etiam est in termino recipiendi. Si enim intelligitur capacitas activa ἐπιτηδειότης ac vis quaedam ἐνεργητική, negamus talem ἱκανότητα, qua teneritudo gratiae recipi possit, in homine superesse; si vero per eam intelligitur capacitas passiva, qua voluntas hominis subjectum παθητικὸν divinae gratiae constituitur, concedimus talem receptivitatem adhuc superesse. Proinde ex dicto prophetico concludimus, quia homo in se et ex naturalibus suis viribus post lapsum consideratus non habet nisi cor lapideum, ideo ex se non potest mollescere et teneritudinem gratiae recipere, sed requiritur, ut divina gratia connatam illam duritiem auferat et novas ad amplectendum bonum vires concedat, ut hac ratione fiat cor novum et spiritus novus, Ezech. 11, v. 19. Agnoscere hoc videtur ipse Bellarminus, Ideo subjungit: *Haec vis media et naturalis* [liberi arbitrii], *quando per peccatum talis est, ut dicatur cor lapideum, non habet ex se potestatem, qua se convertat ad Deum et fiat carneum, sed eam recipit per gratiam Dei praevenientem. Liberum enim arbitrium per gratiam praevenientem excitatum et praeparatum potest per vires, quas a Deo recipit, cooperari ad suam ipsius conversionem.* Rectissime haec dicuntur, nisi quod insidiae latent in voce **excitandi**, quas postea detegemus, ubi eadem opera agetur de eo, quod Bellarminus sententiam Pontificiorum a Dn. Chemnicio minus recte percipi ac minus fideliter recitari scribit, quasi in ea sint sententia, quod liberum arbitrium per gratiam excitatum exserat vires, quas habeat etiam antequam excitaretur, et per illas suas vires divinae vocationi consentiat, ita ut gratia praeveniens non tribuat vires libero arbitrio, sed quasi sopitas excitet. Negat Bellarminus hanc esse Pontificiorum sententiam, cum agnoscant quidem liberum arbitrium in homine, sed tamen non dicant nec sentiant, liberum arbitrium habere ex se potentiam ullam saltem proximam ad actus pietatis, sed eam accipere a Deo per gratiam praevenientem. De tota hac re agetur inferius.

Ephes. 2: Eramus mortui in peccatis.

40. Perspicuis illis Spiritus s. effatis, quibus homines non renatos in delictis et peccatis mortuos esse pronuntiat, tales ibidem Bellarminus offundit nebulas: *Qui sunt mortui in peccatis, quoniam vivunt adhuc vita naturae, licet non vivant vita gratiae, poterunt non ut mortui, sed ut vivi uno genere vitae cooperari ad suam vivificationem secundum alterum genus vitae, si virtutem cooperandi a Deo receperint.* Respondemus: Sane vita naturalis post lapsum residua mansit, sed per hanc vitam naturalem ad internam sui conversionem non potest homo Deo cooperari; verbum quidem, quod est conversionis medium, audire, legere et meditari beneficio vitae naturalis potest, sed ad ipsum conversionis actum nihil ex fano et luco naturalium suarum virium afferre potest, quod videtur ipsemet Bellarminus agnoscere, dum subjungit, *virtutem illam cooperandi a Deo proficisci.* Quemadmodum igitur homo mortuus nihil opis afferre potest ad sui resuscitationem corporalem, ita homo spiritualiter in peccatis mortuus nihil opis afferre potest ad sui resuscitationem spiritualem, i. e. ad conversionem, illuminationem, regenerationem et renovationem. Vitalem illam vim, qua homo in conversione salutariter utitur, non excitat Spiritus s. quasi jam ante in homine delitescentem, sed plane de novo confert. Naturae vita nihil ad hanc rem momenti habet, illa ipsa enim naturalis vita est mors coram Deo, siquidem φρόνημα σαρκὸς ἔχθρα πρὸς τὸν θεόν Rom. 8, v. 7. Vita spiritualis est longe superioris et altioris gradus quam vita naturalis, quomodo igitur ad motus vitae spiritualis inchoandos vita naturalis quippiam conferre posset, cum causa suo effecto nunquam sit inferior? Scriptura sic procedit: *Sine Christo homo nihil potest facere* Joh. 15, v. 5. *quia est in peccatis mortuus* Eph. 2, v. 1. Bellarminus procedit modo contrario. Homo per gratiam excitatus et adjutus a Deo potest aliquid facere et cooperari, quia vivit adhuc vita naturali. V. 114.

Conversio est θεούργημα.

41. Deo autem opus conversionis in solidum attribuitur, *hic illucescit in cordibus nostris* 2. Cor. 4, v. 6. *dat intellectum, ut discamus ejus testimonia* Psalm. 119, v. 34. *dat illuminatos oculos mentis*, Eph. 1, v. 18, nec solum hoc, sed et *aperit oculos, ut convertantur a tenebris ad lucem* Act. 26, v. 18. Hinc August. lib. 2. de pecc. merit. et remiss. c. 5: *Mentibus non minus necessaria est illuminationis gratia quam oculis lumen, imo, inquit, oculos ipsi aperimus ad cernendam lucem, mentis autem oculi nisi a Domino aperiantur, clausi manent.* Nisi Deus dederit oculos ad videndum et cor ad intelligendum, frustra auditur verbum et videntur miracula Deut. 20, v. 4. *Deus est, qui emollit cor* 2. Par. 34, v. 27. *dat cor carneum* Ezech. 36, 26. [cum alias sit lapideum] *aperit cor* Act. 16, 14. [cum alias sit clausum] *circumcidit cor* Deut. 30, 6. [cum alias homo sit incircumcisus corde Act. 7, 51.] *conterit cor* Ezech. 6, 9. [cum alias cor hominis sit durum Rom. 2, 5. instar viae calcando induratae Jer. 17, v. 9.] *dat cor novum* Ezech. 11, 19. veteris Adami membra sunt mortificanda Col. 3, 5. et externus homo corrumpendus 2. Cor. 4, v. 16. *Deus est, qui trahit* Joh. 6, 44. *qui dat velle* Phil. 2, v. 13. [cum alias non velimus] *Deus est, qui vivificat* Esai. 57, 15. [cum sint homines mortui in delictis Col. 2, 13.] *purificat corda* Act. 15, 9. [cum alias ex corde exeant pravae cogitationes etc. Matth. 15, 19.] *imo creat cor mundum* Ps. 51, v. 12. [ita ut conversio nostra sit ἀνάπλασις et ἀνάκτισις, nec minor virtus requiratur ad hominis conversionem quam creationem, quin imo si Augustino

et Bernhardo credimus, majus Dei opus est ex impio pium facere, quam coelum et terram creare.] Observa igitur Deum aperire, convertere, emollire corda, sed quia nimis sunt dura, conterit et circumcidit, quando adhuc nihil perficit, aufert cor lapideum, dat, imo creat novum. Infirmam naturam medicus ille noster [Exod. 15, 26.] obligat, adhibet remedia, sed hoc propter extremam ejus corruptionem non sufficit, renovanda est, ex mortuis exsuscitanda, regeneranda; non sanatione tantum, sed nova plane renascentia opus habet.

Exceptiones Bellarmini.

42. Regerit Bellarminus 5. de grat. et lib. arb. c. 29. et 6. de grat. et lib. arb. c. 13: *Primo Deum non inclinare corda nostra cogendo aut necessitatem inferendo, sed interna inspiratione suadendo et invitando; Deum quidem facere per auxilium gratiae suae, ut vocanti consentiamus, sed hoc cum facere adjuvando infirmitatem, non tollendo libertatem.* Respondemus: Voluntas humana ad bonum non solum infirma, sed plane mortua est, ideo non solum infirmitatis adjutorio, sed novarum virium dono indiget; inclinat Deus et invitat voluntatem non solum excitando et suadendo, sed etiam efficaciter interius operando: interim libertas gratiam repudiandi non tollitur, saepius enim proh dolor opus Dei in conversione ab hominibus intervertitur, vis acceptandi gratiam di-
V. 115. vinitus voluntati datur atque confertur. *2. Cor mundum creari nihil aliud esse, quam cor ipsum mundare, ac proinde non esse absurdum, quod substantia ipsa cordis spiritualis accepto semine divinae gratiae cooperetur ad fructum conversionis suae et pietatis opera germinanda.* Respondemus: Sane postquam homo jam renatus per Spiritum s. agit, novis illis a Deo donatis viribus ad bonum cooperatur, sed in primo conversionis actu naturalibus suis viribus nequaquam cooperatur, semper igitur confunduntur diversae quaestiones. *3. Sicut respiciendo terminum justificationis Deus facit nos et non ipsi nos, quia ipse habitum caritatis infundit; ita respiciendo dispositionem ad justificationem ipsi nos Deo adjuvante facimus, quod expressit* Ezech. c. 18, *cum ait: ipse animam suam vivificabit.* Respondemus: Justificatio nostra non consistit in habitus cujusdam infusione, sed in gratuita peccatorum remissione et justitiae CHRISTI imputatione, qua de re suo loco. Homines non renatos semet ipsos facere, hoc est, semet ipsos quodammodo regenerare vel certe ad regenerationem praeparare, longe absurdius est, quam si quis dicat, infantem in utero se ipsum ad hanc vitam formare. August. de verb. apost. serm. 10: *Ploremus coram Domino, qui fecit nos et homines et salvos. Nam si ille nos fecit homines, nos autem ipsi nos fecimus salvos, aliquid illo melius fecimus. Melior est enim salvus homo, quam quilibet homo. Si ergo te Deus fecit hominem, et tu te fecisti bonum hominem, quod tu fecisti, melius est. Noli te extollere super Deum, confitere, illi qui fecit te, quia nemo recreat, nisi qui creat, nemo reficit, nisi qui fecit, ipse fecit nos et non ipsi nos* etc.; *ut implorares medicum, excitavit cor tuum, et posse implorare donavit tibi Deus, est enim qui operatur in nobis et velle et operari pro bona voluntate, quia, ut haberes bonam voluntatem, illius vocatiò praecessit.* Serm. 11. sequente: *Vidit Spiritus s. quosdam dicentes vel dicturos, quod Deus eos fecerit homines, justos autem ipsi se faciunt, praevidit eos, admonuit eos et ab hac extollentia revocavit eos dicens, ipse fecit nos et non ipsi nos. Quare enim addidit, et non ipsi nos, cum sufficeret dicere, ipse fecit nos, nisi quia illam facturam voluit admonere, ubi dicunt homines, ipsi fecimus nos, id est, ut justi essemus, justos nos libera voluntate fecimus? quando conditi sumus, liberum arbitrium accepimus, ut ergo justi simus, libero arbitrio id agimus.* Haec Augustinus. Dictum propheticum nihil minus agit, quam ut homini tribuat vim se ipsum vivificandi vel ad vivificationem cooperandi. Impius cum averterit se ab impietate sua et fecerit justitiam, ipse animam suam vivificabit, h. e. non morietur, non peribit, sed in vita et ad vitam conservabitur, ut ostendit oppositio, verba enim activa apud Hebraeos saepius ponuntur pro contrariis negatis; sic dicitur nocere qui non prodest, odisse qui non amat, indurare qui non emollit. Vox vivificandi in Scripturis etiam alibi eo modo accipitur. Exod. 1, v. 17: *obstetrices Aegyptiacae vivificabant infantes Israëliticos*, i. e. in vita conservabant. Luc. 17, v. 13: *Qui perdiderit animam suam, vivificabit eam.* Act. 7, v. 19: *ne infantes vivificarentur. 4. Deum operari in nobis velle juvando et excitando, ut re ipsa velimus, id tamen non sine nobis, alioquin non diceret apostolus: Cum timore et tremore operamini salutem vestram* Phil. 2. Respondemus: Loquitur apostolus de renatis, qui per novas a Deo donatas vires post regenerationem suam cooperari possunt, quaestio autem h. l. est de ipso conversionis actu, quid in eo voluntas humana ex se et suis naturalibus viribus possit, ubi certe nondum est σύνεργος, sed tantum παθητική. *Certum est nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus, de quo hic dicitur, Deus est, qui operatur in nobis velle.* Augustin. de grat. et lib. arbit. c. 16: *Non propter possibilitatem bonae voluntatis atque operis, sed etiam propter voluntatem et operationem bonam erga nos gratia Dei praedicanda est. Non ideo tantum adjutorium divinae gratiae commendetur, quia possibilitatem adjuvat naturalem. Desinat Pelagius dicere, quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est, qui hoc posse donavit, quod vero bene vel male agimus vel loquimur vel cogitamus, nostrum est, desinat, inquam, ista dicere, non solum enim Deus posse nostrum donavit atque adjuvat, sed etiam velle et operari operatur in nobis,* V. 116.
non quia nos non volumus aut nos non agimus, sed quia sine ipsius adjutorio nec volumus aliquid boni nec agimus. Idem 1. de grat. Christi contra Pelagium et Celestium c. 25: *Ut velimus sine nobis in nobis operatur, cum autem volumus et sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur, tamen sine ullo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum*

volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. Id. de grat. et lib. arb. c. 17.

Rebellio carnis libertatem arbitrii deprimit.

43. Tribus hisce argumentorum classibus addenda etiam quarta continens ea Scripturae dicta, in quibus lucta carnis et Spiritus in renatis describitur. Si enim in ipsis renatis *caro repugnat Spiritui* et hostiliter cum ipso colluctatur, Gal. 5, v. 17, si *lex membrorum repugnat legi mentis*, Rom. 7, v. 23, si vetustas carnis novitatem Spiritus in operibus bonis retardat atque impedit, quanto magis in ipsa conversione hoc fit, ac proinde nec gratiam praevenire nec oblatam acceptare suis lib. arbitrii viribus homo nondum renatus poterit. Luth. in assert. art. 36. tom. 2. Lat. f. 312: *Etiam justi magno certamine contra suam carnem laborant, ut faciant bonum, resistitque eis liberum eorum arbitrium et prudentia carnis summis viribus concupiscens contra Spiritum, odio habens ea, quae sunt Spiritus et legis Dei, et quomodo possibile est, ut sine Spiritu ex natura sua possit pro Spiritu concupiscere, sed ad Spiritum se praeparare faciendo quod in se est? In gratia dum fuerit, natura ejus talis est, ut contra gratiam indomitum pugnet, et extra gratiam talis esse poterit natura ejus, ut Spiritum juvet? Quid insanius fingi potest? esset enim hoc monstrum novum simile huic, si quis indomitam feram vinculis custoditam domare non possit, et tamen insanus jactet, eam ante vincula et sine vinculis esse tam cicurem et mansuetam, ut sponte se domet seu ut dometur, laboret. Si liberum arbitrium in gratia peccat et insanit adversus gratiam, sicut cogimur omnes sentire, et queruntur apostolus et omnes sancti, certe contra omnem sensum est, ut extra gratiam probum sit et ad absentem se paret, quam praesentem odit et persequitur.* Haec D. Lutherus. Excipiunt Pontificii, *luctam illam carnis et spiritus esse inter appetitum sensitivum et superiorem animae portionem, quae manserit a peccati corruptione libera*, sed contrarium ostendimus superius in loco de peccato originis.

Testimonia antiquitatis.

44. Dicta veterum referri possunt in certas classes, quarum prima contineat ea testimonia, in quibus omnia divinae gratiae, viribus autem humanis nihil tribuunt. Cyprianus lib. 3. ad Quirin.: *In nullo gloriandum, quia nihil nostrum est*, quod Augustinus passim repetit. Basilius. in conc. de humil.: *Nihil tibi relictum est ad superbiam, homo, cujus gloriatio et spes est, ut mortifices omnia, quae tua sunt, et quaeras futuram in Christo vitam, cujus nunc adepti primitias in his sumus, totum quod vivimus gratiae et dono Dei debentes, nam Deus est, qui dat velle et operari pro bona sua voluntate.* Idem: *Quid te effers tanquam in donis propriis, cum potius gratias agere debeas pro acceptis beneficiis largitori, quid enim habes, quod non accepisti?* Ambros. 1. de voc. gent. c. 3: *Quae natura erat bona, qualitate facta est mala, cum homo ad pietatem redit, non alia in eo creatur substantia, sed eadem, quae labefactata fuerat, reparatur, quod non efficit, nisi gratia Salvatoris, qui opus suum opere suo reparat, quod in natura periit, non restituitur nisi ab auctore naturae.* Ibid.: *Fide perdita, spe relicta, intelligentia obcaecata, voluntate captiva, homo in se unde reparetur, non invenit.* Hieronym. in c. 16. Prov.: *Quicunque tribuit sibi bonum, quod facit, etiamsi nihil videtur mali manibus operari, jam cordis innocentiam perdidit, in quo se largitori bonorum praetulit.* August. de grat. et lib. arbit. c. 15: *Semper in nobis voluntas est libera, sed non semper bona* etc. *Per gratiam autem fit, ut sit homo bonae voluntatis, qui prius fuit voluntatis malae.* De dogmat. eccles. c. 6: *Tutiores vivimus, si totum Deo damus, non autem, si nos illi ex parte et nobis ex parte committimus.* Chrysost. homil. de Adam et Eva: *Ex vasis irae facit vasa* V. 117. *misericordiae, quod adeo totum divini operis esse sentitur, ut haec efficienti DEO gratiarum actio semper et laudis confessio pro talium correctione referatur* in Ps. 118: *Qui estis boni, assignate illud dono Dei et nolite vobis assumere quod donatum est vobis, ne perdatis quod habetis, et dicat vobis veritas, quid habetis, quod non accepistis*, in Actor. homil. 30: *Nihil nostrum esse putemus, quandoquidem et ipsa fides non est nostrum opus, quod autem non sit nostrum, sed Dei, audi apostolum dicentem, etiam hoc non ex vobis, donum Dei est.*

45. Secunda classis assignabitur talibus dictis, in quibus liberum arbitrium respectu spiritualium actionum dicunt amissum esse ac nihil valere nisi ad peccandum. Ambros. lib. 2. de voc. gent. c. 2: *Vaga hominis voluntas nihil in suis habet viribus nisi periculi facilitatem, quia voluntas mutabilis, quae non ab immutabili voluntate regitur, tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni.* August. 1. retract. c. 15: *Quantum est, quod valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi forte si pia est, ut oret auxilium? in tantum enim libera est, quia in tantum liberata est et in tantum appellatur voluntas, alioquin tota cupiditas, quae voluntas proprie nuncupanda est.* Epist. 89. ad Hilar.: *Libertas sine gratia nihil est nisi contumacia, non libertas.* Epist. 107: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate amisimus.* In Ench. c. 30: *Homo male utens libero arbitrio et se perdidit et ipsum. Cum enim libero arbitrio peccaretur, victore peccato amissum est et liberum arbitrium, a quo enim quis devictus est, huic servus addictus est.* Disput. 2. cont. Fortun.: *Liberum voluntatis arbitrium in illo homine dico, qui primus formatus est, ille sic factus est, ut nihil omnino voluntati ejus resisteret, si vellet praecepta Dei servare, postquam autem libera voluntate ipse peccavit, nos in necessitatem praecipitati sumus, qui ab ejus stirpe descendimus.* lib. 1. cont. duas epist. Pelag. c. 3: *Arbitrium in bono liberum non erit, quod liberator non liberaverit, sed in mala homo habet liberum arbitrium.* lib. 3, c. 8: *Liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccandum valet, ad justitiam vero non nisi divinitus liberatum adjutumque valet.* lib. 2. cont. Julian: *Hic vultis*

hominem perfici, atque utinam Dei dono et non libero vel potius servo propriae voluntatis arbitrio, de corr. et grat. c. 13: *ante gratiam habemus liberum arbitrium, sed non liberatum, liberum justitiae, servum peccato.* lib. 3. hypogn.: *liberum arbitrium possibilitatis bono, vitio primi hominis perdito, a justorum errat consortio.* serm. 2. de verb. apost.: *verum est, magnas liberi arbitrii vires homo, cum conderetur, accepit, sed peccando amisit.* serm. 13. de verb. apost.: *Prorsus, si Dei adjutorium defuerit, nihil boni agere poteris, agis quidem illo non adjuvante libera voluntate, sed male, ad hoc idonea est voluntas tua, quae vocatur libera et male agendo fit damnabilis ancilla.* Chrysost. hom. 1. advent.: *Ante lapsum liberum arbitrium habebamus bene operandi, non autem postea, quia non nostra virtute post peccatum evadere possumus de manu diaboli, sed sicut navis fracto gubernaculo illuc ducitur, quo tempestas voluerit, sic a diabolo de peccato in peccatum ducimur, nec hactenus quicquam facere licebit, nisi quod ipse diabolus voluerit, et nisi Deus valida manu misericordiae suae nos solverit, usque ad mortem in peccatorum vinculis permanebimus.* Bernhard. serm. 81. super Cant.: *Premimur jugo, non alio tamen quam voluntariae cujusdam servitutis, ideo pro servitute sumus miserabiles, pro voluntate inexcusabiles, quia voluntas, cum libera esset, servam se peccati fecit. Anima sub hac voluntaria quadam ac male libera necessitate et ancilla tenetur et libera, ancilla propter necessitatem, libera propter voluntatem* etc. Sarisberiensis in Polycratico lib. 2, c. 2: *Homo justo Dei judicio, quia noluit a peccato abstinere, cum potuit, modo nequit abstinere, cum velit; in eo tamen solo adhuc liberum ei viget arbitrium, ut sibi ad opus iniquitatis sufficiat, ad bonum non nisi a gratia praeventus et adjutus assurgat.*

46. Tertiae classi inserenda pronuntiata ista, in
V. 118. quibus initium bonorum motuum divinae gratiae tribuunt. Ambros. in Luc. ref. August. de bono persev.: *A Deo praeparatur voluntas hominum, ut enim Deus honorificetur a sancto, Dei gratia est.* 1. de voc. gent. c. 9: *Licet inest homini nolle bonum, tamen nisi donatum non habet velle bonum, illud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiam.* lib. 2. c. 9: *Duce Deo ad Deum veniatur necesse est, ne ad cogitandum quidem quod spirituale est idonei sumus nisi per Dei gratiam.* August. 1. retract. c. 22: *In potestate hominis est mutare in melius voluntatem,* [id sic explicat] *sed ea potestas nulla est nisi a Deo detur, de quo dictum est: dedit eis potestatem filios Dei fieri, cum enim hoc sit in potestate, quod cum volumus, facimus, nihil tam in potestate, quam ipsa voluntas est, sed praeparatur voluntas a Deo.* Epist. 105: *Restat, ut ipsam fidem, unde omnis justitia sumit initium, non humano, quo isti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec ullis praecedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quaecunque sunt merita, sed gratuitum Dei donum esse fateamur, si gratiam veram, id est, sine meritis cogitamus.* Epist. 106: *Omne bonum opus Dei gratia praecedit et id comitante non ducente, pedissequa non praevia voluntate.* In Enchirid. c. 32: *Totum DEO detur, qui voluntatem hominis bonam praeparat adjuvandam et adjuvat praeparatam; praecedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia, quae autem non praecedit ipsa, in eis est et ipsa, nolentem praevenit, ut velit, volentem subsequitur, ne frustra velit.* lib. 1. contra duas epist. Pelag.: *Hominis propositum bonum adjuvat quidem subsequens gratia, sed nec ipsum esset, nisi praecederet gratia, et studium hominis, quod dicitur bonum, quantumvis cum esse coeperit, adjuvetur a gratia, non tamen incipit sine gratia, sed a Deo inspiratur.* de grat. et lib. arb. c. 2: *Certum est, voluntatem nostram requiri ad hoc, ut bene operemur, sed illam non habemus ex nostris viribus, sed Deus operatur in nobis, ut velimus.* c. 16: *Certum est, nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus, de quo dictum est, Deus est, qui operatur in nobis velle.* c. 17: *Quis etsi parvam dare coeperat caritatem, nisi ille, qui praeparat voluntatem et cooperando perficit, quod operando incipit, quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Ibid.: *Ut velimus, sine nobis operatur Deus, cum autem volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur* etc. de corrept. et grat. c. 1: *Desiderare gratiam initium est gratiae,* de dogmat. eccles. c. 17: *Sancta cogitatio, bonum propositum, pium consilium, omnisque nutus bonae voluntatis ex Deo est, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.* Chrysost. hom. 24. in 7. Gen.: *Non possibile est, bonum aliquod nos recte agere non habita superna gratia.* serm. 8. in epist. Philipp.: *et promtitudinem nobis Deus dat et operandi efficaciam.* Fulgent. lib. 1. ad Monim.: *Nemo quisquam hominum sive ad cogitandum sive ad operandum quodcunque bonum potest esse idoneus, nisi fuerit munere gratuito divinae opitulationis adjutus, ab ipso namque est initium bonae voluntatis, ab ipso facultas boni operis, ab ipso perseverantia bonae conversationis* etc. Anselm. in medit. redemt. c. 4: *A te habeo desiderare, a te habeam impetrare.* de concord. grat. et lib. arbit.: *Sicut nullus rectitudinem voluntatis accipit nisi gratia praeveniente, ita nullus eam servat nisi gratia subsequente.*

47. Quarta classis complectitur illa dicta, in quibus distinguunt objecta liberi arbitrii, ut intelligatur, quid in civilibus, quid in spiritualibus suis viribus possit. Ambros. 1. de voc. gent c. 2: *Omni animae naturaliter inest voluntas, qua aut appetitur quod placet, aut declinatur quod displicet, cujus quantum ad naturalem pertinet motum, duo sunt genera, sensualis et animalis; sed cum adest gratia Dei, accedit ei per donum Spiritus tertium genus, ut possit fieri spiritualis* [refert autem ad animalem voluntatem corpori et voluptati non turpiter servire, cupiditates suas justitiae ac honestatis legibus refrenare]. August. de fid. ad Petr. c. 32:

Firmissime tene et nullatenus dubites, posse quidem hominem, quem nec ignorantia literarum, nec ali-
V. 119. *qua prohibet imbecillitas vel adversitas, verba sanctae legis et evangelii sive legere, sive ex ore cujusdam praedicatoris audire, sed ut quod audit corpore, percipiat etiam corde et mandata Dei facere velit, nemo potest, nisi quem Deus gratia sua praeveniret, data divinitus bona voluntate atque virtute.* lib. 3. hypogn.: *esse fatemur omnibus hominibus liberum arbitrium, habens judicium rationis non per quod sit idoneum ea, quae ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare aut peragere, sed tantum in operibus vitae praesentis* etc. Maxentius in confess. de Christo: *Liberum naturale arbitrium ad nihil aliud valere credimus, nisi ad discernenda tantum et desideranda carnalia sive secularia, quae non apud Deum, sed apud homines fortasse videri possunt gloriosa, ea vero, quae ad vitam aeternam pertinent, nec cogitare nec desiderare nec velle nec perficere potest, nisi per infusionem et operationem Spiritus sancti.*

48. Quintam classem constituunt ejusmodi pronuntiata, in quibus velle gratiam et assentiri gratiae non esse virium nostrarum, sed voluntatis renovatae testantur. Ambros. lib. 2. de voc. gent. c. 9: *Quod gratia a multis refutatur, ipsorum est nequitiae, quod autem a multis suscipitur et gratiae est divinae et voluntatis humanae* (nimirum jam renovatae, ita enim sequitur); *ipsa gratia hoc omni genere medendi et auxiliandi agit, ut in eo, quem vocat, optimam sibi receptricem et famulam donorum suorum praeparet voluntatem.* Conc. Arausic. 2. can. 6: *Si quis sine gratia Dei credentibus, desiderantibus, conantibus misericordiam dicit conferri, non autem divinitus ut credamus, velimus per infusionem et inspirationem Spiritus s. in nobis fieri confitetur, anathema sit.* Can. 7: *Si quis per naturae vigorem evangelizanti praedicationi non consentire posse confirmet absque illuminatione Spiritus sancti, haeretico fallitur spiritu.* August. lib. 1. contra duas epist. Pelag. c. 19: *Christus non dicit, duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus praecedere voluntatem, sed dicit, traxerit, quis autem trahitur, si jam volebat? et tamen nemo venit, nisi velit; trahitur ergo miris modis, ut velit ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.* de praedest. et grat. c. 11: *Ipsum velle non est ex nobis, sed Dei donum est, quoniam ab ipso habemus velle et perficere.* de praedest. sanct. c. 3: *Ut praedicato nobis evangelio consentiremus, nostrum esse proprium et ex nobis arbitrabar, quem meum errorem nonulla opuscula indicant ante meum episcopatum scripta.* Prosper de ingr.:

Percurrat apostolus orbem,
praedicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet,
quamque viam verbo reseratam invenerit, intret,
ut tamen his studiis auditor promoveatur,
non doctor, non discipulus, sed gratia sola
efficit, inque graves adolet plantaria fructus.

Illam gratiam sic describit:

Non quae consilio tantum hortatuque benigno
suadet, sed mutat mentes intusque reformat,
vasque novum ex fracto fingit virtute creandi.

Bernh. serm. 1. sup. Cant.: *Quomodo lux incassum cirumfundit oculos coecos vel clausos, ita animalis homo non percipit ea quae sunt Dei.* Idem de grat. et lib. arbit.: *hoc est totum opus liberi arbitrii, quod consentit non quidem, quod vel ipse consensus ab ipso sit, cum nec cogitare, quod minus est, quam consentire, a nobis quasi ex nobis sufficientes simus* etc.

49. Quin ipsimet Scholastici ac Pontificii scriptores satis commode quandoque hac de re loquuntur. Lomb. 2. sent. dist. 25. lit. G.: *Possunt in homine notari quatuor status lib. arbitrii. Ante peccatum enim ad bonum nil impediebat, ad malum nil impellebat. Non habuuit infirmitatem ad malum et habuit adjutorium ad bonum. Tunc sine errore* Dicta Scholasticorum et ipsorum Pontificiorum.
ratio judicare et voluntas sine difficultate bonum V. 120.
appetere poterat. Post peccatum vero ante reparationem gratiae premitur a concupiscentia et vincitur et habet infirmitatem in malo, sed non habet gratiam in bono et ideo potest peccare, et non potest non peccare etiam damnabiliter. Post reparationem vero ante confirmationem premitur a concupiscentia, sed non vincitur et habet quidem infirmitatem in malo, sed gratiam in bono, ut possit peccare propter libertatem et infirmitatem et possit non peccare propter libertatem et gratiam adjuvantem; nondum tamen habet posse omnino non peccare vel non posse peccare propter infirmitatem nondum perfecte absorptam et propter gratiam nonplene consummatam. Post confirmationem vero infirmitate penitus consumta et gratia consummata, nec vinci poterit nec premi, et tunc habebit non posse peccare. Lit. H.: *per peccatum naturalia bona sunt corrupta et gratuita detracta, incurrit enim homo pro peccato poenam in corruptione et depressione liberi arbitrii. Corrupta est ergo libertas liberi arbitrii per peccatum et ex parte perdita,* unde August. in Enchir.: *Libero arbitrio male utens homo et se perdidit et ipsum, cum enim libero arbitrio peccaretur, victore peccato amissum est et liberum arbitrium; a quo enim quis devictus est, huic servus addictus est. Ecce liberum arbitrium dicit hominem amisisse, non quia post peccatum non habuerit liberum arbitrium, sed quia libertatem arbitrii perdidit, non quidem omnem, sed libertatem a miseria et peccato.* lit. I. exponit *tres modos libertatis, scilicet a necessitate, a peccato et a miseria, et per peccatum perditam* dicit *libertatem a peccato, non autem a necessitate.* Thom. q. 24. de verit.: *Liberum arbitrium sine gratia faciendo quod in se est non potest se disponere vel praeparare ad habendam gratiam.* 1. 2. q. 189. art. 3: *homo in statu naturae corruptae non potest Deum ex puris naturalibus diligere super omnia.* 2. 2. q. 4. art. 4: *fidem facit gratia non solum quando fides de novo incipit esse, sed etiam quamdiu fides durat; Deus semper operatur justificationem hominum, sicut sol semper operatur illuminationem aëris.*

Guilielmus Parisiensis distinctionem illam in quaestione de libertate arbitrii summe necessariam *inter justitiam civilem et spiritualem* satis commode explicat. Gregorius Ariminensis professor Paris. lib. 2. sent. dist. 26. 27. 28. accusat Scholasticos reliquos, *quod in doctrina de libero hominis arbitrio haeresi Pelagianae sint addicti*, et honorifice loquitur de Thoma Bradwardino collegii Sorbonici Lutetiae professore, qui annis ante Gregorium decem, videlicet anno circiter 1330. opus tripartitum de gratia Dei contra liberum arbitrium ediderat. Johan. Driedo de concord. lib. arbit. et praedest.: *Homo nondum credens, sed sibi derelictus in solis vitiatae naturae talentis, se ad accipiendam fidei gratiam praeparare non potest.* Johan. Ferus Minorita in c. 1. Johan. v. 23. *Veterem nativitatem atque adeo omnes vires naturae, quae naturali propagatione transfunduntur in sobolem, in Scriptura damnari, maledictam cordis nostri cogitationem, rationem, os, manus, pedes peccato et tenebris involuta in nobis omnia.* Unde index expurgat. Hisp. fol. 123. ex commentariis Feri delere jubet haec axiomata: *non alios quam malos fructus profert natura ex se. Voluntas nostra mala et omnium malorum radix* etc. Cassander. lib. consult. art. 18. ex Bonavent.: *Hoc piarum mentium est, ut nihil sibi tribuant, sed totum gratiae Dei, unde, quantumcunque aliquis det gratiae DEI, etiamsi subtrahat potestati naturae aut liberi arbitrii, a pietate non recedit; cum vero aliquid gratiae Dei subtrahitur et naturae tribuitur quod gratiae est, ibi potest periculum intervenire.* Bellarm. lib. 4. de lib. arbit. c. 10. *adversus quosdam etiam catholicos sibi liberum arbitrium probandum esse* dicit.

V. 121.

CAPUT V.

ERRANTES DE LIBERO ARBITRIO IN EXCESSU.

Pelagiani. 50. Ab hoc coelestis veritatis tramite secessionem ad dextram olim fecerunt plus aequo viribus liberi arbitrii tribuentes Pelagiani, quos secuti sunt Scholastici, quorum vestigiis insistunt Pontificii, quibus ex parte consentiunt Synergistae. Pelagius Brito monachus circa annum 415. sub imper. Arcadio, Theodosio juniore et Honorio, coepit vires liberi arbitrii nimis extollere; cujus erroris occasionem Dn. Chemnicius p. 1. locorum p. 499. ex historiis statuit quadruplicem: 1. volebat Manichaeos peccatorum originem non libero arbitrio voluntatis, sed substantiae contrariae homini admixtae tribuentes acriter refutare; declinavit igitur nimium ad partem alteram, idemque ipsi contigit, quod insitoribus, qui incurvum tenellae arboris statum corrigere nitentes, nimia attractione in alteram partem peccant. Basilius epist. 41. 2. Non probabat violentos raptus Enthusiastarum, quos circa illa tempora sparsos fuisse Tripart. lib. 7. c. 11. recenset. 3. Erat amans disciplinae et videbat flagitiosam inter Christianos ignaviam. 4. Sine judicio arripiebat Patrum incommode dicta. Errorem ipsius ita describit Augustinus de haeres. c. 88: *Pelagianorum est haeresis hoc tempore omnium recentissima a Pelagio monacho exorta, quem magistrum Coelestius sic secutus est, ut sectatores eorum Coelestini etiam nuncupentur. Hi gratiae Dei, qua praedestinati sumus in adoptionem filiorum Dei per Jesum Christum et qua eruimur de potestate tenebrarum, ut in eum credamus* etc., *in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata. Denique Pelagius a fratribus increpatus, quod nihil tribueret adjutorio gratiae DEI ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio praeponeret, sed infideli calliditate supponeret dicens, ad hoc eam dari hominibus ut quae facere per liberum jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam. Dicendo utique ut facilius possint, voluit credi, etiamsi difficilius, tamen posse homines sine gratia divina facere jussa. Illam vero gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis praecedentibus meritis ab illo accepit natura nostra ad hoc tantum ipso adjuvante per suam legem et doctrinam, ut discamus quae facere et quae sperare debeamus* etc. *Gratiam Dei, qua liberamur ab impietate, dicunt secundum merita nostra dari.* Apparet ex hac Augustini relatione Pelagium aliquoties correxisse linguam, ipsos tamen nervos erroris sui retinuisse, quod heterodoxis perquam familiare est. Primo negabat plane gratiae divinae necessitatem, postea concedebat, adjutorium gratiae necessarium esse, sed gratiam explicabat de ipso lib. arbitrio quod est donum Dei gratuitum. August. serm. 11. de verb. apost.: *Disputantes* (Pelagiani) *contra gratiam pro libero arbitrio fecerunt auribus piis et catholicis offensionem, coeperunt horreri* etc. *et invenerunt ad relevandam istam invidiam tale commentum. Non*, inquit, *contra gratiam Dei disputo. Unde probas? eo ipso*, inquit, *non contra gratiam Dei disputo, quod liberum arbitrium defendo. Videte acumen, sed vitreum, quod lucet vanitate, sed frangitur veritate. Si hominem* (ajunt) *Deus creavit et homini Deus liberum arbitrium donavit, quicquid potest homo de libero arbitrio, cujus gratiae debetur, nisi ejus, qui eum condidit cum libero arbitrio? Animadvertentes et hoc nimis jejunum esse, per gratiam dixit intelligendam esse patefactionem legis.* August. lib. 1. de grat. Christi cont. Pelag. et Coelest. c. 3: *Gratiam Dei et adjutorium quo adjuvamur ad non peccandum aut in natura et libero ponit arbitrio, aut in lege atque doctrina, ut videlicet cum adjuvat Deus hominem, ut declinet a malo et faciat bonum, revelando et ostendendo quid fieri debeat, adjuvare credatur.* Cum et haec sententia refutaretur, di- V. 122.

xit Pelagius gratiam Dei ad hoc necessariam esse, ut peccata praeterita remittantur, non tamen ut futura caveantur. August. de grat. et lib. arb. c. 13: *Dicunt gratiam Dei, quae data est per fidem Jesu Christi, quae neque lex est neque natura, ad hoc tantum valere, ut peccata praeterita dimittantur, non ut futura vitentur vel repugnantia superentur.* Sed ab hoc etiam praesidio dejectus Pelagius dixit, adjutorium gratiae ad hoc valere, ut quae per liberum arbitrium facere jubemur, facilius implere possimus per gratiam. August. de grat. Christ. contra Pelag. l. 1. c. 19: *Pelagius dicit propterea dari gratiam, ut quod a Deo praecipitur, facilius impleatur, ubi quid de illa sentiat, satis ostendit, scilicet quod etiam sine illa, etsi minus facile, fieri tamen, quod divinitus praecipitur, potest.* Denique concessit gratiam Dei esse necessariam, sed addidit eam dari juxta desiderium bonae voluntatis, quod omnino praecedere debeat. August. de grat. et lib. arbit. c. 14: *Cum fuerint convicti, non defensores, sed inflatores et praecipitatores liberi arbitrii, quia nec scientia divinae legis nec natura nec sola remissio peccatorum est illa gratia, quae per Jesum Christum Dominum nostrum datur, ad hoc convertunt, ut quocunque modo conentur ostendere gratiam Dei secundum merita nostra dari. Dicunt enim etsi non datur secundum merita bonorum operum, quia per ipsam bene operamur, tamen secundum merita bonae voluntatis datur.* Quamvis vero Pelagius haberet asseclas magnae auctoritatis viros in Palaestina, Africa, Italia, Gallia et Britannia, singulari tamen Dei gratia excitabatur Augustinus, qui prae reliquis acriter se opponebat Pelagio, Juliano, Coelestio etc. variis scriptis, quae exstant tom. 7. operum Augustini. Ex schola Pelagii prodiit postea Cassianus monachus Massiliensis, qui in collationibus dicit, in aliis hominibus voluntatem praeveniri a gratia, in aliis gratiam a voluntate; Faustus episcopus Gallicus circa ann. 500. disputans omnibus naturae lege suppetere, ut credant. Huc referendi sunt Semipelagiani reliquiae Pelagianorum dicti, quorum mentio fit tom. 7. operum August. in epist. Prosperi et Hilarii, qui docebant, vitam aeternam per libertatem arbitrii ab illis apprehendi, qui Deo sponte crediderint et auxilium gratiae merito credulitatis acceperint; priorem esse fidei obedientiam quam gratiam; voluntatem hominis divinae gratiae opem sibi parere; initium fidei et conversionis esse ex nobis, complementum a Deo.

Semipelagiani.

Scholastici.

51. Scholastici scriptores egressi veros Scripturae limites Pelagii vestigiis non obscure insistunt. Disputant enim, *hominem ex viribus liberi arbitrii posse se praeparare ad Dei gratiam* (cum tamen bonam hominis voluntatem a Deo praeparari Scriptura asseveret), *facere praecepta Dei quoad substantiam actus* (cum tamen lex Dei non externam tantum, sed et internam obedientiam requirat), *hominem non renatum sine fide et Spiritu s. solo arbitrio facientem opera praeceptorum non peccare* (cum tamen omne, quod non est ex fide, sit peccatum), *hominem exsistentem in peccato mortali sine fide et Spiritu s. posse vitare et cavere quodvis mortale peccatum, ne de novo illud committat* (cum tamen non renatis omnia peccata sint mortalia, et propter impedimenta libertatis ne in externis quidem universaliter et semper verum sit, quod possit homo non renatus vitare quodvis peccatum pugnans cum externa disciplina), *introduxerunt meritum de congruo, quidam etiam illorum statuunt, posse hominem ex puris naturalibus diligere Deum super omnia.* Alex. Alensis. p. 2. q. 69. art. penult.: *facienti quod in se est Deus necessario dat gratiam necessitate immutabilitatis.* Thom. 1. 2. q. 114. art. 6: *Merito congrui potest quis alteri mereri primam gratiam, congruum enim est secundum amicitiae proportionem, ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius, cum ipse impleat Dei voluntatem.* Biel 2. sent. dist. 27. q. un. art. 4: *Anima obicis remotione et bono motu in Deum ex arbitrii libertate elicito primam gratiam mereri potest de congruo.* Id. 2. sent. dist. 28. q. un. art. 2. ex Scoto et Occamo has format propositiones: *liberum arbitrium ex suis naturalibus sine gratia potest elicere actum moraliter bonum, peccatum mortale novum quodlibet cavere, divina praecepta quoad substantiam actus implere.* 3. Sent. dist. 27. q. un. artic. 3. dubit. 2: *Viatoris voluntas humana ex suis naturalibus potest Deum diligere super omnia;* hanc propositionem dicit esse juxta opinionem Scoti, Occami et Petri de Aliaco, quam sic probat: *Omni dictamini rectae rationis potest voluntas se conformare; sed diligere Deum super omnia, est dictamen rectae rationis, ratio enim dictat inter omnia diligenda esse aliquid summe diligendum. Item homo errans potest diligere creaturam super omnia, ergo etiam Deum, mirum enim valde esset, quod voluntas se conformare posset dictamini erroneo et non recto. Item homo potest ex puris naturalibus velle Deum esse Deum, sed talis vult Deo maximum bonum.* Scotus addit rationem *de forti politico, qui mori mavult quam cum ignominia et jactura reipublicae fugere.* l. 4. sent. dist. 14. q. 2. art. 2: *Ad justificationem impii requiritur motus liberi arbitrii ut dispositio brevis. Duobus motibus liberi arbitrii, videlicet odii in peccatum et voluntatis in Deum respondent duo, quae sunt a Deo justificante, scilicet gratiae infusio et peccati expulsio.* V. 123.

52. Sententiam Scholasticorum sequuntur Pontificii quidam manifestius, quidam vero subtilius. Recentiores enim Jesuitae a durioribus majorum suorum vocibus abhorrere videntur, cum interim ipsos errorum nervos retineant. Publica ipsorum sententia exstat in decretis concil. Trid., quod sess. 6. can. 2. ita loquitur: *Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Jesum Christum dari, ut facilius homo juste vivere ac vitam aeternam promereri possit, quod per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen ac difficulter possit, anathema sit.* Can. 3: *Si quis dixerit sine praeveniente Spiritus s. inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere*

Pontificii.

Concil. Trid.

sperare, diligere aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. Can. 4: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet, nec posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere mereque passive se habere, anathema sit.* Can. 5: *Si quis liberum hominis arbit. post Adae peccatum amissum et exstinctum esse dixerit aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in ecclesiam, anathema sit.* Haec concil. Trid., quod verum controversiae statum insidiose involvit, cum nec de ipsa voluntate, nec de libertate voluntatis a coactione, nec de qualicunque ejus libertate in externis, nec de renovatae voluntatis libertate hic sit quaestio, sed de potentia ad efficiendas actiones spirituales, an eam ex se habeat, ut ante renovationem gratiae praevenienti cooperari possit, quod concil. Tridentinum non negat, ita enim mentem ejus Andradius explicat; *liberum arbitrium non posse sane efficere spirituales actiones sine inspiratione et auxilio Spiritus s., sed illud non ideo fieri, quod mens et voluntas, qualis est in homine ex prima nativitate ante conversionem, prorsus non habeat ullam potentiam, ullas vires aut facultates, quae ad inchoandas et efficiendas spirituales actiones necessariae sunt, sed ideo, quia naturales illae vires et facultates, licet nec deletae nec exstinctae, adeo tamen peccatorum laqueis implicatae sint, ut homo non possit se propria virtute ab illis extricare, sicut ille, qui ferreis soleis devinctus est, habet quidem insitam et innatam incedendi δύναμιν, sed licet illam habeat, non tamen potest ea uti, ut in actum prodeat, nisi prius vincula rumpantur, quae motum reprimunt et retardant* (qua ratione vires ad bonum non amissae sed impeditae tantum forent). Utitur etiam hac similitudine: *si te rogem, cum ligneam materiam conflagrare cernis, quae sit conflagrationis illius causa efficiens, ignem dicas necesse est una cum DEO auctore naturae et patrono, qui igni exurendi vim suppeditat et ad operandum cum illo conspirat, cum igitur li-*
V. 124. *beri arbitrii motio non magis a gratia DEI pendeat, quam a divina virtute stipitis exustio, quid est, quod liberum arbitrium causae efficientis dignitate et nomine spolies!* (qua ratione generalis Dei concursus ad vires liberi arbitrii exserendas necessarius statueretur, non autem peculiaris gratiae actio). Ad eandem rem explicandam adhibet similitudinem *aegroti, cujus vires morbo fractae ac debilitatae et attenuatae sunt, ubi medicus vires, quae adhuc reliquae sunt, licet attenuatae, confirmat et roborat, et si quae sunt amissae, restituit;* (qua ratione homo nondum renatus ad bonum debilis, non autem mortuus statuitur). Censura col. fol. 35: *non in moralibus officiis tantum et actionibus plurimum momenti habet arbitrium humanum, verum etiam in rebus ad salutem pertinentibus*; (qua ratione tollitur necessarium discrimen inter justitiam civilem ac spiritualem.) fol. 37: *quatenus DEUS sua gratia semper praesto est, si viderit animum ad ejus susceptionem paratum et promptum, si non reluctantem reperiat* (qua ratione stabilitur meritum de congruo). fol. 48: *DEUS desiderio peccati et concupiscentiae praefecit rationem libertatem, cujus imperio subjiciatur peccatum tali subjectione, qua vix major est* (qua ratione negatur miserabilis illa peccati servitus in nonrenatis).

53. Costerus in Enchirid. c. de l. arb. speciose interdum loquitur, utpote *quod peccator propriis suis viribus non modo a peccato liberari non possit, sed nec possit ab illo resurgere neque de peccato dolorem concipere, neque ad gratiam et peccatorum remissionem se disponere, nec pie erga Deum affici, nec pio affectu de Christo ut redemtore suo loqui sine divina motione et gratia praeveniente; quod tanta sit in homine intellectus caecitas tantaque voluntatis et cordis duritia, ut, nisi misericors gratia praeveniat et mentem illustret affectumque moveat, nunquam serio poeniteat vel ad Deum revertatur: quod DEUS pro sua misericordia in nobis sine nobis operetur, cor moveat et mentem illustret,* sed quomodo haec omnia accipi velit, statim explicat, dum *potestatem suscipiendi divinos influxus humanae voluntatis viribus tribuit, confert liberi arbitrii vires in non-renatis cum homine in foveam lapso et secure dormiente, Spiritum s. cum amico, qui illius misertus e somno excitatum moneat et manum ei vel funem porrigat; quemadmodum igitur homo ille amici admonitionem admittit, funem apprehendit, tenet et quicquid in se est, pro viribus praestat, non patiendo tantum, sed et cooperando, donec tandem e fovea extractus lumine solis collustretur:* ita ex sententia Costeri *liberum arbitrium ut e tenebricosa fovea educatur, non suscipit tantum, patitur et agitatur, sed cooperatur gratiae ac praeparat se. Confert hominem peccatorem cum semimortuo, ad quem desiderantem auxilium et connitentem accedit amicus cum lumine, ut jumento imponatur; confert cum puero, qui pomo trahitur, ac filio, qui a patre trahitur munusculis et blandimentis ad discendas literas. Spiritum s. confert ductori, qui praeeunte lucerna debilem manu trahit, imo diserte scribit, voluntatem hominis post lapsum retinuisse hanc libertatem, ut gratiam oblatam recipere vel non recipere possit, ut gratiae admissae cooperetur libere, gratiam DEI et liberum arbitrium esse causam spiritualis liberationis.* Costerus.

54. Bellarminus itidem satis speciose scribit, *liberum arbitrium solis suis viribus non posse se ad gratiam praeparare, velle et facere* (ubi tamen aliquid ei relinquit. Si enim non solis suis viribus, ergo a gratia adjutum aliquid potest.) lib. 6, c. 13. *negat liberum arbitrium ex se ullam potentiam saltem proximam ad actus pietatis habere, sed eam a DEO accipere per gratiam praevenientem,* (ubi tamen remotam potentiam ei videtur relinquere); ibidem diserte scribit: *Sicut lapis ex se non habet, ut cooperetur, si forte convertatur in carnem, ita etiam libe* Bellarminus.

rum arbitrium ex se non habet, ut cooperetur ad suam ipsius conversionem, potest tamen a Deo recipere potestatem operandi per gratiam praevenientem, quod non potest lapis; sed quod Augustinus de Pelagianis olim dicebat: *sine scrupulo haec acciperen-*
V. 125 *tur, si non ab illis, quorum sensus notus est, dicerentur*, id etiam hoc loco pronuntiare possumus; quomodo enim sincere hoc doctrinae coelestis caput Bellarminus tractare potest, cum alibi disputet, corruptionem naturae ex sola doni supernaturalis ob peccatum amissione profluxisse, cum merita operum humanorum defendat, cum dispositiones ad justificationem stabiliat, cum pugnam carnis et spiritus in homine ex puris naturalibus remoto justitiae originalis freno ortam esse pugnet, inde adeo diserte scribit lib. 6. c. 15. *esse adhuc in homine ante omnem gratiam liberum arbitrium non solum ad opera naturalia et moralia, sed etiam opera pietatis et supernaturalia.* Id postea sic explicat, *quod in homine ante gratiam sit potentia remota et imperfecta ad opera pietatis facienda.* Sed verba ista de remota potentia laborant ambiguitate quadam, quae necessaria explicatione indiget. Si enim per remotam potentiam intelligitur capacitas passiva atque aptitudo illa, qua homo, cujus voluntas praedita est naturalibus ἐνεργείαις volendi ac nolendi, per gratiam possit converti et capax sit justificationis, (qualis potentia sive capacitas non est in stipite ἀλόγῳ ac daemonibus in malo obstinatis) concedimus talem remotam potentiam ad conversionem in homine superesse. Si vero nomine remotae potentiae intelligitur activa quaedam facultas, qua ex se et suis viribus voluntas hominis gratiam expetere vel ad obviantem ac praevenientem gratiam se applicare, eique assentiendo cooperari possit, quae potentia ante gratiam quidem sit et dicatur remota, ob praevenientem autem, moventem, excitantem et adjuvantem gratiam in actum prodeat ac propinqua sit, licet imperfecta; tum negamus talem remotam potentiam in homine superesse. Ceterum quod posteriore sensu Bellarminus remotae potentiae terminum accipiat, ex eo patet, quod scribit: *Arbitrium liberum est, sed ejus libertas est quasi ligata et impedita, solvitur autem et expeditur, cum potentia proxima ad operandum per Dei gratiam ei confertur. Simile aliquid experimur in potentia videndi. Nam absente specie sensibili habet homo potentiam et libertatem videndi; tamen potentia remota est et libertas ligata, donec accepta specie potentia perficiatur et in actum prodire possit.* At si haec similitudo locum habere debet, per potentiam remotam ad opera pietatis in libero hominis arbitrio intelligenda est utique potentia activa, quae per se et naturaliter ei insit ac nullo alio nisi objecti applicatione indigeat.

Erasmi modiculum.
55. Ad hanc classem referendi etiam sunt Erasmus in diatribe cum suo modiculo, qui aliquid quantumvis infirmum ac languidum homini inesse contendit, quo se ad gratiam praeparare et applicare possit; et Synergistae nostri temporis, qui Augustanae confessionis ecclesias non mediocriter turba- V. 126
runt, statuentes, referente Formula Concord. art. 2. negat. 4, *quod homo non renatus ratione liberi arbitrii infirmior quidem sit, quam ut conversionis suae initium facere atque propriis viribus sese ad Deum convertere et legi Dei toto corde parere valeat, sed tamen si Spiritus s. praedicatione verbi Dei fundamenta conversionis jecerit suamque gratiam in verbo praedicato homini obtulerit, tum hominis voluntatem propriis et naturalibus suis viribus nonnihil, licet id perexiguum, infirmum atque languidum admodum sit, ad illam conversionem conferre, eam adjuvare atque ad eam absolvendam cooperari possit.* Quod ergo statuuntur tres causae conversionis, Spiritus sanctus, verbum Dei et voluntas humana, cum difficulter ita explicari possit, ne Synergismo fomenta praebeat, ut ὑποτυπώσει ὑγιαινόντων λόγων minus conveniens repudiandum. Theodorus Beza lib. 1. quaest. et respons. fol. 621. dicit, *homines primae gratiae συνεργεῖν*, alibi tamen contrarium scribit.

CAPUT VI.

REFUTATIO ERRORUM BELLARMINI DE LIBERO ARBITRIO.

SECTIO I.

DE DISTINCTIONE INTER AUXILIUM SUFFICIENS ET EFFICAX.

Bellarm. distinctio inter auxilium sufficiens et efficax.
56. Sed praetermissis reliquis ad Bellarminum redeamus, de cujus sententia ut apertius nobis constet, observandum, quod inter reliquas gratiae partitiones lib. 1. de grat. et lib. arb. c. 2. quinto loco recenset eam, *quae est inter gratiam seu auxilium sufficiens atque auxilium efficax; illud vocat, quo Deus ita hominem vocat, excitat et juvare dirigendo, protegendo, cooperando paratus est, ut revera possit ille sic excitatus et vocatus velle credere, velle converti, velle bonum aliquod facere, tamen reipsa non velit credere aut converti aut bonum aliquod facere. Hoc vero vocat, quo Deus ita hominem vocat et excitat et juvare dirigendo, protegendo, cooperando paratus est, ut infallibiliter reipsa velit ille, qui sic excitatur et vocatur, et reipsa credat, convertatur, bonum faciat, quam distinctionem probat sequenti* c. 11. Respondemus: Concedimus sane Spiritui s. conversionis opus aggredienti multos resistere, consilium Dei adversus se ipsos spernere et se ipsos vita aeterna indignos judicare, atque hac ratione sua culpa gratiam conversionis a se repellere, sed propterea ipsam gratiam

in sufficientem et efficacem dividendam esse negamus, siquidem una eademque Dei gratia est, quae in credentibus operatur, et quae ab incredulis repellitur. Capit. 12. disputat, *unde sumatur efficacia gratiae, ubi primo loco repudiat eorum opinionem, qui gratiam efficacem constituunt in assensu et cooperatione humana, ita ut ab eventu gratia dicatur efficax, quia videlicet sortitur effectum, et ideo sortitur effectum, quia voluntas humana cooperatur, per quam opinionem* dicit *destrui gratiae efficaciam et simul praedestinationem. Deinde repudiat etiam illorum opinionem, qui docent, gratiam efficacem esse actionem Dei physicam, quae determinat voluntatem ad volendum et eligendum bonum, quod illi fuerat per gratiam excitantem inspiratum, per quam opinionem* dicit *destrui gratiam sufficientem et liberum arbitrium; ipse vero eam opinionem amplectitur, quod gratia efficax consistat in illustratione ac inspiratione interna.*

Unde sit efficacia gratiae.

V. 127.

57. Respondemus: Cum de ipso, ut ita loquar, puncto conversionis hic agatur, ideo caute navigandum, ne vel ad Scyllam Pelagianam vel ad Charybdin absoluti decreti deferamur. Sic ergo procedimus. Primo omnium cavenda sunt extrema, quae Spiritus s. in hoc negotio cavere in Scripturis monet; neque enim efficacia gratiae ad conversionem tribuenda est cooperationi voluntatis humanae, neque tribuenda est absoluto Dei certos quosdam homines eligentis decreto, sed incedendum via media: Quod multi convertuntur et salvantur, agnoscendum est solius divinae gratiae opus esse, quod multi non convertuntur et pereunt, agnoscendum est ipsorum pereuntium culpa unice fieri, in qua pia simplicitate mens Christiana secure acquiescere posset, si vel maxime omnibus difficultatibus, praesertim iis, quae circa individua hominum convertendorum moventur, sese non possit expedire. Sed quia Bellarminus nobis tribuit, quod efficaciam gratiae tribuamus physicae cuidam Dei actioni, qua determinet voluntatem ad volendum et eligendum bonum, quod illi fuerat per gratiam excitantem inspiratum, ideo sententia nostra perspicue exponenda. In conversionis opere Spiritus s. tale invenit subjectum, quod nullas habet ad cooperandum vires, siquidem mens hominis nondum renati est caeca, voluntas aversa ac Deo inimica; hoc igitur omni genere medendi atque auxiliandi gratia agit, ut eum quem convertere vult ex nolente volentem, ex inimico obedientem faciat; illud vero non fit eo modo, ac si homine nec cogitante, nec cognoscente, vel etiam invito hominem convertat, ipsique vim afferat, sed Spiritus s. donat novas vires, quibus assentiri vocationi possit, nec tamen uno statim momento homini adimit veterem illam libertatem, vel potius miseram servitutem, qua oblatam gratiam repudiare possit; absit igitur ut dicamus, Spiritus s. gratiam in conversione physica quadam actione determinare voluntatem ad volendum et eligendum bonum (hac enim ratione converterentur omnes immutabili necessitate, quos Spiritus s. converti vult), siquidem patitur Spiritus s. sibi resisti, permittit opus suum impediri, videt multos se ipsos conversione et conversionis fructu, ipsa scilicet vita aeterna indignos judicare. Voluntas igitur in omnibus hominibus est post lapsum; ut autem voluntas velit bonum spirituale, id non habet ex suis viribus, siquidem peccato servit, renovat igitur Spiritus s. in conversione hominis voluntatem ac donat ei novas vires, quibus instructa bonum actu velle et eligere possit, interim ex adhaerente naturae pravitate potest homo nolle bonum, potest Spiritus s. opus impedire, ac proinde neutiquam dicendum, quod in conversione physica quadam actione gratia determinet voluntatem ad volendum ac eligendum bonum.

SECTIO II.

DE DISTINCTIONE INTER GRATIAM OPERANTEM ET COOPERANTEM.

58. Haec omnia erunt clariora ex sequentibus, siquidem c. 14. sequenti declarat Bellarminus partitionem inter *gratiam operantem et cooperantem;* (illam dicit, *quae efficit in homine primum actum deliberatae voluntatis, qualis est conversio sive ab infidelitate ad fidem, sive a peccatis caeteris ad agendam poenitentiam;* hanc vocat, *quae efficit consequentes actus voluntatis, quales sunt velle orare, velle bona opera facere*) praesertim illud Augustini de grat. et lib. arb. c. 17: *Ut velimus, sine nobis operatur, cum autem volumus et sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur;* id Bellarminus sic explicat, *Deum secundum quoddam genus causae esse moventem respectu ipsius velle deliberati, et voluntatem non esse moventem, sed tantum motam, cum tamen secundum aliud genus causae ad eundem actum volendi producendum concurrat Deus ut movens, voluntas autem tum ut mota, tum ut movens, et ideo utrumque verum esse, Deum operari ipsum velle deliberatum sine nobis, et non operari sine nobis. Nam si consideremus causam efficientem et physicam illius actus, ea non solum est Deus per auxilium speciale, sed etiam voluntas per liberum arbitrium, et hoc modo illud velle esse Dei et nostrum, et nos in eo Deo cooperari, et Deum illud non sine nobis operari. At si consideremus causam illius ejusdem actus moralem, id est, causam moventem suadendo, hortando, consulendo, ea est solus Deus; voluntas autem secundum hoc genus causae non est movens, sed tantum mota, non enim ipsa se voluntas impellit suadendo et hortando, ut velit quod non vult, sed Deus per inspirationes suas intus animae loquens ei suadet et persuadet, ut velit.* Haec Bellarminus, qui postea adhibet hanc ad rem talem similitudinem: *Sit aliquis, cui expe-*

Distinctio inter gratiam operantem et cooperantem.

V. 128—136 [sic].

diat navigare in orientem, et tamen nolit id facere, si quis ad eum accedat, eique multis allatis rationibus tandem persuadet, et de nolente volentem faciat. Deinde ubi eum velle navigare cognoverit, procuret illi navem, pecunias et caetera, quae navigantibus sunt necessaria, is profecto vere dicere poterit, ego solus feci, ut iste navigationem suscipere vellet, nam etiamsi alter rationes allatas audierit atque apud se expenderit et tandem assensum praebuerit, non tamen ipse sibi persuasit neque se ipse movit, sed amicus ejus istum movit, eique persuasit. Caeterum quod attinet ad executionem voluntatis non potest amicus ille dicere, Ego solus detuli istum in orientem, sed solum, ego illum adjuvi et cooperatus sum, ut commode navigaret, siquidem ille, qui ab amico persuasus navigare decrevit, sine dubio non sibi ipsi defuit, sed cogitare coepit, quid facto opus esset, et conatum atque industriam adhibere ad futuram navigationem.

59. Respondemus: Insidiose haec dicuntur ac disputantur, certum quidem est nos velle cum volumus, sed illud velle non oritur ex residuis naturalibus liberi arbitrii viribus, verum ex novis illis a Spiritu s. donatis qualitatibus. Similitudo illa, quam Bellarminus adhibet, manifeste ostendit, quod statuat in conversione voluntatem hominis suadendo, inspirando, excitando moveri, ut naturales suas vires exserat atque ita gratiae in primo statim conversionis actu cooperetur, siquidem navigator ille, quem in orientem Bellarminus ablegat, ita persuadetur ac de nolente fit volens, ut internum hujus voluntatis atque operis principium habeat, quod externis hortationibus ac persuasionibus excitetur ac in actum producatur, sed homo nondum renatus tali interno principio ad τὸ velle bonum non est instructus, siquidem est in peccato mortuus, proinde ut in corpore mortuo nihil quicquam virium ac potentiae superest, quo sibi ipsi corporalem vitam restituere vel ad sui resuscitationem cooperari possit; ita homo ratione peccati spiritualiter mortuus se ipsum in vitam revocandi vel spirituali sui resuscitationi cooperandi nullam facultatem aut *δύναμιν ἐνεργητικὴν* habet. Repetendum hoc loco ex doctrina de peccato originali superius exposita, quod per lapsum protoplastων non solum amissa sit originalis justitia, sed etiam natura misere corrupta, ideoque peccatum originale consistit non solum in *στερήσει* integritatis, sed etiam *θέσει* corruptionis, quae corruptio inest per modum vitiosi habitus. Quemadmodum enim exteriores actus, ad quos prono impetu flagitiosi feruntur, testantur in ipsorum voluntate vitiosum habitum latere; ita peccatorum actualium copiosa seges ex corde enata testatur, per modum vitiosi cujusdam habitus corruptionem illam naturae inesse; est autem non acquisitus, sed innatus habitus, proinde per contrarios actus tollitur, quemadmodum acquisitus, sed ut generatione est contractus, ita per solam regenerationem ac renovationem Spiritus s. aboleri minuive potest. Ergo ut voluntas hominis in conversione velit bonum, non sufficit voluntatem suadendo, hortando ac consulendo moveri, sed requiritur, ut novis prius viribus ad bonum volendum et amplectendum donetur, siquidem in peccatis non solum dormit, sed etiam eisdem turpissime servit, ac eisdem ex se et suis viribus non potest non servire. Non suasione tantum, sed immutatione, V. 137. non sanatione tantum, sed renovatione, non exteriori pulsatione, sed interiori tractione voluntas indiget. Nemo nostrum negat, voluntatem hominis velle, voluntatem credere, ideoque non nisi volentibus nobis nos credere, sed Deus est, qui facit, ut velimus, facit autem non suadendo tantum, hortando ac consulendo voluntati, sed a servitute peccati eam liberando, efficaciter immutando, renovando, novis ad bonum viribus donando, quam esse Augustini genuinam sententiam patet ex dictis omnibus superius allatis: De grat. et lib. arb. c. 16: *Certum est nos velle et facere, cum volumus et facimus, sed ille operatur et velle et facere* (quomodo vero, num suadendo tantum ac hortando? attende sequentibus) *praebendo voluntati vires efficacissimas, de quo scriptum est: Deus operatur in nobis velle et facere.* lib. 1. contra duas epist. Pelag. ad Bonif. c. 19: *Christus non dicit duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus praecedere voluntatem, sed dicit traxerit; quis autem trahitur, si jam volebat? et tamen nemo venit nisi velit, trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines* (quod fieri non potest) *nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.* Libr. de praedest. sanct. c. 3: *errorem esse* dicit, *arbitrari, quod praedicato evangelio consentire nostrum sit proprium et ex nobis.* Ambros. lib. 1. de voc. gent. c. 9: *Licet inest homini nolle bonum, tamen nisi donatum non habet velle bonum.* Maxentius: *Nec cogitare nec velle spirituale possumus, nisi per infusionem et operationem intrinsecam Spiritus sancti.* Concilium Arausicanum can. 6: *Qui non confitetur divinitus in nobis fieri, ut credamus et velimus per infusionem et inspirationem Spiritus s., anathema sit.* Contra vero de naturae possibilitate pronuntiat Augustin. de nat. et grat. c. 53. quod *vulnerata, sauciata, vexata, perdita sit, ac vera confessione, non falsa defensione opus habeat.* Proinde nondum ex cassibus Pelagii extricat se ipsum Bellarminus, tribuens gratiae operanti, quod suadendo, hortando, consulendo voluntatem quidem moveat, relinquens interim hominis voluntati, quod concurrat libere consentiendo ac per liberum arbitrium actum illum conversionis active producendo, ut in hoc ipso capite loquitur, siquidem Pelagius ab orthodoxis vi veritatis coactus tandem itidem sic coepit loqui, *gratiam adjuvare bonum cujusque propositum, nec tamen reluctanti studium virtutis immittere.* August. lib. 4. contra duas epist. c. 6. *ex Dei potentia nec in malum nec in bonum invitum aliquem cogi, sed propria voluntate aut bonum facere aut malum, in bono vero opere a Dei gratia semper adjuvari, in malum diaboli suggestionibus incitari.* lib. 1. contra duas epist. c. 18.

An ad libertatem arbitrii requiratur libertas ab immutabilitate.

60. Pergit Bellarminus ac lib. 3. de grat. et lib. arb. c. 5. probare instituit, *requiri ad liberum arbitrium non solum libertatem a coactione, sed etiam libertatem a necessitate* (immutabilitate). Breviter respondemus, quia Scriptura homini etiam non renato tribuit aliquam libertatem faciendi opera legis externa, ideo in peccatis, quae pugnant cum externa disciplina, non est necessitas immutabilis. Si vero de interiori immunditie et corruptione naturae nobiscum nascente quaeritur, ibi fatemur, necessitate immutubilitatis voluntatem hominis non renati peccati servam ac captivam esse, neque enim potestatem habet pravitatem illam ex se suisque viribus deponendi, etc. Ergo si Bellarminus ad essentialia liberi arbitrii requiri putat libertatem a necessitate sive immutabilitate, ut pro arbitrio possit homo bonum velle et nolle, dicimus tale liberum arbitrium penitus amissum esse, si vero concedit, libertatem a coactione sufficere ad essentialia liberi arbitrii, quod scilicet homo necessario velit malum, et non possit nisi velle malum, idem tamen velit sponte, non coacte, concedimus talem arbitrii libertatem in homine post lapsum superstitem adhuc esse. Atque ex eo intelligitur, cur veteres, qui contra Pelagium scripserunt, quandoque dicant, liberum voluntatis arbitrium deperditum et amissum esse, quandoque vero dicunt non deperditum, sed tantum depravatum esse: in
V. 138. prioribus dictis loquuntur de libertate arbitrii juxta priorem significationem, in posterioribus autem loquuntur de libertate arbitrii juxta posteriorem significationem. De tota autem hac Bellarmini disputatione, an scilicet ad libertatem arbitrii necessario requiratur libertas a necessitate sive immutabilitate, rectissime judicari potest ex dictis Augustini et Bernhardi, in quibus voluntatem hominis non renati ad peccatum dicunt liberam et tamen peccati servam, captivam ac amissam. Itemque liberum arbitrium sine gratia non valere nisi ad peccandum. *Nemo enim putet*, ait Bernhardus de grat. et lib. arb., *inde dictum liberum arbitrium, quod aequa inter bonum et malum potestate aut facultate versetur, alioqui nec Deus nec angeli sive boni vel mali liberi arbitrii esse dicerentur, sed ex eo potius liberum arbitrium dicitur, quod sive in bono sive in malo aeque liberam faciat voluntatem, cum nec bonus quispiam nec item malus dici debeat aut esse valeat nisi volens.*

61. Audiamus autem Bellarminum: 1. affert locum Eccles. 15: *Deus reliquit* etc. 2. quae ex concilio Tridentino et decretis recentiorum pontificum adducit, nullo apud nos loco habentur. 3. Patres libertati necessitatem opponentes intelligunt necessitatem coactionis, non autem immutabilitatis, quidam etiam definiunt liberum arbitrium in homine ante lapsum, quidam agunt de libertate in actionibus externis, quae omnino a nobis homini etiam post lapsum conceditur. 4. Rationes, quas affert, levioris sunt momenti. *Si ad liberum arbitrium sufficeret libertas a coactione, sequeretur etiam in pecoribus esse liberum arbitrium.* Respondemus: puerilis lusus Bellarmini ingenio indignus. Dicimus hominem non renatum necessario peccare et tamen libere, quia voluntas depravata sponte fertur ad malum absque coactione, quam turpis sophistica est concludere ex eo, quod et bruta libere agant, qui absque coactione sponte feruntur ad pabulum! Spontaneus motus in homine oritur ex voluntate seu appetitu rationali, spontaneus motus in brutis oritur ex instinctu naturali et appetitu sensitivo. Deinde: *sequetur in pueris, furiosis, somniantibus esse usum liberi arbitrii, quia agunt sponte.* Respondemus: eadem sophistica, spontaneus motus in pueris, furiosis, somniantibus oritur non ex usu rationalis, sed sensitivi appetitus. Tertio: *sequetur Deum per liberum arbitrium genuisse Filium, quia non coactus genuit.* Respondemus: Probat hoc nostram sententiam, Deus necessario (immutabiliter) genuit Filium et tamen libere, quia non coacte, utique ergo necessitas (immutabilitatis) et libertas non pugnant immediate. Quarto: *nulla remaneret quaestio de libero arbitrio.* Respondemus: imo vero superest, quia hoc ipsum quaeritur, an ea libertate homo post lapsum praeditus sit ad bonum et malum, qua instructus fuit ante lapsum. Denique: *pugnantia haec sunt dicere, quod liberum arbitrium sit solutum a coactione, non a necessitate, cum sit potestas electiva, quae non possit intelligi cum determinatione ad unum.* Respondemus: in ipso malorum genere datur electio, ut unum prae alio eligi possit, nec malum ut malum, sed sub specie boni ab homine appetitur, siquidem voluntas hominis peccati servituti addicta appetitus sensitivi dominio sese subjecit, quod ergo ille bonum judicat, illud eligit, ad id prono impetu fertur, interim ipsa voluntatis essentia manet nec desinit esse potestas electiva.

62. Cap. 6. respondet Bellarminus quibusdam dictis Augustini ac Bernhardi, quae probant hominis voluntatem peccato in deterius mutatam sibi ipsi necessitatem facere, ut necessitas, cum sit voluntaria, excusare non valeat voluntatem, nec voluntas excludere necessitatem, cum sit necessitas quodammodo voluntaria, etc. Ita vero respondet, ut nostram potius confirmet quam evertat sententiam. Concedit *felicitatem necessario appeti et tamen libere, quia quoad exercitium et specificationem in aliis rebus eligendis voluntas est libera,* eodem modo et nos dicimus hominem necessario peccare et tamen libere, quia quoad specificationem in ipsis peccatorum generibus volun- V. 139.
tas est libera. Concedit *per necessitatem non peccandi in vita aeterna non tolli liberum arbitrium, sed potius confirmari,* eodem modo et nos dicimus, per miseram peccandi servitutem, cui in hac vita homo ante conversionem est subjectus, non tolli ipsam voluntatis essentiam, quo minus libere peccet. Concedit *necessitatem conditionatam non repugnare libertati, sed absolutam, exemplum conditionatae necessitatis ponit, quod mala arbor non possit ferre bonos fructus, et tamen possit fieri bona.* Idem et nos dicimus, conditionatam, non autem absolutam esse illam peccandi necessitatem in homine non renato, potest enim converti, renovari ac immutari,

ut instar arboris primum malae, postea vero ad bonitatem reductae ferat bonos fructus. Denique lib. 3. c. 16. disputat, *Deum esse liberi arbitrii, qui tamen nihil agit nisi bonum.* Expendantur autem quae Pelagius disputat apud August. de nat. et grat. c. 46. quod voluntatis arbitrio ac deliberatione privetur quicquid naturali necessitate constringitur, et apparebit, ex qua schola haec Bellarmini disputatio prodierit.

SECTIO III.

EXAMEN LIBRI 3. BELLARMINI DE NATURA LIBERI ARBITRII.

Pugna Scholasticorum de libero arbitrio.

61. De natura liberi arbitrii incipit Bellarminus agere libr. 3. et varias Scholasticorum pugnas hac de re discutit. 1. Lomb. vult nomen liberi arbitrii significare *conjunctionem duorum actuum*, i. e. judicii rationis et electionis voluntatis. Durandus putat dici *proprie de actu rationis*, i. e. judicio, Thomas per liberum arbitrium *solius voluntatis actum* significat. 2. Hervaeus docet liberum arbitrium *proprie in actu consistere, non in habitu vel potentia.* Bonaventura constituit *in habitu quodam naturali consurgente ex ratione et voluntate:* Albertus docet, *liberum arbitrium esse potentiam per habitum perfectam superadditum, non tamen acquisitum, sed naturalem*, quidam docent, liberum arbitrium *esse potentiam quandam universalem continentem sub se potentias omnes animae intelligentis et sentientis.* Alexandri Alens. sententia est, liberum arbitrium *esse potentiam particularem distinctam a ratione et voluntate.* Durandus docet, liberum arbitrium *esse ipsas potentias rationis et voluntatis, sed magis rationis.* Scotus statuit, liberum arbitrium *esse potentiam unam et particularem, ipsam videlicet voluntatem, eamque ita esse liberam, ut non pendeat nec determinetur a judicio practico rationis.* Thomas et ejus asseclae docent, liberum arbitrium esse *quidem potentiam unam et particularem, ipsam videlicet voluntatem, sed radicem libertatis esse in ratione.* 3. Gotfridus disputat, *voluntatem humanam esse potentiam passivam.* Biel vero vult, arbitrium *partim esse passivum, partim activum*, Thomas et alii quidam *liberum arbitrium simpliciter faciunt activum.* 4. Occamus disputat, *objectum liberi arbitrii esse bonum et malum*, reliqui vero omnes *tantum bonum esse proprium et primarium voluntatis objectum* statuunt. 5. Lombardus, Occamus et Biel statuunt, *liberum arbitrium esse tantum futurorum*, Ariminensis censet *inchoationem actionis etiam in praesenti liberam esse posse, tamen continuationem aliquam omnino esse necessariam.* Scotus et alii statuunt, *non solum futuras, sed etiam praesentes actiones, nec tantum earum inchoationem sed etiam continuationem in liberi arbitrii potestate esse.* 6. Scotus docet, *primum actum voluntatis seu amorem finis non solum elici a voluntate, sed esse simpliciter liberum.* Capreolus disputat, *primum amorem finis esse quandam complacentiam actualem ergo bonum in universum, et voluntatem non nisi passive ad eam concurrere.* Ferrariensis statuit, *actum illum fieri ab ipsa voluntate efficienter, ita tamen ut sequatur ex inclinatione naturali.* Ex his Scholasticorum pugnis manifeste apparet, quid certi ab illis sperandum sit, qui relicto Scripturae tramite ad vias V. 140.
philosophorum abeunt.

An D. Lutherus Deum privet arbitrii libertate.

64. Cap. 16. probat Bellarminus, *Deum esse liberi arbitrii*, in quo nos habet sibi, imo veritati ὁμοψήφους; illud vero iniquum est, quod cap. praecedente *D. Lutherum accenset illis, qui libertate arbitrii Deum spoliant, quia in assertione articulorum art. 36. disputat, omnia ex necessitate absoluta evenire*, sed tale quid eo loci non occurrit, ac si vel maxime occurreret, nondum libertate arbitrii per id Deus privaretur, siquidem intelligitur necessitas in creaturis, non autem in ipso creatore. Rem ipsam quod attinet, fatemur D. Lutherum in libro de servo arbitrio scribere, quod omnia fiant ex absoluta necessitate, sed mentem suam clarissime exposuit in 26. c. Geneseos. *Resonabant et templa et scholae* (ait Dn. Chemnicius part. 1. locorum p. 425.) *immensis liberi arbitrii encomiis, oppositae ergo sunt istae disputationes, ne in externis quidem arbitrium omnino esse liberum, nec potuit in principio tam distincte et commode haec intricata disputatio declarari.* Erasmus Scholasticos secutus ex philosophia potius et judicio rationis, quam ex Scriptura vires liberi arbitrii defendebat, ut ergo suo eum Lutherus jugularet gladio, ex ipsis illis Erasmi principiis, rationis scilicet judicio contra adversarium pugnabat εἰς τοὐναντίον ἀποκλίνων omnia absoluta necessitate fieri contendens, nimirum *ut naturalis ratio, superba illa domina verbo sese subjicere discat*, ut loquitur tom. 3. Latin. Jenens. f. 207; alibi interim diserte scribit et pugnat, Deum non esse peccati causam, tantum abest, ut liberi arbitrii Deum esse neget.

SECTIO IV.

EXAMEN LIBRI 4. BELLARMINI DE VIRIBUS LIBERI ARBITRII IN NATURALIBUS.

Quae vires hominis in notitia Dei naturali.

65. Libr. 4. de viribus liberi arbitrii agere incipit et probat *naturae viribus cognosci posse, Deum esse et esse unum, et id genus alia*, c. 2. *requiri et sufficere auxilium generale ad actiones naturales et civiles*, c. 4: quod libenter concedimus, est enim aliqua naturalis Dei notitia, sed languida et imperfecta, novit ratio aliquam particulam legis divinae, potest ex κοιναῖς ἐννοίαις et libro naturae discere,

quod sit Deus, quod justus sit, quod sapiens, etc. Praeditus insuper est homo etiam post lapsum aliqua libertate in naturalibus et civilibus actionibus, potest externa delicta quodammodo cavere et externam locomotivam utcunque regere, sed libertas illa est imperfecta, ut patebit ex impedimentis hujus libertatis, quae exponentur postea suo loco. Quae de contradictionibus Lutheri et Philippi c. 5. scribit, *quasi omnem omnino etiam in externis et civilibus actionibus voluntatis humanae libertatem tollant*, hac de re videatur Dn. Chemnicius part. 1. loc. cap. de causa peccati sub finem, non erubescit D. Lutherus cum Augustino fateri, se proficienter scripsisse, ideo etiam in posterioribus editionibus operum Lutheri verba illa assert. art. 36. quod juxta Wiclefi doctrinam omnia absoluta necessitate eveniant, sunt omissa, uti etiam in Locis posterioribus Philippus mentem suam diserte exposuit, sententia dictorum sumenda est ex occasione dicentis. Scribunt autem contra immodicos liberi arbitrii encomiastas, idem igitur ipsis contigit, quod primitivae ecclesiae patribus, qui cum Manichaeorum errores sibi refutandos proponerent, nimium progressi indulgentius et incommodius de viribus liberi arbitrii sunt locuti.

An dicendum sit servum hominis arbitrium. V. 141.

66. C. 6. disputat Bellarminus, *non posse ab insigni temeritate defendi modum loquendi, quo nomen liberi arbitrii in nomen servi mutetur. 1. Cum inauditum sit servi arbitrii nomen in ecclesia per totos mille quingentos annos.* Respondemus: adeone in ecclesia Christi peregrinum est illud Christi Joh. 8, v. 34: *Qui facit peccatum, peccati servus est*, et illud apostoli, Rom. 6, v. 20: *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiae.* August. lib. 2. contra Julian.: *Hic hominem vultis perfici* (vos Pelagiani), *atque utinam Dei dono et non libero vel potius servo arbitrio.* lib. 3. contra duas epist. Pelag. c. 8: *Liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccatum valet.* in Ench. c. 30: *Qualis, quaeso, potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? liberaliter enim servit, qui sui domini voluntatem facit, ac per hoc ad peccatum liber est, qui peccati servus est.* serm. 3. de verb. apost.: *Agis quidem Deo non adjuvante libera voluntate, sed male, ad hoc idonea est voluntas tua, quae vocatur libera, et male agendo fit damnabilis ancilla. Cum dico tibi sine adjutorio Dei liberam voluntatem, quanquam illa non est libera, a quo quis enim devictus est, huic et servus addictus est, et omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.* Bernhard. serm. 8. sup. Cant.: *Anima sub hac voluntaria et male libera necessitate et ancilla tenetur et libera, ancilla propter necessitatem, libera propter voluntatem. 2. Omnes scriptores ecclesiastici disertis verbis liberum arbitrium docuerunt.* Respondemus: neque nos tollimus liberum arbitrium, si intelligatur vel interior atque essentialis voluntatis in agendo libertas, vel aliqua in actionibus externis et civilibus libertas, vel ipsa in peccati servitute libertas a coactione. *3. Si nomen arbitrii bonum, retinendum erit; sin malum, cur in ecclesia tamdiu toleratum?* Respondemus: retinemus, sed cum debita et conveniente explicatione, nec absolutam Manichaeorum necessitatem, nec Pelagianam arbitrii libertatem approbantes.

SECTIO V.

EXAMEN LIBRI 5. BELLARMINI DE VIRIBUS LIBERI ARBITRII IN MORALIBUS.

De viribus liberi arbitrii in moralibus.

67. Libro 5. disputat Bellarminus de libertate arbitrii in moralibus, ubi tractat primis duodecim capitibus quaestionem *de operibus infidelium moraliter bonis, sintne ea peccata, cum fiant sine fide*, qua de re suus erit postea dicendi locus. A capite 13. usque ad finem libri agit *de libero arbitrio in moralibus* ac probare conatur *hominem in statu naturae corruptae libero arbitrio praeditum esse quoad moralia*, sed ipsum quaestionis et controversiae statum nondum satis distincte ac dilucide proponit, concedimus enim hominem non renatum habere aliquam libertatem faciendi opera legis externa, ac proinde in peccatis, quae pugnant cum externa disciplina, non esse necessitatem vel coactionis, vel immutabilitatis, interim addimus libertatis hujus varia esse impedimenta tum interna tum externa, quae suo loco enumerabuntur, aliquam igitur ac limitatam arbitrii libertatem in operibus moraliter bonis hominibus nondum renatis concedimus, sed quia illa ipsa opera moraliter bona coram Deo sunt peccata tum finalis tum efficientis et formalis causae ratione, maxime vero quia voluntas hominis nondum renati suis viribus non potest exuere pravitatem nobiscum nascentem, ideo dicimus eam peccati servam atque captivam esse. Hic scopus atque haec diserta sententiae nostrae explicatio si observetur, facile apparebit, quid probandum, quid improbandum sit in tota illa satis prolixa Bellarmini tractatione de libertate arbitrii in moralibus. Miscet enim Bellarminus distinctas quaestiones et per bonum morale intelligit non externa legis opera, virtutes ethicas, justitiam civilem, sed etiam vere bonum morale, quod coram Deo et in judicio Dei sit bonum, cum tamen vel ex Vega lib. 2. de imbecillit. Naturae c. 12. potuisset discere distinctas esse has quaestiones et a nobis etiam distingui. *Concedunt quidem* (ait Vega) *Protestantes libertatem ad justitiam philosophicam atque civilem, sed non ad spiritualem atque divinam, hoc est, quoad opera legis externa, non interna;* ubi etiam V. 142. viam se invenisse arbitratur, qua cum Pontificiis Protestantes in hac quaestione conciliari queant. Audiamus vero Bellarmini argumenta.

Rationes pro libero arbitrio: 1. Aut peccatum necessa-

68. Primo. *Aut peccatum necessarium aut voluntarium, si est necessarium, igitur non erit peccatum, si voluntarium, igitur vitari potest, et proinde homo liberi arbitrii erit in moralibus.*

rium aut voluntarium. Respondemus: 1. hoc ipso argumento Coelestius Pelagianus olim usus est, ut patet ex Augustino in libr. de perfect. justitiae contra Coelestium, statim in principio, ubi Coelestius sic ratiocinatur: *Quod vitari non potest, peccatum non est. Nulla enim ratio vel justitia patitur saltem dici peccatum, quod vitari nullo modo potest.* Augustinus autem respondet, *vitari posse peccatum, si natura vitiata sanetur gratia Dei per Jesum Christum.* In tantum enim sana non est, in quantum id quod faciendum est, aut caecitate non videt, aut infirmitate non implet. 2. Fatemur in delictis externis politicis libertatem quandam homini relictam esse. Si vero in genere dicatur nullum esse peccatum nisi voluntarium, hoc est, nisi fiat deliberata voluntate ac ab homine caveri possit, negabitur omnino peccatum originis. 3. Homo propria culpa incidit in miseram illam peccandi servitutem, quam in posteros propagavit. Bernhardus serm. 81. in Cant.: *voluntas hominis in deterius mutata sibi ipsa necessitatem fecit, ut necessitas voluntaria cum sit, excusare non valeat voluntatem.* 4. Pelagianorum erat olim hoc axioma, nullum esse peccatum nisi voluntarium, hoc est, nisi κατὰ προαίρεσιν, consulto et actione propriae voluntatis committatur. Augustinus haeres. 88. lib. 3. contra Julian. c. 1. et 5. libr. 2. de bono persever. c. 5. et 11. libr. 4. ad Bonifac. c. 7. libr. 2. de grat. et peccat. orig. c. 13. libr. 1. retract. c. 13. et 15. Regerit Bellarminus, *quaestionem inter Augustinum et Pelagianos hanc fuisse, an possit homo vivere sine omni peccato etiam veniali, non autem, an singula peccata vitari possint?* Atqui nullum est peccatum sua natura veniale, sufficit ergo ad peccatum, corruptionem illam adhaerere homini necessario antequam renascatur, si vel maxime externa quaedam delicta cavere possit. 5. Proinde si voluntarii nomen accipiatur tantum pro libertate a necessitate coactionis, dicimus ipsam illam naturae corruptionem, ipsa interiora peccata esse voluntaria, quia libere, non coacte homo servit peccato, si vero voluntarii nomen accipitur pro libertate a necessitate immutabilitatis, negamus ad peccati rationem voluntarium pertinere, siquidem licet homo ante sui regenerationem peccati jugo necessitate immutabilitatis sit subjectus, tamen vere et proprie peccat, quia in miseram illam peccati foveam ac servitutem primus humani generis parens libere se ipsum atque omnes posteros praecipitavit. Regerit Bellarminus, *peccatum primi hominis, ex quo naturae corruptio orta est, juxta Calvini sententiam, fuisse Dei decreto et inevitabili voluntate commissum.* Respondemus: Ecclesiae nostrae hac in parte a Calvino sese sejungunt et publice fatentur, Adamum sponte ac propria culpa sese miserae isti peccandi servituti subjecisse. Regerit et hoc, *quod peccatum originis et corruptio illa naturae sit dimissa in baptismo, ut non imputetur, igitur nec poterunt imputari peccata ex illa corruptione orta, nisi accedat libera voluntas.* Respondemus: τὸ non imputari ad reatum damnationis non tollit ipsum formale peccati, quasi desinat esse in se et ex se peccatum, qui non imputetur, siquidem posset omnino imputari, si Deus in judicium suum nobiscum intraret. 6. Diabolus necessario semper male agit, et tamen vere peccat, quomodo igitur omne peccatum voluntarium? Regerit Bellarminus, *in genere verum esse, quod daemones necessario male agant, nec possint nisi male agere, sed falsum id esse in particulari, omnia mala, quae faciunt, illos necessario facere, cum possint multa non facere, quae faciunt, et ideo non necessitate, sed voluntate peccata committant.* Respondemus: eodem modo et nos dicimus, homines non renatos non posse nisi male agere, nec tamen omnia mala, quae faciunt, illos necessario facere, cum respectu externorum delictorum possint multa non facere, quae faciunt; V. 143. sufficit nobis, quod conceditur, daemones non posse non male agere, et tamen vere peccare, ex quo evidenter patet, necessitatem immutabilitatis non excludere veram peccati rationem, quippe cum sit necessitas propria culpa attracta. 7. Quamvis homo non renatus necessario peccet atque ex se et suis viribus aliter non possit, tamen non est haec absoluta quaedam necesssitas, quia potest per Dei gratiam converti et sic bonum agere, neque enim cum Manichaeis dicimus, quosdam esse ἀλύτους et χοϊκούς, qui non possint converti ordinaria Spiritus s. dispensatione: ac proinde magna differentia est inter peccandi servitutem, cui subjecti sunt mali angeli, atque inter illam peccandi servitutem, cui homines mancipati sunt, voluntas diaboli non est capax gratiae ad conversionem, sed voluntas hominis per Spiritum sanctum converti potest; non diabolis, sed hominibus proposuit Deus media, per quae in ipsorum cordibus vult esse efficax. Bellarminus hanc passivam capacitatem commutat in activam, dum insidiose scribit, *hominem peccatorem, dum in eo regnat cupiditas, non posse vitare peccatum, absolute autem posse, quia potest cum Dei adjutorio exuere cupiditatem et induere caritatem,* sub verbo enim adjuvandi (a quo tamen in sano sensu accepto non abhorremus) etiam olim Pelagius venenum suum occultabat, sic enim dicit apud Augustinum libr. 1. contra duas epistolas Pelagian. 19. *in omni opere bono hominem semper adjuvari a gratia*, et libr. 4. c. 6: *gratiam adjuvare bonum cujusque propositum*, cui respondet Augustinus libr. 3. c. 4: *Tempore Veteris Testamenti in iis, qui secundum promissionem filii erant, Spiritum sanctum non solum adjutorem (quod Pelagiani dogmati suo sufficere existimant), verum etiam largitorem fuisse dicimus virtutis, quod isti negant.* libr. 2. c. 9: *hominum propositum adjuvat quidem subsequens gratia, sed nec ipsum esset, nisi praecederet gratia;* in Enchirid. c. 32: *Totum Deo detur, qui voluntatem hominis bonam praeparat adjuvandam et adjuvat praeparatam, praecedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia, quae autem non praecedit ipsa, in eis est et ipsa, nolentem praevenit, ut velit, volentem subsequitur, ne frustra velit.*

Vox adjuvandi quomodo in hac materia intelligenda sit.

Ex quibus manifestum est gratiam adjuvantem ab Augustino tunc primum poni, quando sine liberi arbitrii in homine nondum renato cooperatione gratia praeveniens operata est velle, tunc enim adjuvat, ne frustra velimus. 8. peccatum a Johanne definitur, quod sit ἀνομία, 1. epistola 3, v. 4. nulla habita voluntarii ratione. Regerit Bellarminus, *in definitione peccati virtute contineri liberum arbitrium, cum lex non detur nisi iis, qui liberum gerunt arbitrium, frustra enim datur regula ei, qui non habet in potestate actiones suas, alioqui detur causa, cur bestiis nullae praescribantur leges?* Respondemus: lex data fuit homini et cordi ipsius inscripta in statu integritatis, cum adhuc integras ad perfectam obedientiam vires obtineret, quod si propria culpa viribus illis semet ipsum homo privavit, nunquid propterea de jure exigendi ac reposcendi quod dederat, Deo quippiam decedit? minime vero. Ac si lex non pertinet ad eos, nisi qui per liberum arbitrium cavere possunt peccata, una litura delebitur peccatum originis in infantibus, ubi enim nulla lex, ibi nec ἀνομία, ubi non est ἀνομία, ibi nec peccatum.

Ubi non est arbitrii libertas, ibi nec praemio nec poenae datur locus.

69. Secundo. *Si non est in homine libertas arbitrii, nullus erit praemio aut poenae locus, id autem communi totius humani generis sensu ac consensu refellitur.* Respondemus: 1. Si de praemiis ac poenis in foro politico agitur, concedimus hominem nondum renatum habere adhuc libertatem dirigendi actiones externas et regendi externam locomotivam, proinde recte fit, quod bene agentibus praemia, sed male agentibus poenae decernuntur, quod qui negare vellet, ipsum politiarum fundamentum subverteret, siquidem praemia ac poenae conservant respublicas. 2. Si agatur de praemiis ac poenis in foro judicii divini, distincte respondendum. Praemia enim aut sunt hujus, aut futurae vitae, perinde ut et poenae. Praemiis hujus vitae sive temporalibus remuneratur DEUS externam hominum etiam non renatorum disciplinam, et delicta atrocia regulariter punit atrocibus poenis, ut hac ratione conserventur politiae, Exod 1, v. 21: *quia timuerunt Aegyptiacae obstetrices DEUM, aedificavit illis domos;* praemiis aeternis non remuneratur DEUS nisi renatorum opera, idque non ex merito condigni, sed ex gratuita misericordia, nil Deus in nobis praeter sua dona coronat; qua ratione pertinet quaestio ad renatos, quos esse τοῦ θεοῦ συνέργους in bonis operibus non diffitemur, siquidem liberata a peccati jugo voluntas novis a Spiritu sancto donatis viribus cooperatur. 3. Poenas temporales et aeternas justissimo suo judicio irrogat DEUS illis, qui corruptam ex Adamo naturam trahunt et peccato originali obnoxii nascuntur, si vel maxime nondum habent liberi arbitrii usum, quo haereditarium illud peccati foenus novis actualium peccatorum debitis augeant. Regerit Bellarminus, *non esse veram culpam, quae vitari non possit, alias nullam fore inter hominem ac pecudem differentiam.* Respondemus: Nascuntur infantes peccati originalis jugo necessario obnoxii, quod suis viribus haudquaquam vitare possunt, ergo non est haec vere et proprie dicta culpa, injustus igitur DEUS, qui veram et proprie dictam poenam illis hoc nomine irrogat. Rom. 5, v. 14: *regnat mors etiam in eos, qui non peccant in similitudinem praevaricationis Adae.* Porro inter hominem non renatum et pecudem haec est differentia, quod ille voluntate praeditus est, qua libere et non coacte peccato servit, licet non possit non peccare, haec vero voluntarie non agit, licet sponte ex instinctu naturali agat, quod vel ex Lombardo suo discere poterat Bellarminus, qui diserte scribit, *hominem ante reparationem gratiae non posse non peccare et tamen libere peccare, nimirum quia voluntas ejus libera est a necessitate coactionis, non autem a peccati servitute.* 2. sent. dist. 25. I. Regerit et hoc, *si non est locus bono merito sine libero arbitrio, eadem ratione non erit locus malo merito, eadem enim libertas ad praemium et poenam requiritur.* Respondemus: in actionibus moraliter bonis talis quaedam libertas adhuc reliqua, quamvis voluntas hominis magis inclinet ad malum, quam ad bonum, quod ipsa illa praemia, quibus excitanda, et poenae quibus refrenanda est, testatum faciunt, sed quoad interiorem corruptionem et quoad peccata cordis interiora non est in homine eadem libertas ad bonum ac malum meritum. Proinde consecutio non valet, siquidem bonum est ex causis omnibus integris, dicebat Dionysius, sed malum est ex una etiam causa deficiente, inde mala hominis opera sunt perfecte mala merita, sed bona hominis opera non sunt perfecte bona merita, siquidem sunt imperfecte bona; adde quod nulla sint coram Deo bona opera nisi renatorum, qui non amplius sunt in statu peccati, sed in statu gratiae: sufficit ad mala merita, Adamum primum generis nostri parentem, ex quo naturae corruptionem trahimus, perfectam ad bonum potestatem pro se ac posteris a Deo accepisse. Quaestio illa, quam coronidis loco huic argumento attexit Bellarminus, *de meritis bonorum operum*, suum postea habebit locum; negat *sibi suisque hominibus adversari, quod Augustinus dicit, gratiam non esse ex merito*, tollat igitur, quae de praeparatione ad gratiam et merito congrui disputantur a Scholasticis.

v. 144 — 152 [sic].

3. Si non esset arbitrii libertas, non essent alii boni, alii mali.

70. Tertio. *Si non esset libertas arbitrii, non essent alii boni, alii mali, nec alii aliis meliores,* quod falsum. Respondemus: 1. ratione corruptionis originalis *simul omnes inutiles facti sunt, nec ulla est distinctio, omnes sunt peccatores*, Rom. 3, v. 23. 2. Ratione externorum actualium peccatorum discrimen quoddam est in non renatis, *Fabricius enim minus malus quam Catilina, non veras virtutes habendo, sed a veris virtutibus non multum deviando,* inquit Augustinus lib. 4. contra Julian. c. 3; concedimus igitur respectu illarum actionum, quae pugnant cum externa disciplina, aliquam esse in non renatis arbitrii libertatem. 3. Ac semen originalis labis in aliis atque aliis copiosiorem profert segetem, siquidem fovetur in quibusdam prava edu-

catione, consortio pravorum, peccandi consuetudine, licentiae majoris arrogatione, ad quas causas Sata-
v. 153. nae tyrannis accedit. 4. Licet homo ex se et suis viribus non possit deponere connatam malitiam, tamen per ministerium verbi et sacramentorum Spiritus sancti gratia converti potest, proinde etiam hoc sensu et respectu quidam homines boni, quidam vero mali, atque alii aliis sunt pejores. Quidam enim praeter connatam pravitatem actuali pertinacia verbum DEI aspernantur, secure in peccatis contra conscientiam perseverant et cum in profundum peccatorum devenerint, tandem omnes admonitiones contemnunt, quidam vero verbum audiunt et gratia Spiritus sancti ex illius auditu fidem concipiunt, renovantur de die in diem et perficiunt quotidie sanctificationem. Proinde etiamsi ante reparationem gratiae nemo hominum coram Deo bonus sit, quidam tamen per gratiam boni fiunt, quod in obstinatis daemonibus non contingit. 5. Quid quod inter ipsos daemones quidam sunt reliquis pejores et nequiores Luc. 11, v. 26, quos tamen arbitrii libertate ad bonum instructos esse nemo dixerit. Regerit Bellarminus, *per electionem ac reprobationem divinam, quam Calvinus adduxerat, non posse dissolvi argumentum.* Respondemus: Si causa bonitatis ac malitiae in hominibus ad absolutum electionis ac reprobationis decretum Calvinus refert, suo faciat periculo, nobis cum sententia illius in hac parte nihil est commune, qui conversionis opus solius divinae gratiae muneri adscribimus, nec tamen absolutum electionis decretum approbamus, contra quod recte urgetur a Bellarmino, quod quidam renati in dies magis proficiant ac perseverent, quidam vero deficiant ac pereant, sed si hoc fine id a Bellarmino adducitur, ut probet etiam ante conversionem et in ipsa conversione suis liberi arbitrii viribus hominem gratiae cooperari, mutatur status controversiae et miscentur distinctae quaestiones, aliud enim est de statu ante reparationem, aliud est de statu post factam reparationem agere.

4 Sublata arbitrii libertate tolluntur cohortationes, objurgationes etc.

71. Quarto. *Si tollitur liberum arbitrium, tolluntur cohortationes, objurgationes, laudes, vituperationes, praecepta, consilia, monita et id genus alia, quod absurdum.* Respondemus: 1. leges civiles ferendae omnino sunt de illis tantum actionibus, quae sunt ἐφ' ἡμῖν, atque in illis praeceptionibus ethicis ac moralibus ad id valent cohortationes, objurgationes et alia hujus generis incitamenta, ut externam disciplinam homo regat et virtutis studium sectetur, quod in ipsius viribus esse non negamus, licet magna corruptio etiam hac in parte voluntati accesserit, quod ipsi illi cohortationum et objurgationum stimuli manifeste testatum faciunt, quibus ad bonum indigemus, ad malum contra nimis proni ac proclives; 2. sed lex divina, ac cohortationes, objurgationes, vituperationes, promissiones ipsi additae non eo fine (post lapsum) nobis proponuntur, quasi nostris viribus omnia illa, quae a nobis requiruntur, etiam quoad interiorem cordis obedientiam praestare possimus, sed ut naturae nostrae corruptione ac virium ἀδυναμίᾳ agnita ad medicum nostrum Christum suspiremus, ut quod ex nobis non possumus, ipsius gratia implere valeamus; 3. hac de re contra Pelagianos eodem argumento usos ita disputat Augustinus de grat. et liber. arbitr. c. 16: *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt, non juberet DEUS, quod scit non posse ab homine fieri, quis hoc nesciat? sed ideo jubet aliqua, quae non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quae orando impetrat, quod lex imperat.* c. praeced. 15: *Meminerimus ipsum dicere, facite vobis cor novum et spiritum novum, qui dicit, dabo vobis cor novum et spiritum novum. Quomodo ergo quod dicit, facite vobis, hoc dicit dabo vobis? quare jubet, si ipse daturus est? quare dat, si homo facturus est, nisi quia dat quod jubet et adjuvat, ut faciat cui jubet? per gratiam fit ut homo sit bonae voluntatis, qui prius fuit voluntatis malae.* lib. 2. contra duas epist. Pelag. c. 10: *Nihil in Scripturis sanctis homini a DEO video juberi propter probandum liberum arbitrium, quod non inveniatur vel dari ab ejus bonitate, vel posci propter adjutorium gratiae demonstrandum.* de corrept. et grat. c. 3: *O homo, in praeceptione cognosce,*
quid debeas habere, in corruptione cognosce, tuo v. 154.
te vitio non habere, in oratione cognosce, unde accipias quod vis habere. Bernhard. serm. 50. in Cant.: *Mandando impossibilia non praevaricatores DEUS homines fecit, sed humiles, ut omne os obturetur et reus fiat totus mundus DEO, accipientes igitur mandatum et sentientes defectum clamabimus ad coelum, et miserabitur nostri DEUS.* 4. Dicimus igitur, legem in statu integritatis homini propositam esse, cum perfectis adhuc liberi arbitrii viribus instructus esset, sed victore peccato amissum est liberum arbitrium, proinde in statu naturae corruptae *ex lege est agnitio peccati,* non autem nostrarum virium. Rom. 3, v. 20. Regerit Bellarminus: *1. Si homo non esset liberi arbitrii, ac nihilominus corriperetur, id perinde foret, ac si quis in puteum lapsus, ex quo emergere non posset, objurgaretur quod non exiret, objurgari quidem talis posset, quod sua culpa in puteum lapsus, non autem recte objurgaretur, quod inde non emergeret.* Respondemus: Imo vero utroque nomine objurgari posset, tum quod sua culpa in puteum inciderit, tum quod exeundi facultatem sibi ademerit, ac si persuasus esset talis, se adhuc posse ex puteo illo suis viribus emergere, recte ipse diceretur, exi igitur a puteo, ut hac ratione ad agnitionem ἀδυναμίας perduceretur: pari ratione per lapsum protoplastων incidimus in peccati foveam, e qua nostris viribus eluctari nequaquam possumus, cum qua ἀδυναμίᾳ nostrarum virium admiratio et persuasio conjuncta est, quod ex liberi arbitrii defensoribus apparet, DEUS igitur in praeceptis ostendit, quales esse, quidve habere deberemus; in correptione ostendit, nos vitio nostro non habere, ut hac ratione ad nostri agnitionem perducamur. 2. *Liberum arbitrium egere quidem*

DEI gratia, sed eam gratiam, quae necessaria est ad faciendum, quod DEUS praecipit, vel ad quod hortatur, nemini deesse, inde Augustinum in libr. de corrept. et grat. perpetuo haec conjungere. Respondemus: Ex corruptione et praeceptis homini datis recte colligitur, eum adhuc esse libero arbitrio praeditum, scilicet si nomine liberi arbitrii ipsa voluntas intelligatur; nisi enim posset homo per Spiritus sancti gratiam velle, nunquam talia media ipsi proponerentur; sed vicissim ex correptione et praeceptis minus recte concluditur, superesse in homine liberum arbitrium, scilicet si nomine liberi arbitrii intelligitur talis facultas, qua homo sese suis viribus ad gratiam applicare possit, siquidem Spiritus sanctus hoc in homine efficit, ut velit, non excitando naturales liberi arbitrii vires [quod vult Bellarminus], sed novas ad hoc vires ipsi tribuendo. Sub finem hujus capitis Bellarminus nobis tribuit, quod statuamus *renovationem hominis fieri per solam fidem*, quod aperte falsum est, aliud siquidem est regeneratio, aliud renovatio, licet sint arctissime connexae, regeneratio fit per fidem et quidem solam, sed renovatio complectitur omnino plura, videlicet novos illos spirituales motus in corde hominis renati per Spiritum sanctum accensos.

Testimonia Scripturae pro libero arbitrio: 1. Quae praecipiunt aliquid fieri.

72. Expositis hisce quatuor argumentis proponit Bellarminus sex classes Scripturarum. Prima *continet ea testimonia, quae praecipiunt aliquid homini faciendum vel non faciendum. Praeceptum est regula bene vivendi, frustra autem datur regula ei, qui non potest deficere, aut non potest non deficere*, quod argumentum dicit esse Augustini in libr. de grat. et lib. arbit. Respondemus: 1. Quotiescunque vel Augustinus vel alii veteres ex praeceptis, legibus, consiliis etc. liberum arbitrium probant, intelligunt nomine liberi arbitrii vel ipsam hominis voluntatem, quae per lapsum utique non est amissa, vel facultatem libere, hoc est, absque coactione agendi, quam in ipsis etiam malis actionibus homo adhuc habet, vel libertatem quandam in actionibus moralibus et externis. Disputant enim contra Manichaeos, qui solutam necessitatem propugnabant. 2. Si vero lib. arbitrii nomine intelligitur facultas praestandi ea omnia ex suis viribus, quae in lege homini praecipiuntur, negamus talem facultatem in ipso adhuc superesse, siquidem lex non eo tantum fine post lapsum homini data est, ut externam disciplinam etiam a non renatis exigat, et
V. 155. in cursu bonorum operum renatos dirigat, sed etiam, ut interiora peccata et extremam naturae nostrae corruptionem arguat, quo sensu apostolus pronuntiat, ex lege peccati agnitionem esse. Regerit Bellarminus, *1. legem habere etiam hunc finem, ut sit bene vivendi norma, cujus finis ratione necessario in homine exigat arbitrii libertatem.* Respondemus: Sane praecepti etiam hic finis est, ut bene vivendi normam proponat, sed ex eo nondum inferri potest, hominem suis viribus sese omni ex parte huic normae accommodare posse, cum ipsi etiam renati conquerantur, *legem esse spiritualem, se vero carnales ac sub peccatum venundatos* Rom. 7, v. 14. *2. Idem esse per legem peccatum cognosci et legem esse bene vivendi normam, cum ideo detur lex, per quam peccatum cognoscatur et cognitum videtur.* Respondemus: Confunduntur hac ratione distincti usus ac fines legis divinae, alius enim usus legis est, quem obtinet arguendo non solum peccata externa, sed etiam interiorem cordis immunditiem, qui finis legi competit tantum post lapsum, non vero in statu integritatis; alius vicissim ejus usus est, quem obtinet praescribendo bonorum operum normam, qui finis ei competit tum in statu integritatis, tum etiam post lapsum. Falsum et illud est, quod omne illud peccatum, quod a lege arguitur et ex lege cognoscitur, a nobis vitari possit; siquidem vitiosos interioris concupiscentiae motus lex arguit et peccata esse ostendit, a quibus tamen ne ipsi quidem renati in hac quidem vita omnino liberari possunt, tantum abest, ut non renatis illud competat, proinde in vera cordis contritione miseriam illam nostram deploramus, ac merito Christi infirmitates illas tegi petimus, concupiscentiis per Spiritum resistimus et ad plenam in futura vita libertatem seriis gemitibus aspiramus. *3. Si vel maxime solis naturae viribus lex impleri nequeat, posito tamen auxilio gratiae hominem vere esse liberi arbitrii, ita ut possit legem implere vel eandem praevaricari.* Respondemus: Illud auxilium gratiae datur in ipsa conversione a Spiritu sancto, qui naturam nostram incipit reformare ac renovare; non autem ita auxiliatur Spiritus sanctus, ac si nos ipsi ex nobis ipsis cooperemur, sed quia dat novas vires, accendit novos motus et ex nolentibus volentes efficit; haec renovatio, quia non statim perfecta est, sed quotidie crescit, donec in aeterna vita perficiatur, ideo etiam impletio legis perfecta in hac vita ipsis etiam renatis est ἀδύνατος, ut apparebit suo loco. In hoc capite observandum, quod auxilium gratiae confert Bellarminus lumini ad videndum necessario, quemadmodum igitur lumine accedente potest homo videre, id est reconditam videndi potentiam, quae actui primo inerat, exserere; ita apparet per adjutorium gratiae non intelligi a Bellarmino interiorem [ut ita loquar] voluntatis immutationem, sed exteriorem tantum gratiae assistentiam voluntati ad exserendas naturales suas vires necessariam. Quod ergo ex praeceptis legis et promissionibus ac comminationibus legi additis concluditur, homines naturalibus suis viribus illa posse facere, in eo committitur fallacia finis. Quamvis enim homines suis viribus ea non possint praestare, tamen adhuc multiplex est illarum praeceptionum, promissionum ac comminationum usus tum ipsius DEI, tum etiam hominum respectu. Ratione Dei harum praeceptionum usus est: 1. ut quid ab homine jure DEUS flagitet, ostendat; 2. ut testetur se esse extra culpam, si id praestare homines nequeant, ad quod jure sunt obligati. Per debitoris paupertatem αὐθαίρετον non tollitur jus creditoris; 3. ut corruptionem naturae nostrae ob oculos nobis proponat,

ex lege praecipiente et prohibente non est agnitio *δυνάμεως*, sed *ἀδυναμίας*, depravationis et peccati Rom. 3, v. 20; 4. ut de alieno auxilio prospiciendum esse admoneat, quia *lex est paedagogus ad Christum*, et peccatorum magnitudine nondum agnita, non potest dulcescere Christi gratia. Homines, quibus tales praeceptiones, promissiones ac comminationes proponuntur, aut sunt pii et renati, aut impii et non renati. Ratione piorum est usus harum praeceptionum quadruplex: 1. agnoscunt in quanta perfectione homo conditus, lex enim speculum est imaginis divinae, ad quam olim homo conditus; 2. paternam Dei curam pro salute hominum ex illis deprehendunt; 3. naturae corruptionem ardentius de-
V. 156. plorare discunt; 4. quid a Deo petendum sit, clarius agnoscunt. Ratione etiam impiorum usus harum praeceptionum et comminationum non est nullus, quia illis tanquam fulminibus terrentur et ad conversionem flectuntur, cum verbum admonens, corripiens, exhortans sit medium seu organum, per quod Spiritus s. vult agere; aut redduntur illis *ἀναπολόγητοι* Joh. 15, v. 22.

2. Quae promittunt aliquid sub conditione.

73. Secunda classis continet *ea Scripturarum testimonia, quibus promittitur nobis aliquid a Deo sub conditione, si voluerimus.* Esa. 1: *si volueritis, bona terrae comedetis.* Amos 5: *Quaerite bonitatem et vivetis.* Matth. 19: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Si est in potestate nostra praestare oblatam conditionem, dabitur utique liberum arbitrium. Si non est in nobis, manifesta est irrisio.* Respondemus: 1. August. de grat. et lib. arbit. c. 16. sic respondet: *Ipse qui dixit, si volueris, conservabis mandata, in eodem libro Ecclesiastico aliquanto post dicit, quis dabit in ore meo custodiam, et super labia mea signaculum, ne forte cadam ab eo* etc. *Cum ergo verum sit quod dixit: Si volueris, conservabis mandata, quare quaerit in ore suo dari custodiam? non enim sufficit mandatum Dei et voluntas sua, quandoquidem si voluerit, conservabit mandata. Si hoc ei in praesenti diceremus, rectissime nobis responderet et diceret: Ex ista oratione mea, qua haec a DEO peto, intelligite, quomodo dixerit, si volueris, conservabis mandatum. Certum est enim, nos servare mandata, si volumus, sed quia praeparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus. Certum est nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum est, Deus est, qui operatur in nobis velle* etc. 2. Testimonia illa, in quibus sub conditione quippiam a Deo nobis promittitur, non sunt unius generis, quaedam enim loquuntur de promissionibus hujus vitae, quod externam disciplinam etiam non renatis praemiis temporalibus Deus remunerari velit; quaedam vero loquuntur de promissionibus aeternae vitae; atque illae promissiones vel sunt legales vel evangelicae. Legales exigunt non qualemcunque externam, sed numeris omnibus absolutam obedientiam, quae cum non sit in viribus nostris, ideo promissiones legis nobis sunt inutiles, ac proinde quaerendus est mediator Christus in evangelio; in Christo omnes Dei promissiones sunt *ναὶ καὶ ἀμήν*, siquidem evangelicae promissiones sunt gratuitae. 3. Ergo non illudit Deus miseriae nostrae, nec irridet nos legalibus suis promissis, sed legem suam vult nobis esse paedagogum ad Christum Gal. 3, v. 24, siquidem ad cognitionem infirmitatis nostrae nos deducere satagit, ut viribus nostris diffisi in solo mediatore Christo omne perfugium habeamus constitutum, *quod enim impossibile erat legi, quia per carnem infirmabatur, id praestitit Deus misso Filio suo* Rom. 8, *qui est finis legis ad justitiam omni credenti* Rom. 10, v. 4. Ratae igitur ac firmae sunt promissiones legis ex parte Dei, neque ulla eis inest ironia, sed irritae redduntur ac inutiles nostra culpa. Regerit Bellarminus: *1. impii aut possunt ex hoc testimonio divino proficere, cogitando vere suam indignitatem, et inde timorem ac dolorem concipiendo, seque coram DEO humiliando, vel non possunt; si possunt, habent liberum arbitrium, si non possunt frustra adhiberetur hoc remedium.* Respondemus: Quamvis ex se suis viribus impii non possint semet ipsos convertere, tamen voluntas ipsorum per Spiritum sanctum mediantibus his promissionibus et comminationibus converti potest, sunt enim efficax medium atque organon, per quod Spiritus sanctus ipsorum corda immutat, cum verbo siquidem Spiritus sancti efficaciam suam conjunctam esse vult; quando igitur ex auditu talium promissionum timorem Dei, fidem et propriae indignitatis agnitionem impii concipiunt, id non est tribuendum liberi arbitrii viribus, sed operationi divinae gratiae, quae non solum verbum proponit exterius, sed etiam interius efficaciter operatur. *2. Si vel maxime impii non possunt conditionem implere, tamen pii poterunt.* Respondemus: Vere pii sunt etiam regenerati, jam vero cum ipsa regeneratione conjuncta est renovatio, per quam conferuntur homini novae vires ad bene operandum, nostra autem quaestio est, non quid possit homo novis illis viribus, sed quid natu- V. 157.
ralibus suis viribus vel ante conversionem vel in conversione possit. Praeterea conditio de perfecta legis impletione ipsi etiam pio est *ἀδύνατος*, quippe qui de die in diem adhuc renovatur, nondum totus est renovatus, et in quantum nondum renovatus, in tantum adhuc sub vetustate est; August. 2. de pecc. merit. et remiss. c. 7: ubi vero nondum plena ac perfecta renovatio, ibi etiam nondum potest esse perfecta legis impletio.

3. Quae docent per hominem stetisse, quo minus peccata vitaret.

74. Tertia classis continet ea testimonia, *quae docent, per hominem stetisse, quo minus bene ageret et peccata vitaret.* Num. 14: *Gladio corruetis, eo quod nolueritis acquiescere Domino.* Deuter. 30: *mandatum, quod praecipio tibi, non est supra te* Esa. 5: *Quid potui facere vineae meae et non feci?* Jerem. 7: *Haec gens non audivit vocem Domini sui, ideo projecta est a Domino.* c. 32: *Quia indurastis cor vestrum et noluistis obedire Domino, haec omnia mala evenerunt vobis.* Matth. 23: *Quoties volui congregare filios tuos, et noluisti.* Act. 7:

Vos semper resistitis Spiritui sancto. Si potest is, qui peccat, non peccare, habebit liberum arbitrium. Si non potest non peccare, frustra DEUS de homine queritur. Respondemus: 1. Dicta haec itidem non sunt unius generis, quaedam enim loquuntur de externa disciplina et actionibus moralibus, in quibus concedimus quandam homini libertatem. 2. Quaedam vero loquuntur de ipso conversionis opere; in talibus dictis nequaquam ita potest concludi: homo potest Spiritui sancto resistere, opus conversionis impedire, ergo etiam ex se potest Deo assentiri, gratiae divinae cooperari; haec illatio non valet propter evidentem disparitatem rationis, siquidem ad malum plusquam proni ac proclives sumus, Scriptura et experientia teste, sed non possumus aliquid boni cogitare ex nobis tanquam ex nobis. Ambrosius libr. 2. de vocat. gent. c. 9: *Licet insit homini nolle bonum, tamen nisi donatum non habet velle bonum, illud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiam.* August. in Soliloq. c. 15: *Quod cecidi, fuit ex me, quod surrexi, fuit ex te.* Alcuinus in 4. Psalm. poenit.: *Sordidare me potui, sed emundare nequeo, nisi tu, Domine Jesu, sancti sanguinis tui aspersione mundum me facias.* Ergo propter naturae corruptionem potest homo Spiritui sancto conversionem operanti resistere, potest verbum Dei repellere, se ipsum vita aeterna indignum judicare, sed non potest vel praevenire suis conatibus gratiam vel oblatam suis viribus acceptare. 3. Quare ex dictis illis, in quibus homini tribuitur culpa, quod per ipsum steterit, quo minus conversus et salvatus fuerit, non debet inferri, quod Spiritui sancto in conversione potuerit vel possit cooperari suis viribus, sed hoc tantum sequitur, quod naturam peccato corruptam ex primis parentibus trahendo ac media conversionis respuendo se ipsum homo conversionis et salutis gratia indignum reddat, merito igitur accusat DEUS tum ἀδυναμίαν illam primorum parentum peccato attractam, tum actualem hominum pertinaciam, qua oblata conversionis ac salutis media repudiant. Regerit Bellarminus: *2. malitiam illam ex primo parentum peccato contractam non esse culpam sed poenam.* Respondemus: Hac ratione negatur in universum peccatum originis. Ostendimus suo loco concupiscentiam pravam [per quam apostolus definit originale peccatum] esse et poenam et culpam, plane igitur Pelagianum est, quod hoc loco Bellarminus scribit: *Sicut homini* [inquit] *a nativitate caeco non recte quis vitio vertet, si inter ambulandum impingeret, etiamsi caecitas illa ex peccato originali descendat: sic etiam non recte peccatores reprehenderentur, cum praecepta divina transgrediuntur, si absque libera consensione ex sola naturae corruptione, quae ex peccato primi hominis in nobis haeret, praecepta Domini violarent.* Invertimus autem simile istud hoc modo. Quemadmodum in eo, qui vel scortationibus vel ebrietate vel aliis peccatis caecitatem sibi attraxit, caecitas et culpa est et poena; ita misera illa peccati servitus per originale peccatum propria Adae culpa attracta et poena est et culpa. Augustinus lib. 5. contra Julian. c. 3: *Caecitas cordis et peccatum est, qua in Deum non creditur, et poena peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur et causa peccati, cum aliquid caeci cordis errore committitur. 2. Possunt homines peccatores audita ista objurgatione taedio peccatorum affici et in viam redire, utique ergo habent liberum arbitrium.* Respondemus: Illae ipsae objurgationes sunt veluti malleus legis, quo Spiritus sanctus hominum corda conterit ac conversionem in eis operari incipit, hoc ergo tantum sequitur, quod sit in hominibus voluntas, quae per Spiritum sanctum talibus mediis possit immutari, non autem quod ipsa voluntas suis viribus salutariter istis mediis uti ac Spiritu sancto cooperari possit. *3. Locus* Deut. 30. *loquitur non de facilitate cognitionis, sed observationis.* Respondemus: hac de re dicetur suo loco in quaestione de legis impletione.

V. 158.

4. Quae docent Deum explorare vires hominis.

75. Quarta classis Scripturarum continet ea testimonia, *quae docent, Deum quasi recedere et explorare, quid homines faciant, et quorsum studia sua convertant.* Deut. 8: *adduxit te Deus per desertum, ut tentaret te, et nota fierent, quae in animo tuo versantur, utrum custodires mandata illius an non* c. 13: *tentat vos Deus, ut videat, an diligatis eum toto corde. At frustra exploraret Deus, quid homines facere velint, nisi possent rem eandem facere et non facere.* Respondemus: 1. Dicta illa et quae sunt illius generis plura loquuntur vel de renatis vel de non renatis. Si prius, sunt a quaestione aliena, neque enim quaerimus, an per Spiritum s. renati possint Deum diligere toto corde et mandata ejus custodire, sed de nonrenatis, quid illi naturalibus liberi arbitrii viribus possint. Si posterius, per hanc tentationem et explorationem non manifestatur quaedam δύναμις, sed extrema potius naturalium virium ἀδυναμία, quid enim poterunt non renati suis viribus, cum ipsi etiam renati carnis vetustati adhuc obnoxii turpiter corruant et collabantur, si vel paululum gratiam suam Deus subtrahat. Bernhardus serm. 32. in Cant.: *Quis credat parieti, si se dicat parturire radium, quem suscipit per fenestram?* Thom. 2. 2. q. 4. art. 4: *fidem facit gratia non solum quando fides de novo incipit esse, sed etiam quamdiu fides durat. Deus semper operatur justificationem hominum, sicut sol semper operatur illuminationem aëris.* 2. Per explorationem illam in quibusdam locis non intelligitur gratiae desertio, quasi hominem Deus sua gratia deserat vel eam homini deneget, ut appareat, quid suis viribus possit, sed variarum calamitatum immissio, qua permittit Deus homines affligi, ut ad Christum compellantur, quemadmodum enim *lex est paedagogus ad Christum,* Gal. 3, v. 24, ita mala illa, quae nos premunt, ad Deum ire compellunt. Regerit Bellarminus: *1. hac ratione nihilominus stabiliri liberum arbitrium. Si enim possunt homines afflicti quaerere Deum, quod ante non faciebant, certe habent liberum voluntatis arbitrium.* Respondemus: voluntatem habent, quae

per Spiritum s. liberata ac renovata, non autem naturalibus suis viribus bonum potest velle. Afflictiones et calamitates sunt veluti reales conciones legis, ergo sunt medium, per quod Spiritus s. vult opus conversionis inchoare, nec probant, quod homo conversioni suae ex se cooperari possit, sed quod Spiritus s. non absque mediis eam operari velit. *2. Si cum auxilio gratiae potest homo Deum quaerere et non quaerere, poterit gratiae cooperari et non cooperari.* Respondemus: per auxilium illud gratiae intelligit Bellarminus suasionem, excitationem, hortationem etc., qua Spiritus s. innatas liberi arbitrii vires erigat et in actum deducat, cum per illud auxilium intelligendum sit regeneratio et renovatio, qua novae vires homini dantur, quibus eum jam renovatum gratiae divinae cooperari vel non cooperari posse concedimus.

3. Quae docent, hominem posse appetitui suo dominari. V. 159.

76. Quinta classis habet duo quaedam testimonia Scripturae Genes. 4: *sub te sit appetitus tuus, et tu dominaberis illi.* Eccles. 15: *Deus initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui, adjecit mandata et praecepta. Si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi aquam et ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit, datur illi.* Ad prius respondemus: 1. Chrysostomus hom. 18. in Gen. textum accipit non de peccato, sed de Abele, ut sit sensus, ad te erit conversio ejus (fratris Abelis). Quare fratri irasceris, cum ille te diligat et in posterum tanquam fratrem primogenitum sit reveriturus, cui interpretationi favere videtur non solum versio LXX. Interpret. *πρὸς σὲ ἡ ἀποστορφὴ αὐτοῦ καὶ σὺ ἄρξεις αὐτοῦ*, sed etiam textus Hebraeus, qui habet affixum generis masculini תְּשׁוּקָתוֹ. Sed enim huic Chrysostomi explicationi non adeo insistimus, quia חַטָּאת masculinum est, ut patet Jerem. 5, v. 25. Ps. 103, v. 10. Eccl. 10, v. 4. 10, proinde affixum masculinum apprime potest ad peccatum referri, et referendum eo esse docent circumstantiae, unde Ambros. lib. 2. de Cain. c. 7. et August. 19. de civit. Dei c. 7. hanc Chrysostomi explicationem repudiant. 3. Quidam respondent, in Hebraeo non haberi, sub te est appetitus peccati, sed poni sententiam absque expresso verbo, intelligendum autem esse non verbum praesens sed futurum, ut docet, membrum posterius, ut plena sit sententia. *Sub te erit appetitus peccati, et tu dominaberis illi.* Jam vero Hebraei utuntur futuris pro imperativis, ut notum, at superius ostendimus, ex praeceptis non posse colligi, quod omnia illa, quae praecipiuntur, nostris viribus praestare possimus. 3. Sed concedamus tale quid Caino hic praecipi, quod praestare poterat, nihil hoc sententiae nostrae derogabit, Dominus Cainum dehortatur a scelere fratricidii, jam vero concedimus factum externum ab hominibus reprimi et locomotivam externam utcunque regi posse. Vox תְּשׁוּקָה ab excurrendo et defluendo descendit et significat vehementem affectum, qui instar ferventis aquae ebullit, hunc igitur reprimi, huic vim adhiberi Deus jubet, ne in externum factum erumpat. 4. Si ad internam obedientiam et ipsius affectus interiorem repressionem haec verba referantur, dicimus ex praecepto non posse colligi, quod suis viribus id, quod praecipitur, homo non renatus praestare possit. Cohortatus fuerat Deus Cainum in praecedentibus verbis ad seriam poenitentiam, huic Dei mandato si locum dedisset Cainus, potuisset sane auxilio Spiritus s. affectibus resistere, licet viribus naturae non potuisset: Ambros. lib. 2. de vocat. gent. 13: *ad te tua culpa revocetur, noli peccato regnum in te dare, sed tu potius in ipsum sume dominatum.* August. 15. de civ. Dei c. 7: *Potest quidem ita intelligi ad ipsum hominem conversionem debere esse peccati, ut nulli alii quam sibi sciat tribuere debere quod peccat. Haec est enim salubris poenitentiae medicina et veniae petitio non incongrua, ut ubi ait, ad te enim conversio ejus, non subaudiatur erit, sed sit, praecipientis videlicet, non praedicentis modo. Tunc enim dominabitur quisque peccato, si id sibi non defendendo praeposuerit, sed poenitendo subjecerit, alioqui et illi serviet dominanti, si patrocinium adhibuerit accidenti, etc. Quiesce, id est, manus a scelere contine, non regnet peccatum in tuo mortali corpore, ad te enim conversio ejus, dum non adjuvatur relaxando, sed quiescendo frenatur, et tu dominaberis illi, ut cum forinsecus non permittitur operari, sub potestate mentis regentis et benevolentis, assuescat etiam intrinsecus non moveri.* Luther. in Gen. c. 4. p. 61: *Appetitus ad te, id est, sicut Paulus dicit, peccatum est in membris tuis. Item, caro concupiscit adversus Spiritum, sed ideo, quia hunc peccati motum sentis, non damnaberis, si te solicitat peccatum dominare ei per fidem, nec sine ut tibi dominetur.* Ex quibus omnibus patet, quid respondendum sit Bellarmino, qui hoc potissimum in isto dicto urget, quod Deus nec promittat, nec jubeat, sed significet peccatum esse in potestate peccantis, Item neminem jubere impossibilia nisi sit insanus aut furiosus.

77. Ad posterius Ecclesiastici dictum respondemus: 1. liber est extra canonem; 2. loquitur Syracides de statu hominis ante lapsum, qualis scilicet a Deo creatus, perfectis ad bonum viribus instructus, ex eo autem non potest colligi, quod talis adhuc hodie sit ipsius status, fecit quidem Deus hominem rectum, sed ipse miscuit infinitis quaestionibus, Eccles. 7, v. 30. ubi idem est vocabulum יֵצֶר quod Genes. 6, v. 5, et c. 8, v. 12. de corruptione humanae naturae per peccatum introducta usurpatur. Quemadmodum igitur ex eo, quod *homo* dicitur primum *creatus ad imaginem Dei*, Genes. 1, v. 27. non potest colligi, quod adhuc sit particeps istius imaginis, siquidem *Adam genuit filium ad suam imaginem* peccato misere corruptam ac defoedatam, Genes. 5, v. 3, quemadmodum etiam ex eo, quod dicitur *Deum creasse omnia valde bona* (Genes. 1, v. 31.) non potest colligi, quod homo adhuc sit valde bonus in substantia et accidentibus, quia post lapsum *vidit Deus, quod nulla malitia super terram*, Genes. 6, v. 5; ita ex eo, quod homo quoad bonum et malum

Eccl. 15: Ante hominem bonum et malum. V. 160—168 [sic].

in manu consilii sui relictus dicitur, non potest colligi, quod adhuc perfectis illis ad bonum viribus sit instructus, siquidem peccatum faciens peccati servus factus, adeo *ut non simus idonei cogitare aliquid boni ex nobis tanquam ex nobis*, 2. Cor. 3, v. 5. 3. hinc Augustinus lib. 3. hypognost.: *Quid est, reliquit illum* (Adamum) *in manu consilii sui, nisi dimisit eum in potestate liberi arbitrii sui, in manu enim possibilitas intelligitur. Ipsa est prima gratia, qua primus homo stare potuisset, si servare mandata Dei voluisset. Hac ergo per inobedientiam desolatus homo judicio justo factus est serpenti, id est, diabolo, cui maluit obedire, quam Deo, captivus; et ideo scriptum est, a quo enim quis superatus est, huic et servus addictus est.* Regerit Bellarminus: 1. August. de grat. et lib. arbit. c. 2: *hunc ipsum locum affert ad probandum liberum arbitrium.* Respondemus: per liberum arbitrium intelligit Augustinus ipsam hominis voluntatem, quae a coactione est libera, licet a peccati servitute non sit libera; *2. locus Ecclesiastici ostendit in homine etiam post lapsum superesse liberum arbitrium, dixerat enim paulo ante: ne dicas, Deus me implanavit, id est, ne referas causam sceleris in Deum, et continuo addit, quoniam Deus reliquit hominem in manu consilii sui, quae ratio nihil efficeret, nisi significare vellet Ecclesiasticus, liberum arbitrium initio datum primo homini, nunc etiam in posteris permanere.* Respondemus: in externis quidem sceleribus cohibendis homo adhuc libertatem quandam habet, sed pravitatem naturae nobiscum nascentem suis viribus deponere et peccati servitute exire nequit; nihilo tamen minus recte ad ipsum dicitur, quod causam peccati non debeat referre in Deum, qui perfectis ad bonum viribus primitus eum instruxit, ac misera illa peccandi servitus, cui post lapsum subjecti sumus, non est referenda ad decretum quoddam Dei sanguinarium, quo impulsus fuerit Adamus ad lapsum, et posteri ejus in peccati foveam praecipitati, sed propriae Adami culpae accepta ferenda, siquidem ipse rectus et perfectus a Deo creatus propria voluntate ab ipso defecit; *3. Verbis illis alloquitur Ecclesiasticus homines, qui nunc sunt.* Respondemus: homines non renati habent quandam libertatem in actionibus externis moraliter bonis, renati adhuc longe majorem, utrisque igitur prosunt tales admonitiones. Augustinus de grat. et lib. arbitr. c. 16: *Semper est in nobis voluntas libera, sed non semper est bona; aut enim a justitia libera est, quando servit peccato, et tunc est mala, aut a peccato libera est, quando servit justitiae, et tunc est bona. Gratia vero Dei semper est bona, et per hanc fit ut ipsa bona voluntas, quae jam esse coepit, augeatur, et tam magna fiat, ut possit implere divina mandata, quae voluerit, cum valde perfecteque voluerit. Ad hoc enim valet, quod scriptum est* Eccl. 15: *Si volueris, conservabis mandata, ut homo, qui voluerit et non potuerit, nondum se plene velle cognoscat et oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata* etc. c. 16: *Ipse qui dixit, si volueris, conservabis mandata, in eodem libro Ecclesiastico aliquanto post dicit: Quis dabit in ore meo custodiam?* etc. *Ex ista oratione intellige, quomodo dixerit, si volueris conservabis mandata, certum est enim nos mandata servare, si volumus, sed quia praeparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus. Certum est nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut ve-* V. 169.
limus, de quo dictum est, praeparatur voluntas a Domino etc. 4. *Nisi concedatur homini liberum arbitrium, non potest coërceri carnis malignitas, ne culpae causam in Deum transferat.* Respondemus: minime vero, nascuntur homines sub peccati jugo, quod primi parentis voluntate et diaboli fraude in mundum introductum ad omnes pertransit. August. lib. 3. hypogn.: *De natura vitiata, id est, de protoplastis hominibus, quorum sumus et ipsi natura, in quibus est vitiata libertas, homo voluntatis sanae perfecto videlicet libertatis arbitrio, quo sibi sufficiat, non potest exoriri.* Praeterea paravit Deus huic morbo naturae nostrae remedium in ministerio verbi, quod quia multi contemnunt ac rejiciunt, non Deum perfectae naturae creatorem, perditae vero medicum ac instauratorem, sed se ipsos potius accusent.

78. Sexta classis alia quaedam Scripturae dicta proponit. 1. Deut. 30: *Considera quod hodie in conspectu tuo proposuerim vitam et bonum, et e contrario mortem et malum.* Et postea: *Testes invoco coelum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem, elige ergo vitam. Ubi Moyses non loquitur de statu innocentiae, sed ad Hebraeos qui tunc erant cum ipso, quibus liberam relinquit boni vel mali electionem.* Respondemus: Protestatur Moyses maxima cum solennitate, quod in docendis illis, quae ad temporalem et aeternam Israëlitarum salutem pertinent, nihil quicquam dissimulaverit, sed quod ostenderit viam observationis mandatorum Dei, quae ducit ad vitam, et graviter monuerit, ut caveant viam transgressionis mandatorum Dei, quae ducit ad mortem; ex eo autem non potest nec debet colligi, quod homo possit totam legem implere, multo minus quod suis liberi arbitrii viribus possit, *mandatum* enim, *quod datum nobis ad vitam*, id propter corruptionem naturae nostrae *invenitur cedere ad mortem* Rom. 7, v. 10, *quod legi erat possibile, quia per carnem infirmabatur, id praestitit Deus misso Filio suo* Rom. 8, v. 3; proinde in observatione mandatorum non amplius nobis spes vitae, sed in Christo, *qui est finis legis ad justitiam omni credenti* Rom. 10, v. 4: ideo juxta interpretationem apostolicam in illo ipso decimo capite Moyses et legalem operum et evangelicam fidei justitiam hoc loco describit, siquidem non solum legem, sed etiam vaticinia de Christo tum in claris promissionibus tum in sacrificiorum typis Moyses suis Israëlitis proposuit; in hac sua doctrina vitam ipsis propositam dicit, nimirum hoc ordine et modo: Ex legis doctrina est peccati agnitio, ideo lex paedagogus ad Christum, in quem qui credit, regeneratur et justificatur (quam regenerationem et

6. Deut. 30: Proposui tibi bonum et malum.

justificationem Moyses nominat benedictionem); cum hac regeneratione conjuncta est renovatio, per quam *circumciditur cor nostrum*, ut loquitur Moyses v. 6, ut legi divinae obedientiam praestare possimus, sed quia primitias tantum Spiritus accipimus, nec in hac vita omnibus numeris perfecta est renovatio, ideo impletio non est perfecta, ac proinde ne ipsis quidem renatis ex lege justitia et salus est speranda, tantum abest, ut non renatis ea competat. 2. Jos. 24: *Optio vobis datur, cui servire potissimum debeatis, ubi populo relinquitur liberum, velitne DEO vero cultum adhibere an idolis, id est, bene agere vel peccare.* Respondemus: Cultus Dei est vel interior vel exterior, interiorem et verum Dei cultum suis viribus nec praestare nec inchoare possunt non renati, exteriorem vero quodammodo praestare possunt illi, quibus in verbo voluntas Dei patefacta. Agit hoc loco Josua cum Israëlitis jam conversis et per circumcisionem in foedus Dei receptis, nec ideo dat optionem, quasi penes ipsos sit eligendi libertas, sed ut publicam veri Dei confessionem et obligationem voluntariam ad ipsius cultum ab ipsis eliciat, atque ut hac ratione pii confirmentur in sua religione, hypocritae vero reddantur inexcusabiles, si vel in hypocrisi perseverent, vel palam ab hac religione postea deficiant.

Eccl. 31: Qui potuit transgredi et non est transgressus.

3. Eccles. 31: *Qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit, ideo stabilita sunt bona ejus, ubi vir bonus ideo dicitur laude et praemio dignus, quia
V. 170. potuit malum facere et non fecit.* Respondemus: non agitur hoc loco de salutari ad Deum conversione, vel de facultate applicandi se ad bonum et malum, sed de externo divitiarum usu; quae multis sunt instrumenta ac nervi ad peccandum, quibus etiam non renatos honeste ac recte uti posse, testantur saniorum ethnicorum dicta et exempla, sed ex eo vires liberi arbitrii in spiritualibus non possunt probari.

1. Cor. 7: Qui statuit in corde suo servare virginem.

4. 1. Cor. 7: *Qui statuit in corde suo firmus servare virginem suam, bene facit.* Respondemus: Coelestius etiam hoc argumento utebatur, sed respondet Augustinus in lib. de perfect. iustit.: *quasi pro magno habendum sit velle nubere, ubi de adjutorio divinae misericordiae disputatur.* Virginem elocare vel non elocare pertinet ad externas actiones, in quibus liberum arbitrium adhuc vires quasdam habet.

2. Cor. 9: Prout quisque destinavit in corde.

5. 2. Cor. 9: *Unusquisque prout destinavit in corde suo non ex tristitia aut necessitate, ubi προαίρεσις homini tribuitur.* Respondemus: Ecquis vero in externis actionibus, qualis est eleemosynarum largitio, voluntatis προαίρεσιν homini adimit? adde quod de renatis apostolus hoc loco agat.

Dicta patrum.

79. Dicta patrum quod attinet, ea sigillatim excutere nostri non est instituti. In genere respondemus: 1. ante exortum certamen Pelagianum liberius sunt locuti; res enim fuit ipsis cum Marcionitis et Manichaeis, qui finxerunt, peccatum esse malam aliquam substantiam ita creatam a malo principio, atque adeo peccatum non introiisse in mundum per liberum primi parentis arbitrium, neque in malis actionibus esse liberum arbitrium, Augustinus lib. 1. contra Julian. c. 21. 2. Nomine liberi arbitrii saepius ipsam voluntatem hominis intelligunt, ut hominem esse liberi arbitrii nihil aliud ipsis sit, quam facultate intelligendi ac volendi instructum esse. 3. Nomine libertatis utplurimum intelligunt interiorem illam libertatem a necessitate coactionis liberam, quod voluntas hominis sponte et libere a nullo coacta agit, quicquid agit. 4. In quibusdam dictis loquuntur de libertate in actionibus externis, quod homo nondum renatus externam disciplinam quodammodo praestare potest, et a gravioribus delictis externa membra cohibere, quo respectu liberum arbitrium vocant vitiatum, inclinatum, vulneratum etc. 5. Aliquando liberi aribtrii nomine id intelligunt, quod mens et voluntas ordinaria Dei dispensatione converti possunt, quae capacitas conversionis non est in brutis vel etiam daemonibus. Augustinus epist. 107. ad Vitalem: *Si vere volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus unde sit liberum.* Lutherus tom. 1. oper. Lat. fol. 236: *Quando patres liberum arbitrium defendunt, capacitatem libertatis ejus praedicant, quod scilicet verti possit ad Deum per gratiam et fieri revera liberum, ad quod est creatum.* 6. Quando respiciunt ad corruptionem naturae per peccatum introductam, qua voluntas hominis peccato servit et ex se non potest non servire, diserte dicunt liberum arbitrium esse amissum, exstinctum, perditum, servum redditum etc., voluntatem vocant damnabilem ancillam, captivatam, contumaciam, non libertatem. 7. Quia mundus doctrina illa de ἀδυναμίᾳ virium humanarum in spiritualibus flagitiose abutitur ad alendam ignaviam, securitatem et contumaciam, ideo veteres gloriosius aliquando praesertim in homiliis ad populum de viribus humanis loquuntur, quod Hieronymus de se ipso fatetur. Bellarminus lib. 6. de grat. et lib. arb. c. 6: *Chrysostomus non ita aperte gratiam praevenientem praedicat, quia eo tempore nondum exorti erant, qui eam negarent, et ideo nobis tribuit ea, quae nos cum Deo facimus; nonnunquam dicit non praeveniri nos a Deo per modum determinantis ad unum et necessitatem afferentis, ita ut tollatur arbitrii libertas, id quod saepe ac libenter Chrysostomus repetit tum propter Manichaeos, qui negabant liberum arbitrium, tum etiam ad negligentiam et desidiam hominum discutiendam, ne ita se putarent a Deo praeveniendos esse, ut nihil sibi relinqueretur agendum.* 8. Nec liberius solum, sed et incommodius aliquando loquuntur, quod in aliis scriptis postea corrigunt, id quod ab ipsis Pontificiis scriptoribus agnoscitur. Tolletus in comm. Joh. 6: *in hoc Chrysostomus, Cyrillus, aliique doctores Graeci* V. 171.
non probantur. Maldonatus in comm. Joh. 6: *Etiam Theophylactus, Euthymius, Arnobius ita loquuntur, ac si homo antequam per gratiam ad gratiam trahatur, possit gratiam mereri, sed haec eorum doctrina nimis affinis est haeresi Pelagianorum.* Sixtus Senensis lib. 5. in praefat.: *Chrysostomus impetu dicendi cum Manichaeis, qui fati necessitatem defendebant, naturae vires plus aequo attollit.*

Pererius comm. in 9. Rom. n. 33: *Doctrina Theodoreti, Oecumenii et Hieronymi contraria videtur iis, quae in hoc loco disputat apostolus; sententia Augustini est doctrinae Pauli convenientior. Inde Augustinus suas ipsius sententias incommodius dictas retractavit et in illis aliorum dicta minus recte prolata tacite notavit.* lib. 1. retract. c. 9: *In voluntate nostra constitutum est, ut vel fruamur vel careamus vero bono. Quisquis recte vult vivere, tantam rem tanta facilitate assequetur, ut nihil aliud quam ipsum velle sit habere quod voluit. Respondet: Egimus contra Maenichaeos voluntatem esse, qua et peccatur et recte vivitur, sed nisi gratia liberetur a servitute, recte vivi non potest.* 1. retract. c. 15: *Spiritualia diligere, et justitia jubemur et natura possumus. Respondet: gratia hoc agit, ut natura sanata possit, quod vitiata non potest, per eum qui venit quaerere et salvare quod perierat.* 1. retract. c. 22: *Mutare voluntatem in melius in nostra positum est potestate. Respondet: est in potestate hominis, sed ea nulla est, nisi a Deo detur.* 1. retract. c. 26: *Deus non miseretur, nisi nostra voluntas praecesserit. Respondet: hoc dictum est post poenitentiam, est enim etiam misericordia praeveniens voluntatem, quae si non esset, non praepararetur voluntas a Domino.* Hujus generis plura exstant in libris contra Julianum, contra Coelestium de natura et grat. etc. Julianus allegarat Basilii sententiam: *Peccatum non est substantia, sed accidens, ergo facillime potest a voluntate separari.* Augustinus respondet: *facile est non humanae voluntati, sed divinae misericordiae, id contra Manichaeos sufficit, qui putant impossibile esse.* Hieronymus dixerat: *Deus dedit homini liberum arbitrium, dedit mentis propriae libertatem, ut viveret unus quisque non ex imperio Dei, sed obsequio suo, id est, non ex necessitate, sed ex voluntate, ut virtus haberet locum,* etc. Augustinus respondet, Hieronymum *loqui de libertate ante lapsum, in qua creatus erat Adam. Veteres ex lege naturae salvatos esse Clemens Alexand. Epiphanius et alii scribunt; id diserte tanquam Pelagianum Augustinus rejicit.*

SECTIO VI.

EXAMEN LIBRI 6. BELLARMINI DE VIRIBUS LIBERI ARBITRII IN SPIRITUALIBUS.

De ἀδυναμίᾳ virium in spiritualibus.

80. Lib. 6. de grat. et lib. arbit. c. 2. disputat Bellarminus, *non posse hominem sine speciali illustratione Dei credere mysteria fidei.* c. 4: *non posse voluntatem humanam aliquid velle in iis, quae ad pietatem et salutem pertinent sine auxilio gratiae Dei.* c. 5: *non posse hominem solis naturae viribus ad gratiam recipiendam ullo modo se praeparare, ne quidem ex congruo.* c. 7: *non posse sine auxilio gratiae Deum diligi,* in quibus omnibus, quoad rei summam, habet nos sibi Bellarminus ὁμοψήφους (quamvis in ipsa ἐργασίᾳ occurrant quaedam, quae haudquaquam a nobis approbantur), sed discedit a Scholasticis et aliis scriptoribus Pontificiis, qui manifestius in hisce quaestionibus πελαγιανίζουσι, interim tamen de efficacia gratiae ipse adhuc tenuius sentit et loquitur, quam par erat, ut patebit ex sequentibus. Porro ut propositae quaestiones rectius intelligantur, observandae sunt hae distinctiones. 1. Quaedam capita fidei Christianae sunt quodammodo natura nota, utpote Deum esse, eundem esse unum, vindicem scelerum, etc. in theoreticis; externa delicta esse cavenda, civilem justitiam praestandam esse, etc. in practicis; quaedam vero sunt mysteria divinitus in verbo patefacta, utpote tres esse trinitatis personas, Christum esse V. 172.
Dei Filium, gratiam Dei et justitiam propter Christum nobis contingere, etc.: ad illa naturali rationis lumine quodammodo potest perveniri, unde notitia DEI naturalis ortum habet, quae tamen est imperfecta, languida et corrupta, ad haec vero ratio nostra prorsus caeca est et obtenebrata. 2. Alia est notitia literae, alia Spiritus. Hypocritae renatis in ecclesia admixti intelligunt articulum de trinitate, de incarnatione verbi, etc. Sed illa notitia sic comparata est, ut litera potius constet quam Spiritu, hoc est, abest ab hac notitia salutaris assensus et fiducia, cum non sit gratiose obsignata per Spiritum sanctum, neque adjunctam habeat veram cordis fiduciam. 3. Quoddam velle hominis est paedagogicum, quod respicit externum verbi auditum et paedagogiam externam, quod praestare homini etiam nondum renato adhuc relictum, aliud vero est internum velle et assensus interior, quo promissiones evangelicae et in illis Dei gratia acceptatur.

An liberum arbitrium recte dicatur se habere passive in conversione.

81. C. 9. et seqq. agit Bellarminus de libertate arbitrii in iis, quae pertinent ad salutem, ac nostram sibi proponit refutare sententiam. Primo autem nominat *crassum errorem, quod Lutherus dixerat, liberum arbitrium non habere activitatem in bono opere, quando de interno opere loquimur, hoc est, liberum arbitrium habere se in conversione passive.* Respondemus: Lutherus non docuit sine cogitatione mentis et assensu voluntatis fieri conversionem, sed negavit ad illos actus naturalibus suis viribus voluntatem active concurrere, hoc est, negavit in mente ac voluntate superesse δύναμιν quandam ἐνεργητικήν, quam per gratiam excitata proferat, et hac ratione Spiritui sancto cooperetur, neque ulterius extendenda similitudo, quam adhibet de luto in manu figuli. Idem dixit Lutherus, quod olim Augustinus de grat. et libero arbitrio c. 16: *Certum est nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus, de quo dictum, Deus est, qui operatur velle,* unde primam illam gratiam non vocat cooperantem, sed operantem. Secundo *accusat Chemnicium, quod mala fide Pelagianum istum errorem Pontificiis tribuat, quasi negent voluntatem nostram nihil omnino boni spiritualis et salutaris efficere posse sine auxilio gratiae Dei.* Respondemus: notae sunt Scholasticorum dis-

putationes de merito congrui, de praeparatione ad gratiam, de possibilitate DEUM diligendi super omnia ex puris naturalibus, etc. Insidiosas aequivocationes decretorum concilii satis dilucide exposuit Dn. Chemnicius, cui respondere debebat Bellarminus, qui itidem sub aequivocationis latibulum se abscondidit, dum per auxilium gratiae intelligit non talem voluntatis immutationem ac renovationem, qua novae ad volendum et consentiendum vires homini tribuuntur, sed pristinae ac sopitae excitantur. Tertio *tribuit nobis hanc sententiam, quod voluntas nostra in bonis pietatis operibus sic agatur a DEO, ut non possit non agere, et quamvis ipsa quoque concurrat active, quoniam ipsa est, quae actionem producit, tamen concurrere ut merum instrumentum Dei naturale, non ut causam liberam et dominam sui actus, atque hoc sensu dicit a nobis negari, quod voluntas nostra cooperetur DEO vel adjuvetur a DEO.* Respondemus: In verbis paucis multa nobis tribuit, quae nequaquam a nobis agnoscuntur, sed insidiosa ista veri status controversiae occultatione opus erat, ne aperta veritas suis emicaret radiis. Primo voluntatem in bonis pietatis sic agi a Deo, ut non possit non agere, nemo nostrum dicit, sive enim per pietatis opera intelligatur ipsa conversio, sive opera piorum post renovationem facta, neutiquam dicendum, voluntatem in illis ita agi a Deo, ut ipsa non possit non agere. Potest enim hominis voluntas Spiritui sancto resistere et opus conversionis impedire, neque enim absoluta, sed ordinaria potentia Deus agit in conversione, possunt renati peccatis contra conscientiam admissis vicissim a Deo deficere, neque enim absoluto quodam Dei decreto sunt electi. Ergo in conversione ita agitur voluntas hominis a Deo, ut possit agere et non agere, hoc est, quando Spiritus sanctus conversionis opus aggreditur, potest voluntas humana pertinaciter reluctans illud impe-
V. 173. dire, ac saepe proh dolor impedit; neque enim vim quandam coactivam infert Spiritus sanctus hominibus convertendis (loquimur de modo ordinario), sed ex nolentibus facit volentes, hoc est, illis, qui per naturam nolunt et non possunt nisi nolle, dat facultatem, ut per gratiam possint velle et vere velint; qui vero pertinaciter nolunt, hoc est, qui Spiritus sancti operationi actuali pertinacia resistunt, illos ordinarie non convertit; accurate enim distinguendum hic est inter nolle privativum et nolle positivum; quin et ipsius nolle positivi sunt certi gradus. Si vero dicatur, voluntatem hominis in bonis operibus ita agi a Deo, ut ipsa non agat nec possit agere, ibi rursus tollendae sunt ambiguitates; quodsi enim hoc ita intelligatur, quod in conversione et post conversionem nulli sint in voluntate motus, falsa est propositio nec a nobis agnoscitur, siquidem nulla fit conversio, nulla quoque fiunt opera bona sine actionibus mentis et voluntatis. Si vero eo modo intelligatur, quod voluntas hominis in bonis operibus ita agatur a Deo, ut ipsa non agat, nec agere possit suis viribus naturalibus (interim possit agere et vere agat novis illis a DEO donatis viribus), vera est propositio, et arcte a nobis tenetur. Deinde nec hoc agnoscimus, quod Bellarminus nobis tribuit, quasi statuamus voluntatem concurrere ut merum instrumentum DEI naturale, non ut causam liberam et dominam sui actus. In primo enim conversionis initio voluntas concurrit, non ut instrumentum cooperans, sed ut subjectum, in quod agit Spiritus sanctus non coactione nec naturali impressione, sed liberatione, illuminatione, renovatione; posteaquam vero voluntas novis viribus donata est, concurrit ut instrumentum (non naturale, sed) liberum, siquidem Spiritus sanctus a renatis libere agentibus per peccata contra conscientiam expelli potest et saepius expellitur. Est igitur hoc respectu et in hoc statu voluntas instrumentum, in quo et cum quo Spiritus sanctus agit, quia *renati ita aguntur Spiritu Dei, ut quod agendum est, agant, non ut ipsi nihil agant,* Augustinus de corr. et grat. c. 2. Tertio multo minus agnoscimus, quod ideo a nobis negetur voluntas cooperari gratiae et adjutorio gratiae divinae indigere, quia concurrit ut instrumentum naturale, non ut causa libera. Sed hoc est, quod credimus, quod modis omnibus approbare contendimus, voluntatem in conversione non agere suis viribus ex prima nativitate adhuc reliquis, sed novarum virium dono indigere; hoc ergo sensu et respectu negamus voluntatem gratiae cooperari, quam post factam renovationem *σύνεργον* esse neutiquam inficiamur.

Rationes pro libertate arbitrii in spiritualibus. 1. Homines dicuntur Dei cooperarii. 2. Ipsa conversio requiritur ab hominibus.

82. His accurate observatis facile patet, quid respondendum sit ad argumenta Bellarmini. Primo loco *profert ea Scriptura testimonia, in quibus dicuntur homines in operibus pietatis operarii, aedificatores, plantatores, rigatores et cooperarii DEI, sed manifestum est* de piis et renatis in illis dictis agi, quos in operibus bonis *συνεργεῖν* concedimus. Secunda classis *continet ea Scripturae dicta, quae ipsam conversionem ab hominibus requirit.* Zachariae 1: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Joël. 2: *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Jerem. 1: *Revertere ad me.* Ezech. 18: *Facite vobis cor novum.* Coloss. 3: *Exuite veterem hominem.* Respondemus: Quemadmodum Pelagiani ex illis dictis non poterunt elicere, quod absque gratia conversionem suam homo operetur, ita etiam Pontificii ex illis nec debent nec possunt elicere, quod homo suis naturalibus liberi arbitrii viribus in conversione gratiae cooperetur, siquidem tales admonitiones nequaquam indicant suis viribus id posse hominem, quod ab ipso requiritur, sed sunt efficacia organa Spiritus sancti, quibus homines ex somno peccatorum excitare et ipsos convertere vult, ut quod ex se non possint, ipsius gratia et dono possint. Quemadmodum enim in evangelica historia Christus dicit: *Puella surge, Lazare veni foras,* neque tamen quisquam ex eo colligit, quod isti suis viribus e morte naturali sese suscitare vel ad sui resuscitationem cooperari potuerint, sed Christo et ipsius verbo vivifico V. 174.
totum hoc opus refertur acceptum; ita quando Spiritus sanctus dicit, *agite poenitentiam, convertimini*

surge, qui dormis, non indicatur quid homo possit, sed quid Deus efficacibus illis admonitionibus operari in homine cum possit tum velit, nisi contumaciter operationi ipsius resistatur; quae collatio ideo nobis grata esse debet, quia Scriptura homines non renatos vocat *mortuos in peccatis*, Ephes. 2. Col. 2. et Christus Joh. 5. resuscitationem corporalem ac spiritualem conferens, utramque verbi sui efficaciae in solidum adscribit. Inde quod Spiritus sanctus a nobis requirit, id non nisi ipsius gratia nos posse agnoscendum est. Jerem. 31, v. 18: *Converte me, Domine, et convertar, ubi convertisti me, egi poenitentiam.* 2. Timoth. 2, v. 25: *Si forte DEUS det illis poenitentiam.* Joh. 6, v. 29: *hoc est opus DEI, ut credatis*, etc. Adde quod in quibusdam dictis per conversionem Dei ad nos non intelligitur salutaris illa conversionis gratia, qua ipse cor nostrum ad poenitentiam revocat, sed declaratio divinae benignitatis in exhibitione beneficiorum, qua sese benevolum ac propitium aversione poenarum declarat, quemadmodum iram suam publicis calamitatibus qnandoque manifestat, Jerem. 15, v. 19. conversionis vox accipitur de reditu ad officium propheticum rite exsequendum, promittit enim Deus prophetae, si non patiatur sinistris populi judiciis sese deterreri, sed potius in officio sibi demandato strenue pergat, fore ut vicissim a Deo sustentetur ac confirmetur. Praeterea dicta quaedam manifeste loquuntur de perpetua illa lucta Spiritus contra carnem in renatis, qua carnis concupiscentias refrenant, et sic veterem hominem exuunt, quod ad homines nondum renatos, qui nec dum primitias Spiritus habent, trahi nequaquam potest. Denique si ex illis praeceptis virium humanarum ἐπιτηδειότης ac ἐνεργητικὴ δύναμις colligenda, sequetur non cooperari, sed operari plane hominem sui conversionem, antequam Deus sua gratia ad ipsum convertatur, qui est ipsissimus Pelagianismus. Tertia classis argumentorum Bellarminianorum *continet ea Scripturae dicta, quae docent nos a Deo juvari in operibus bonis, non enim proprie juvari dicendus est, qui nihil agit, sed qui laborat in agendo.* Psal. 26: *adjutor meus es tu.* Psal. 69: *Domine, ad adjuvandum me festina.* Roman. 8: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* 1. Corinth. 15: *plus omnibus laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum.* Respondemus: In hisce dictis agitur de renatis et credentibus, qui cum propter inhaerentem carnis vetustatem adhuc infirmi sint, opus habent auxilio et confirmatione Spiritus sancti. Augustinus primam conversionis gratiam non vocat adjuvantem, sed praevenientem atque operantem, lib. 2. contra duas epist. Pelag. c. 9: *Bonum propositum quidem adjuvat subsequens gratia, sed nec ipsum esset, nisi praecederet gratia, studium quoque hominis, quod dicitur bonum, cum esse coeperit, adjuvatur gratia, sed inspiratur ab illo, de quo dictum: DEUS est, qui operatur in vobis velle et perficere.* de corrept. et grat. c. 12: *Si in tanta infirmitate hujus vitae renatis relinqueretur voluntas renovata, ut in adjutorio Dei, si vellent, maneret; nec DEUS in eis operaretur, ut vellent, inter tot et tantas tentationes infirmitate sua voluntas succumberet.* Ex quibus et similibus locis quam plurimis patet adjuvantem gratiam ab Augustino tunc primum poni, quando sine veteris hominis cooperatione gratia praeveniens operata est velle, tunc enim adjuvat, ne frustra velimus. Porro ad veterum dicta, in quibus adjutorium gratiae praedicatur, recte explicanda notandum est, quod verba succurrendi, auxiliandi, adjuvandi et similia, quando DEO tribuuntur, haud raro totalem causam exprimant, nec laudem operationis inter DEUM et homines partiantur. Sic in psalmis et prophetis subvenire et auxiliari Deus dicitur illis, quos ex ejusmodi miseriarum barathro eruit, in quibus omnis cessat operatio humana et sola solius DEI virtus sese profert. Dictum 1. Corinth. 15. loquitur itidem de Paulo renato ac converso, qui sibi nihil, divinae autem gratiae omnia tribuit, dum se gratia Dei esse, quod est, pronuntiat. Graecus textus proprie sic habet: *Plus omnibus laboravi, non ego tamen, sed gratia Dei ἡ σὺν ἐμοί*, scilicet οὖσα, *quae mecum, scilicet est ac fuit, quae me ἱκανὸν reddidit*, nequaquam vero quae mecum operas suas et operis laudem est partita, id quod oppositio non ego, sed gratia DEI, quae mecum, satis diserte comprobat. Ambrosius in comment.: *Ne se extulisse jactanter putaretur, statim se humiliat, cum hoc ipsum non magis sibi, sed DEI gratiae adscribit, ut semper omnem gloriam reportet ad DEUM.* Erasmus in annot.: *Corrigit Paulus, quod modo dixerat, se plus omnibus laborasse, imo* (inquit) *non ego is sum, qui hoc feci, sed gratia potius DEI; quae mihi affuit, ut intelligamus, totum hoc DEO acceptum ferri.* Quarto loco profert Bellarminus *dicta quae testantur, hominem a DEO vocatum posse non venire.* Proverb. 11: *vocavi, et renuistis.* Matth. 23: *volui congregare filios tuos, et noluisti.* Actor. 7: *Vos resistitis Spiritui sancto*, etc. Respondemus: Ostendimus superius, non esse parem rationem, ad resistendum suis sibi viribus hominis voluntas sufficit, sed ad acquiescendum novis viribus indiget, *inest ei nolle bonum, sed nisi donatum non habet velle bonum.* Ambros. 2. de vocat. gent. c. 9.

83. De dictis veterum, quae c. 11. Bellarminus affert, in genere egimus superius, pleraque omnia, quae hoc loco cumulantur, dicta praesertim Augustini testantur velle esse voluntatis nostrae actum, quod nos non negamus, interim ex ipso Augustino addimus, esse actum voluntatis non sub vetustate adhuc constitutae, sed per Spiritum sanctum renatae ac renovari coeptae. lib. 2. de pecc. merit. c. 5: *Ipsum liberum arbitrium ad DEI gratiam, hoc est, ad Dei dona pertinere non ambigo, nec tantum ut sit, verum etiam ut bonum sit, id est, ad facienda mandata Domini convertatur*, de grat. et liber. arbitr. c. 16: *Certum est nos velle, cum volumus, sed ille operatur velle et perficere praebendo voluntati vires efficacissimas, de quo scriptum est: Deus operatur in nobis velle et perficere.* De prae-

Marginalia: 3. Iuvamur a Deo in bonis operibus. — Vox adjuvandi. — V. 175. — 4. Homo vocatus potest non venire. — Dicta patrum de libertate arbitrii in spiritualibus.

dest. sanct. c. 7: *Nostrum esse credere et velle ita intelligendum esse* dicit, *quod utrumque sit Dei, qui praeparat voluntatem, et utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis.* Bernhardus de grat. et libr. arbitr.: *Hoc est totum opus liberi arbitrii quod consentit, non quidem quod vel ipse consensus ab ipso sit, cum nec cogitare, quod minus est, quam consentire, a nobis quasi ex nobis sufficientes simus.* Regerit Bellarminus, *sese itidem agnoscere praevenientis gratiae auxilium*, sed quid hoc nomine intelligat et quam insidiose ludat, ostendimus superius. Rationes, quas c. 12. affert, itidem paulo ante excussimus, restat igitur, ut reliqua Scripturae dicta, quibus praeter Bellarminum reliqui assertores ac propugnatores liberi arbitrii utuntur, explicemus, ut vera ac genuina istorum dictorum sententia elucescat.

Scripturae dicta reliqua pro libero arbitrio. 1. Psalm. 119: Inclinavi cor meum ad praecepta tua.

84. Psalm. 119, v. 112: *Inclinavi cor meum ad observanda praecepta tua. Ergo est in potestate hominis cor suum in utramque partem flectere.* Respondemus: Plus est in consequente quam antecedens permittit. Non enim si David cor suum ad observanda praecepta Domini inclinavit, viribus liberi arbitrii id fecisse consequitur, sed a Spiritu s. renovatus id fecit, siquidem in eodem psalmo inclinationem istam Spiritus sancti opus esse agnoscit, quando sic orat v. 33: *Doce me, Jehovah, viam statutorum tuorum et inclina cor meum ad testimonia tua.* Docet ergo David, non quid viribus suis fecerit, sed quomodo fecerit, quod Spiritus sancti gratia fecerat, videlicet animo spontaneo et propenso, non servili et coacto obsequio, debet enim esse obedientia spontanea, quae ex corde proficiscitur Psal. 110, v. 3. Ambrosius de fuga seculi c. 1. et ex eo Augustin. de bono perseverant. c. 8: *Voti magis eam rem (seculi fugam) esse quam effectus, testatur propheta dicendo, inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam, non enim in potestate nostra est cor nostrum et cogitationes nostrae* etc. *Deus dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat fidem.* V. 176 — 184 [sic].

Hos. 5: Vadam ad locum meum.

85. Hoseae 5, v. 15: *Vadam ad locum meum, donec ponant in corde suo et quaerant faciem meam. Ergo hominis voluntas potest se ad Deum suis viribus convertere.* Respondemus: Vadere ad locum non significat Deum subtracturum gratiam suam et exspectaturum, ut suis sese ad ipsum viribus homines convertant, sed abscondere faciem suam in cruce, urgere pondere calamitatum, ut ad peccatorum agnitionem perveniant, ideo additur, *ubi fuerit ipsis afflictio, properabunt ad me.* Esa. 26, v. 16: *in angustia visitaverunt te, effuderunt orationem, cum correctio tua fuit eis.* Calamitates sunt reales quasi conciones legis, cujus praedicatione Spiritus s. vult in cordibus hominum efficax esse ad peccatorum agnitionem ac detestationem, neque enim afflictiones ex se et per se operantur poenitentiam, nisi Spiritus sanctus intus corda afficiat atque mutet, siquidem impii per calamitates saepe redduntur deteriores. Adde quod verba illa עַד אֲשֶׁר יֶאְשְׁמוּ non recte sint reddita, *donec ponant in corde suo*, cum radix sit אָשַׁם, ideo Munsterus reddidit, *donec afflatio erunt*, id est, donec propter poenam cum flatu quodam fiant abominabiles; Pagninus, *donec deficiant.* Targum, *quoad agnoscant, quod peccaverint*, meritoque aequissimi judicis severitatem inde sustineant.

Matth. 12: Aut facite arborem bonam.

86. Matth. 12, v. 33: *Aut facite arborem bonam et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam et fructum ejus malum. Ergo habent homines liberum arbitrium convertendi se ad Deum vel non convertendi.* Respondemus: Multa tunc fieri dicuntur, quando facta esse demonstrantur, ita quoque hoc loco non effectio, sed declaratio arboris bonae vel malae intelligitur, siquidem additur, *ex fructu arbor dignoscitur;* perquam etiam absurdum foret, Christum jubere, ut homines se ipsos faciant malos. Pharisaei interiora cordis peccata, superbiam, invidiam, odium, ambitionem, etc. hypocritico exterioris sanctitatis velo obtegebant, hanc igitur fallacem larvam ac fictam personam Christus eos deponere jubet, ut quales sint interius, tales ab hominibus agnoscantur exterius, ut sit concordia oris, operis et cordis. Nequaquam vero Pharisaeis hanc facultatem Christus tribuit, quod suis sese viribus ad Deum convertere et bonas arbores facere possint, quin potius diserte addit: quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Alii ad Christum ipsum referunt. Aut agnoscite me esse bonum et bene agere, aut me malum esse ac proinde male agere, sed prior interpretatio textui magis congrua.

Marc. 9: Credo Domine, sed succurre infirmitati.

87. Marc. 9, v. 24: *Credo, Domine, sed tu succurre incredulitati. Ergo inchoamus nostris viribus conversionem.* Respondemus: Probandum erit sanctam illam cogitationem, bonum propositum, ac primam fidei scintillam ex propriis naturae viribus, non autem ex Spiritus sancti operatione exstitisse, quod hic locus neutiquam asserit, succurrit Deus infirmae fidei, quae est gratia adjuvans, interim nulla ne modicula quidem fidei scintilla est, quam ipse non excitaverit, quae est gratia operans ac praeparans. *Nemo potest* (corde vere fideli) *Christum vocare Dominum nisi per Spiritum sanctum,* 1. Corinth. 12, v. 3; jam vero ex fide licet infirma hic pater lunatici Christum vocat Dominum, utique igitur ex Spiritus sancti dono. Audiverat de Jesu Nazareno, quod divina potestate morbos curaret atque obsessos liberaret, ex quo auditu per Spiritus sancti operationem concepit primam fidei scintillam, ex qua ad Christum venit, qui imbecillitati fidei succurrit.

Luc. 8: Videte, quomodo audiatis.

88. Luc. 8, v. 18: *Videte, quomodo audiatis. Ergo nostrarum virium est, cum assensu quodam audire posse.* Respondemus: illud quomodo complectitur quaedam, quae in non renatorum arbitrio ac viribus posita, praesertim ea, quae ἀποφατικῶς efferuntur, videlicet quod verbum audiendum sit V. 185.
non contradicendi affectu, non calumniandi studio, nec blasphemandi proposito; quaedam vero quae non nisi per Spiritus sancti operationem voluntas

humana potest, praesertim ea, quae κατᾳφατικῶς afferuntur, utpote cum assensu cordis et obsequio voluntatis audire, prius vocant audire externum, posterius audire internum. Proinde hac Christi sententia ad auditores, quorum quidam jam regenerati erant, ut apostoli, quidam vero nondum renati erant, promiscue prolata, admonet renatos, ut exsuscitent donum Dei, quod in se est, siquidem ipsi renati propter adhaerentem carnis infirmitatem talibus stimulis indigent, quibus ad majorem diligentiam excitentur, ne fides a Spiritu sancto accensa paulatim in cordibus vicissim exstinguatur; non renatos a contradicendi, calumniandi et blasphemandi studio dehortatur. Huc pertinet liber Augustini de correptione et grat., in quo ostendit, illas correptiones et adhortationes esse salutaria organa, per quae Spiritus sanctus vult esse efficax in cordibus hominum. Idem de bono persev. c. 14: *Dominus cum eis loqueretur, quia carnales aures apertas habebant, dicebat tamen, qui habet aures audiendi, audiat, quas non omnes habere procul dubio noverat. A quo autem habeant quicunque habent, ipse Dominus ostendit, ubi ait, dabo eis cor cognoscendi me et aures audientes; aures ergo audiendi, ipsum est donum obediendi.*

Luc. 10: Viator semivivus relictus.

89. Luc. 10, v. 30: *Viator a latronibus sauciatus, semivivus relinquitur. Viator ille est typus humani generis a diabolo sauciati et spoliati. Hominem relictum esse semivivum* (ait Salmeron Jes. in comment. hujus parab. tract. 16.) *significat liberum arbitrium non esse exstinctum.* Respondemus: 1. Allegoriae non praebent argumenta apodictica, nisi ex ipsa Scriptura explicatio deducatur vel certe cum Scriptura consentire probetur. 2. Christo hoc loco proprie et principaliter non est propositum de statu hominis post lapsum et ejus reparatione, sed de proximo et dilectionis officiis ipsi debitis agere, proinde non omnes hujus parabolae partes tam operose et subtiliter sunt excutiendae, sed sufficit principalem scopum tenere, qua de re plura diximus in tractat. de interp. Scripturae. 3. Si velimus ad hominem lapsum referre, quod relictus fuerit semivivus, nequaquam de vita spirituali atque adeo de conversione, fide et obedientia Deo placente, sed de vita naturali et de externa disciplina illud accipiendum, nam quod vitam spiritualem ac vires ad eam inchoandam necessario attinet, non semivivum, sed plane mortuum Scriptura pronuntiat Joh. 5, v. 25. Ephes. 2, v. 5. Macarius homil. 30. *illud semimortuum esse* confert *cum Lazaro quatriduano in sepulchro jam foetente.* Lyra: *sublata est vita gratiae, manente vita naturae.* Maldonatus in comment.: *Quod dicitur semimortuum esse relictum, nihil aliud significat, quam eum in statu maxime miserabili relictum esse, nam ita relictum esse, ut semimortuus esset, miserabilius est quam si fuisset mortuus, quo magis miseriam sentiebat suam.* Novimus auctorem hypognost. libr. 3. locum hunc ad liberum arbitrium referre: *Recte* (inquit) *dictus est semivivus, habebat enim vitalem motum, id est, liberum arbitrium vulneratum, quod ei solum ad vitam aeternam, quam perdiderat, redire non sufficiebat, ideo et semivivus dicitur.* Sed intelligitur eo loco nomine arbitrii ipsa voluntas, qua per lapsum hominem non esse spoliatum libenter concedimus; si vero intelligatur libertas rectitudinis, de ea paulo post idem auctor sic scribit. *Quid aliud ostenditur in ove illa perdita ex centum ovibus, nisi liberum arbitrium possibilitatis bono vitio primi hominis perdito a justorum errasse consortio, nec per se ad cohortem, in est, ad paradisum, de quo exivit, fidelium numero resociandum posse reverti,* etc.; hoc Dominus probat, cum vulneratum a latronibus non proprio gressu, sed jumento superimpositum ad stabulum dicit esse delatum.

Luc. 11: Pater coelestis v. 186. dabit Spiritum sanctum petentibus.

90. Luc. 11, v. 13: *Pater coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Ergo absque Spiritus sancti gratia possumus Deum invocare.* Respondemus: Non de prima scintilla fidei et Spiritus loquitur Christus, quasi precibus nostris a naturalibus liberi arbitrii viribus profectis et absque Spiritus gratia effusis eam antevertere queamus, sed de accepti jam Spiritus sancti augmento et donorum ejus incremento, quod enim primam fidei scintillam et salutarem Dei invocationem attinet, diserte testatur apostolus, quod *nemo possit dicere Jesum Dominum, nisi per Spiritum sanctum.* 1. Cor. 12, v. 3; quomodo ergo possemus orare sine Spiritu sancto, qui solus est *Spiritus gratiae et precum* Zachar. 12, v. 10, *qui docet nos orare.* Joh. 4, v. 23. Ergo non de praeveniente, sed subsequente, non de operante, sed cooperante Spiritus gratia, non de primis in conversione motibus, sed de augmento donorum Spiritus Christus loquitur, id quod circumstantiae insuper ostendunt, siquidem loquitur Christus ad apostolos, qui Spiritu sancto jam erant renovati, atque utitur similitudine ab effectu patris terreni erga liberos a se quippiam petentes et ostendit discipulos Spiritus s. dona a coelesti Patre petentes exaudiendos esse, cum non sint extranei, sed carissimi Dei filii. *At* (inquis) *quare hac dicendi forma Christus utitur?* voluit docere non esse exspectandos violentos et sensibiles motus, ex quibus de Spiritus sancti gratia ac praesentia statuere possimus, licet repugnemus verbo et pravis affectibus indulgeamus, sed quando habemus desiderium, etiamsi vix obscuro gemitu sese exserat, certi simus Spiritum sanctum adesse ac operari. Voluit etiam imbecillitatem nostram erigere, ne deficiamus, licet tenuia et obscura sint principia, sed petamus ea augeri, quae omnia melius ex praxi, quam ex nudis disputationibus intelliguntur. Fulgentius epist. 6. ad Theod.: *Semper quidem adjutorium gratiae nobis est a Deo poscendum, sed nec ipsum quod poscimus, viribus nostris assignemus, neque enim haberi potest ipse saltem orationis affectus, nisi divinitus fuerit attributus. Ut ergo desideremus adjutorium gratiae, hoc ipsum quoque est gratiae, ipsa namque incipit posci.* Augustinus lib. 4. contra Jul. c. 8: *Ibi vos* (Pelagiani), *ut video, ponere jam coepistis merita gratiam praecedentia; quod est petere, quaerere, pulsare, ut his meritis debita illa reddatur, ac si*

gratia inaniter nuncupetur, tanquam gratia nulla praecesserit et cor tetigerit, ut beatificum bonum peteretur a Deo, ut quaereretur Deus, ut pulsaretur ad Deum, frustraque sit scriptum, misericordia ejus praeveniet me. Haec Augustinus. *Fides fundit orationem et oratio fusa fidei impetrat firmitatem;* nulla est Deo grata oratio absque fide, jam vero fides est DEI opus atque donum.

Luc. 15: Surgam et ibo ad patrem. 91. Luc. 15, v. 18: *Acolastus in corde suo dicit: surgam et ibo ad patrem. Ergo initium conversionis est ex nobis.* Respondemus: Augustin. epist. 106. ad Paul.: *Ille qui putavit sine DEI adjutorio se posse custodire quod dedit, profectus in regionem longinquam et vivens prodige cuncta consumsit, et miseria durae servitutis attritus reversusque in semet ipsum dixit: surgam et ibo ad patrem meum. Quam cogitationem bonam quomodo haberet, nisi et ipsam illi in occulto missericordissimus Pater inspirasset?* libr. 2. quaest. evangel. c. 33: *Unde hoc scire poterat, in quo erat tanta oblivio Dei, nisi quia ista recogitatio jam resipiscentis est, cum evangelium praedicaretur? Hoc ipsum velle operatus est is, de quo scriptum, Deus est, qui operatur velle; hanc bonam cogitationem inspiravit ei, qui non fuit idoneus cogitare aliquid boni ex se, tanquam ex se.*

Joh. 1: Dedit potestatem filios Dei fieri. 92. Joh. 1, v. 12: *Quotcunque reperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomen illius. Ergo antequam sumus Dei filii, habemus potestatem ac facultatem tales fieri.* Respondemus: recipere Christum est credere in Christum, *nemo autem potest in Christum credere, nisi hoc ipsi datum sit a Deo* Philip. 1, v. 29, quod ipsum Johannes docet, quando subdit: *Qui non ex sanguinibus neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt,* ubi opponit regenerationem ex DEO nativitati ex carne et sanguine, ostendens coeleste
v. 187. et divinum esse donum, quod fide recipiunt Christum, qui alias in tenebris suae incredulitatis perpetuo manerent, eo enim titulo homines nondum renatos in praecedentibus honorat, ad prosternendam virium nostrarum arrogantiam. Quin imo notanter dicit credentibus *datam* esse illam ἐξουσίαν, utique igitur ex ipsorum viribus non est enata. Porro quod evangelista dicit, fidelibus datam esse illam potestatem, nequaquam eo trahi debet, quasi qui vere credunt in Christum, nondum sint Dei filii, sed demum tales futuri, quia fides et υἱοθεσία sunt arctissime et immediate connexa. Gal. 3, v. 26: *Omnes estis filii Dei per fidem.* Joh. 5, v. 36: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam,* id saltem in hoc dicto innuitur, quod quamvis fides et υἱοθεσία tempore sint simul, ordine tamen sese habeant ut prius et posterius, fides enim in Christum seu potius Christus fide apprehensus est causa istius υἱοθεσίας et vicissim haec illius veluti effectus est, ad quem ordinem respiciens evangelista tali genere loquendi utitur, praeterea respicit non solum inchoatum illud υἱοθεσίας in hac vita beneficium, sed etiam futurum, videlicet illustrem revelationem filiorum Dei in die novissimo conjunctam cum plena (ut ita loquar) hereditatis coelestis participatione 1. Johan. 3, v. 2: *filioli nunc filii Dei sumus, sed nondum apparuit id, quod futuri simus,* etc. Augustinus lib. 1. contra duas epist. Pelag. c. 3: *Datur potestas, ut filii Dei fiant, qui credunt in eum, cum hoc ipsum datur, ut credant in eum. Quae potestas nisi detur a Deo, nulla esse potest ex libero arbitrio, quia nec liberum in bono erit, quod liberator non liberaverit.* lib. 2. de consensu evangelist. c. 3: *Quos dixit accepta potestate factos Dei filios, quod adoptio significat, eosdem dixit natos ex Deo, atque ut apertius ostenderetur, qua gratia factum sit, et Verbum, inquit, caro factum est et habitavit in nobis, tanquam diceret, quid mirum, si filii Dei facti sunt, cum caro essent, propter quos unicus caro factus est, cum Verbum esset?*

93. Joh. 6, v. 45: *Omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me. Ergo potest homo suis viribus ita audire ac discere, ut ad Christum veniat.* Respondemus: Christus ibidem diserte ait: *Nemo potest ad me venire, nisi Pater traxerit eum, scriptum est in prophetis, erunt omnes θεοδίδακτοι, postea demum sequitur, omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.* Continentur ergo in illo Christi dicto talia, quae vires liberi arbitrii funditus prosternunt, si enim tractione indigemus, utique non nostris viribus venimus. Sed enim cum Deus doceat ac trahat non immediate ac per violentos raptus, sed mediate per verbum, ideo Christus in his verbis exprimit ordinem, quo Deus solet homines docere ac trahere, antevertit omnem nostrum cursum et conatum, ac per verbi praedicationem non solum exterius, sed etiam interius docet, mentem illuminat, voluntatem flectit. Cyrillus hoc loco: *Trahit Pater monitione, doctrina et revelatione, ubi enim auditus, disciplina, doctrinaque adest, ibi fides non vi, sed persuasione oritur.* Augustinus tract. 26. in Joh.: *Videte, quomodo trahat Pater, docendo delectat, non necessitatem imponendo. Doceat te Pater, audi Filium.* Idem 1. de grat. Christ. contra Pelag. c. 14: *Quando DEUS docet per Spiritus gratiam, ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. Et isto divino docendi modo etiam ipsa voluntas et ipsa operatio, non sola volendi et operandi naturalis possibilitas adjuvatur. Si enim solum posse nostrum hac gratia juvaretur, ita diceret Dominus, omnis, qui audivit a Patre et didicit, potest venire ad me.* De praedest. sanct. c. 8: *Valde remota est a sensibus carnis haec schola, in qua Pater auditur et docet, ut veniatur ad Filium; multos venire videmus ad Filium, quia multos credere videmus ad Christum, sed ubi et quomodo a Patre hoc audierint et didicerint, non videmus; nimirum gratia ista secreta est, gratiam vero esse quis ambigit?* etc. *quando ergo Pater intus auditur et docet, ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum et dat cor carneum.* Joh. 6: Qui audivit et didicit, venit ad me.

94. Joh. 7, v. 17: *Si quis volet Patris voluntati obtemperare, cognoscet de doctrina mea, num ex Deo sit, an ego a me ipso loquar. Ergo homo non-* v. 188. Joh. 7: Qui volet Patris

voluntatem facere, cognoscet de doctrina méa. *dum cognoscens Christi doctrinam potest Patris voluntati obtemperare.* Respondemus: Non tribuitur hoc Christi pronuntiato talis quaedam facultas hominibus non renatis, quod suis sese viribus coelestis Patris voluntati subjicere atque accommodare possint in ipso interiore conversionis opere, sed requiritur ab eis, quibus concredita erant *τὰ λόγια τοῦ θεοῦ*, ut absque praejudiciis atque affectibus Christi doctrinam cum revelato verbo conferant, nec pertinaci protervia contra conscientiae testimonium ei contradicere pergant. Lyra in comm.: *Amor et odium multum pervertunt judicium rectae rationis, ideo monet eos, ut amoveant odium, quod contra ipsum conceperant, et tunc poterunt manifeste judicare, quod ejus doctrina sit a Patre per miracula eam testificante.* Augustinus tract. 29. in Joh.: *per τὸ facere voluntatem Patris accipit ipsum credere; quid est cognoscet? hoc est intelliget. Quid est autem si quis voluerit voluntatem ejus facere? hoc est credere, ut intelligatur ad possibilitatem intelligendi datum esse consilium de obedientia credendi.*

Joh. 15: Sine me nihil potestis facere. 95. Joh. 15, v. 4: *Sine me nihil potestis facere. Ergo adjuti a Deo aliquid possumus facere.* Respondemus: Vocula *nihil est μόριον ἐκκλειστικόν*, viribus arbitrii nostri extra gratiam nihil plane relinquens, id quod confirmat similitudo a Christo adhibita. Sicut palmes a se ipso non potest facere fructum, sed vitam et succum a vite accipere necesse habet, quod si a vite separetur, protinus arescit; ita sine Christo nihil omnino facere possumus: quid quod vocula *sine* non adjuvantem aut cooperantem
V. 189. causam semper innuit, sed cum Deo attribuitur, plerumque totalem causam designat; Joh. 1, v. 3. *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*, hoc est, non solum omnia ipse fecit, sed etiam a
V. 190. nullo adjutus omnia fecit, quod exemplum pulchre ad articulum reparationis et *ἀνακτίσεως* applicari poterit. August. lib. 2. contra duas epist. Pelag. c. 8: *Dominus ut responderet futuro Pelagio, non ait, sine me difficile potestis aliquid perficere, sed ait, sine me nihil potestis facere. Et ut responderet futuris etiam istis in eadem ipsa evangelica sententia, non ait, sine me nihil potestis perficere, sed facere. Nam si perficere dixisset, possent isti dicere, non ad incipiendum bonum, quod a nobis est, sed ad perficiendum esse Dei adjutorium necessarium.* Quod si de ipsis renatis Christi dictum accipiatur, quo sensu accipit August. de Spiritu et lit. c. 29. [neque id incommode, cum ad apostolos Christus loquatur, quos ceu palmites viti coelesti insertos esse dixerat,] sane concedimus illos Dei adjutorio ita indigere, ut interim etiam ipsi cooperentur, sed cum illa *συνέργεια* non oriatur ex pristinis et ex veteri nativitate adhuc reliquis, sed novis a Spiritu s. donatis viribus, ideo ad stabiliendam liberi arbitrii in ipsa conversione efficaciam accommodari omnino nequit. Si enim ne renati quidem in rebus spiritualibus et divinis ex sese quicquam facere neque ulla opera sine Christi gratia edere possunt, quanto minus hominibus non renatis et extra Christi gratiam constitutis tantillum fuerit adscribendum.

96. Act. 5, v. 32: *Deus dat Spiritum sanctum obedientibus sibi. Ergo possumus Deo obedire antequam Spiritu s. donemur.* Respondemus: *φρόνημα σαρκὸς* est *ἔχθρα εἰς τὸν θεόν*. Rom. 8, v. 7; quomodo ergo possumus Deo obedire ante acceptam Spiritus s. gratiam? Agitur autem in dicto Petri non de donis Spiritus s. communibus, quae omnibus piis ad renovationem et sanctificationem sunt necessaria, sed de miraculoso illo dono visibiliter illabentis super primitivae ecclesiae discipulos Spiritus sancti, quae effusio non contingebat alienis a fide et pietate Christiana, sed illis solum, qui verbo obedierant, qui per verbum in fidem et obsequium doctrinae evangelicae traducti erant. Quod si ad conversionis negotium hoc applicetur, dicendum erit, Spiritum sanctum dari obedientibus, hoc est, illis, qui verbum audiunt ac meditantur, nec hostiliter resistunt Spiritus sancti operationi, phrasi enim Hebraea verba affirmata saepius ponuntur pro contrariis negatis, qua ratione pertineret hoc dictum ad regulam accurate in hoc negotio tenendam, non esse quaerendos violentos raptus nec exspectandos enthusiasticos motus, sed Spiritum sanctum esse efficacem per vocem evangelii auditam ac cogitatam. V. 191. Act. 5: Deus dat Spiritum s. obedientibus sibi.

97. Act. 10, v. 4: *Preces et eleemosynae Cornelii ascenderunt ad Deum, antequam a Petro doceretur et Spiritum sanctum acciperet. Ergo homines instructi sunt facultate praeparandi se ad gratiam.* Respondemus: Cornelius antequam a Petro doceretur et miraculosa Spiritus s. dona acciperet, habuit aliquam per Spiritum sanctificationis de Messia et officio ipsius notitiam ac fide Messiam amplectente praeditus fuit, quamvis nondum sciret, quae persona in individuo esset ille mediator ac Messias, dicitur enim fuisse *εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν θεόν*, v. 2. cujus *προσευχαὶ καὶ ἐλεημοσύναι ἀνέβησαν εἰς μνημόσυνον ἐνώπιον τοῦ θεοῦ*, v. 4; utique ergo aliqua fide praeditus fuit, *quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt?* Rom. 10, v. 14. *sine fide impossibile est placere Deo.* Hebr. 11, v. 6. August. lib. 1. de praed. sanct. c. 7: *Quicquid Cornelius, antequam crederet et cum crederet et postquam credidisset, bene operatus est, totum Deo dandum est, ne quis extollatur.* Lib. 1. ad Simplic. q. 2: *In quibusdam tanta est fidei gratia, quanta non sufficit ad regnum coelorum obtinendum, sicut in Cornelio, fiunt igitur in conversione inchoationes similes conceptioni, non tamen solum concipi, sed et nasci opus est, nihil tamen horum fit sine gratuita Dei misericordia.* Beda in hunc loc.: *Cornelius non virtutibus ad Deum, sed fide pertingebat ad virtutes.* Gloss. ord. ex Greg.: *Cornelius, cujus eleemosynae ante baptismum angelo testante laudantur, non operibus ad fidem, sed fide venit ad opera. Si enim ante baptismum Deo non credebat, quomodo orabat, aut quomodo hunc Deus exaudiret, si profectum boni ab ipso non peteret? Sciebat igitur Deum creatorem omnium, sed ignorabat Filium incarnatum, fidem habuit, cujus eleemosynae et orationes Deo placuerunt.* [Quod vero ibidem additur in glossa, *Cornelium bono opere promeruisse, ut Deum cognosceret*, id praemissis adversatur.] Act. 10: Preces et eleemosynae ascenderunt ad Deum.

Act. 26: Non fui inobediens coelesti visioni.

98. Act. 26. *Paulus coram rege Agrippa historiam suae conversionis commemorans dicit*, *se non fuisse inobedientem coelesti visioni*, v. 19; *ergo obtemperavit ex suis viribus coelesti vocationi.* Respondemus: Ex versu proxime sequente evidenter apparet, apostolum non loqui de obedientia primae conversionis, sed de obedientia conversionem insecuta in obeundo praedicationis evangelicae munere et concredito sibi apostolatu, sic enim habent verba: *Non fui inobediens coelesti visioni, sed his, qui sunt Damasci primum et Hierosolymis, et in omnem regionem Judaeae et gentibus annuntiabam, ut poenitentiam agerent.* Nec illustrius exemplum gratuitae conversionis facile dabitur, quam hoc ipsum Pauli, qui ex persecutore tantus apostolus sola Dei gratia et efficaci mutatione factus. *Dic mihi*, inquit August. lib. 1. contra duas epist. Pelag. ad Bonif. c. 19.
V. 192. *quid boni Paulus adhuc Saulus volebat ac non potius magna mala* etc., *quibus meritis bonae voluntatis Deus illum ab his malis ad bona mirabili et repentina vocatione convertit?*

Galat. 3: Promissio Spiritus accipitur fide.

99. Gal. 3, v. 14: *Promissio Spiritus accipitur per fidem. Ergo fides praecedit Spiritus sancti acceptionem.* Respondemus: Hoc argumentum erudite tractat Dn. Chemnicius p. 1. loc. in art. de lib. arb. c. 6. p. 479. et in judicio de controv. quibusd. qq. p. 52. summatim hoc asserit, cum in quamplurimis Scripturae pronuntiatis fides dicatur donum et opus Spiritus s., ideo non posse dici, quod fides ex naturalibus viribus ante Spiritus s. gratiam concipiatur et accendatur; sensum igitur dicti apostolici hunc esse, quod accipiamus Spiritum s. per verbum, quando audimus et meditamur vocem evangelii, quod *est ministerium Spiritus* 2. Cor. 3, v. 6, neque enim haec sunt divellenda, quod primum sentiamus operationem Spiritus s. et postea sequatur auditus et meditatio verbi, neque existimandum nostra meditatione vel desiderio impetrari Spiritum s. Sed Spiritus s. praevenit nostram voluntatem, nec tamen per raptus enthusiasticos vel violentos, sed quando ordimur a verbo. Quod ergo hoc loco dicitur *fide accipi promissionem Spiritus*, id v. 2. sic explicatur, quod Spiritus accipiatur *ἐξ ἀκοῆς τῆς πίστεως*, *per auditum praedicatae fidei*, seu per praedicationem evangelii, auscultatione perceptam. Gloss. interl. per promissionem Spiritus intelligit beatitudinem, quam Spiritus in arrham datus promittit. Alii de incremento donorum Spiritus s. locum accipiunt, quia credentibus donantur plura Spiritus dona ac prius data augentur; sed prior explicatio simplicior est et textui convenientior.

2. Tim. 2: Qui se ipsum expurgaverit, erit vas in honorem.

100. 2. Tim. 2, v. 21: *Si quis se ipsum ab his expurgaverit, erit vas in honorem sanctificationis et utile Domino ad omne opus bonum. Ergo per liberum arbitrium potest homo sese praeparare, ut sit aptus Dei obsequio.* Respondemus: Augustinus Coelestio hoc dictum urgenti lib. 3. hypogn. respondet: *alia est ratio jam credentis in Deo per gratiam illuminati ac reparati, alia vero non credentis.* Neque enim nostris nos emundare possumus viribus, sed Deus est, *qui fide purificat corda.* Act. 15, v. 9. *per Spiritum purificat animas.* 1. Petr. 1, v. 22; quod ergo ex nobis non possumus, illud ipso donante et efficaciter operante possumus.

Apoc. 3: Ecce sto ad ostium et pulso.

101. Apoc. 3, v. 20: *Ecce sto ad ostium et pulso, si quis audierit vocem meam et aperuerit ostium, ingrediar ad eum et coenabo cum eo. Ergo ex nostris liberi arbitrii viribus possumus Christo pulsanti ostium cordis nostri aperire.* Respondemus: non ἱκανότης nostrarum virium, sed officii nostri debitum exprimitur. Docemur enim ministerio legis veluti malleo quodam corda nostra pulsari, nostrum igitur esse aures nostras non obturare, neque corda indurare, sed pulsantis vocem audire, fores cordis aperire et ingredientem prompte recipere, id quod non nostra, sed Dei virtute possumus, *qui operatur in nobis velle* Phil. 2, v. 13. *qui aperit cor nostrum* Act. 16, v. 14. et dignum sibi in eo parat habitaculum. Quando Deus ostium cordis nostri per verbum, praesertim per conciones legis pulsat, adest simul gratia Spiritus s., qui in corde nostro conversionem vult operari, ergo in illa pulsatione non tantum forinsecus adstat, sed etiam interius agit.

CAPUT VII. V. 193.

ERRANTES DE LIBERO ARBITRIO IN DEFECTU.

Errores in defectu.

102. Atque haec dicta sint de Pelagianis liberi arbitrii defensoribus et quotquot ipsorum legunt vestigia, qui ad dextram a coelestis veritatis tramite in hoc articulo secessionem faciunt. Ad sinistram declinant, quotquot in ἐλλείψει hic peccant, utpote 1. Valentiniani, Marcionitae et illos secuti Manichaei, qui absolutae necessitatis legibus omnes hominis actiones adstringunt, peccatum non a libera hominis voluntate, sed ex mala quadam substantia a malo principio creata ortum esse statuunt, atque adeo omnem et in civilibus et malis actionibus libertatem tollunt, de quibus videantur scripta veterum praesertim Irenaei ac Tertulliani; 2. Enthusiastae a Messalio orti, qui Spiritum s. immediate sine verbi adminiculo violento raptu vel per speculationem somniorum vel per simulationem orationis illabendo homines convertere statuunt, de quibus videatur Tripart. l. 7. c. 11: quidam statuunt, eosdem cum Enthusiastis esse Euchitas, quorum meminit August. ad Quodvultdeum haer. 57. Nostro seculo illorum vestigiis insistunt, qui absolutam rerum omnium necessitatem ac fati cujusdam Stoici immutabilitatem propugnant, qui ministerium Verbi V. 194.
negant esse Spiritus s. conversionem operantis organum, qui in conversione veterem hominis substantiam penitus aboleri ac novam surrogari nugantur, qui diversos hominis status non discernunt, sed volun- V. 195.
tatem hominis non solum ante conversionem et in conversione, sed etiam post conversionem Spiritui s. semper repugnare statuunt.

V. 196. ## CAPUT VIII.

DE OPERIBUS NON RENATORUM.

De operibus infidelium, sententia Spiritus sancti.

103. Caeterum quod superius diximus, homines nondum renatos nihil nisi peccare posse, cum hac explicatione accipiendum, sive actio illa sit vitiosa per se, sive propter accidens vitiosa fiat; id quod dicimus propter externam disciplinam et civilem justitiam, quam etiam nonrenati aliquo modo praestare et externam locomotivam regere possunt, quae externa opera, utpote cooperire nudum, subvenire periclitanti
V. 197. etc., licet in se ex genere actus non sint peccata, tamen per accidens fit, ut peccata sint et Deo non placeant; nimirum, quia persona nondum est Deo reconciliata per fidem in Christum, Hebr. 11, v. 6: *sine fide impossibile est placere Deo.* Rom. 14, v. ult.: *Quicquid non fit ex fide, peccatum est,* Tit. 1, v. 15: *coinquinatis et infidelibus nihil est mundum.* Matth. 7, v. 18: *mala arbor non potest ferre fructus bonos.* Deus non secundum adspectum, sed secundum veritatem judicat, cor respicit et officia non ex actibus, sed ex mandato suo, causa vera, forma et finibus pensat. Bona ut sint, bene a bonis et bono fine fieri oportet. *Aestimatur enim bonum ex causa integra,* dicebat Dionysius. Opera illa ethnicorum etiamsi videantur speciosa, tamen quia *non sunt a Deo facta* (Joh. 3, v. 21.) ideo in judicio Dei sunt peccata. Nihil Deo in nobis placet, nisi quod ipse in nobis operatur. Qui Christo, verae viti nondum insiti, salutares fructus ferre nequeunt Joh. 15, v. 4. nondum renati *sunt inimici mente in operibus malis* Col. 1, v. 13. *sunt oleastri* Rom. 11, v. 22. *sunt filii irae* Joh. 3, v. 36. quid autem ab inimicis potest offerri gratum? quis ab oleastro sperandus fructus? quid a palmite extra vitem exspectari potest? unde de sacrificiis impiorum dicitur, *quod sint abominationes Domino* Prov. 15, v. 8. Esa. 66, v. 3. Esa. 1, v. 12: *Quis haec requisivit de manibus vestris, ipsorum orationes non audiuntur,* Esa. 1, v. 16. *jejunia repudiantur* Esa. 58, v. 5, nimirum quia non ex fide, non ex corde per fidem
V. 198. purificato, non ex conscientia bona procedunt, fiunt in vetustate literae, non in novitate Spiritus, referuntur non ad Dei gloriam, sed ad inanem jactantiam.

Dicta veterum.

104. Hinc veteres, praesertim Augustinus, toties repetunt sine fide nulla vere bona opera fieri posse, omnem vitam infidelium esse peccatum etc. August. lib. 3. ad Bonif. c. 5: *Sine fide, quae videntur, bona opera in peccata vertuntur, quicquid enim non fit ex fide, peccatum est.* libr. 4 contra Julian c. 3: *nulla potest esse vera virtus nisi in eo, qui justus est, justus autem nemo esse potest sine fide.* in tract. Ps. 31: *Ea opera, quae dicuntur ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia, inania sunt, ita mihi videntur esse magnae vires et cursus celerrimus praeter viam. Nemo computet opera sua ante fidem, ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit, non valde attendas, quid homo faciat, sed quid, cum facit, adspiciat;* his similia scribit 5. de civ. Dei c. 12. 19. de civ. Dei c. 25. Epist. 99. 1. de nupt. et conc. c. 3. etc. Basilius 2. de Bapt. c. 7: *Peccator cum sacrificat, idem facit ac si mactaret canem.* Chrysostom. serm. de fide et leg. nat. tom. 3. col. 901. comparat *non renatorum opera pulchris ac pretiosis vestibus defunctorum, qui earum nullum sensum habeant, nec calorem, vim aut emolumentum concupiant.* Hieronymus in c. 8. Zach. et in c. 3. Gal.: *Sine Christo omnis virtus in vitio est.* Ambros. vel Prosp. 1. de voc. gent. c. 3: *Absque veri Dei cultu, quae videntur virtutes esse, peccata sunt, nec placere Deo sine Deo ullus potest, qui vero Deo non placet, cui nisi sibi et diabolo placet?* Anselm. in 14. ad Rom.: *Omnis vita infidelium est peccatum et sine summo bono nihil bonum.* Quin ipse Lombardus 2. sent. dist. 41. A. *Non irrationaliter a quibusdam adstruitur, quod omnes* V. 199.
actiones et voluntates hominis sine fide malae sint, quae fide habita bonae exsistunt.

Antithesis.

105. Sed aperta illa veritas, quod omnia infidelium opera sint peccata, a censura Coloniensi dicitur *dura, παράδοξος, crudelis,* nec probatur Bellarmino, ideo lib. 5. de grat. et lib. arb. c. 9. disputat, *posse aliqua bona opera ab infidelibus fieri sive cum auxilio Dei speciali, sive solis naturae viribus. 1. Scriptura testatur, Deum remunerari quaedam opera gentilium, utique ergo non sunt mala, alias supplicium, non remuneratio illis deberetur.* Respondemus: externa obedientia externa remuneratione pensatur. Actiones illae infidelium civiliter bonae sunt, ideo ut societas humana conservetur, temporali benedictione a Deo remunerantur, sed ex eo non efficiuntur vere et spiritualiter coram Deo bonae. *2. Quaedam Scripturae indicant, infideles facere aliqua bona opera, ut salutare fratres* Matth. 5. *facere quae sunt legis* Rom. 2. Respondemus: dicuntur bona vel secundum apparentiam tantum, vel quia substantia operis in se bona, licet subjecto, objecto, fine et aliis circumstantiis sint mala. Idem judicium de dictis patrum. Rationes Bellarminus addit itidem duas: *1. Nulla potest dari ratio, cur opera infidelium semper sint peccata, cum fiant quandoque propter Dei gloriam, nec vitientur a sua causa.* Respondemus: quomodo opera sua ad veri Dei gloriam dirigunt, quibus verus Deus est incognitus? Nullus alius est verus Deus, quam Pater Domini nostri Jesu Christi. Quomodo illorum opera non erunt immunda et inquinata, quorum cor est immundum? quomodo opera eorum Deo placere possunt, qui ipsi Deo displicent? persona nondum Deo reconciliata per fidem in Christum, non possunt vere bona opera Deo grata fieri. *2. Si nullum opus bonum fieri posset ab infidelibus, melius esset illos mala quam bona opera facere.* Respondemus: Minime vero, quamvis enim actiones moraliter et civiliter bonae coram Dei judicio non sint vere bonae sed peccata, tamen ad conservandam civilem societatem a non renatis eas Deus exigit, delinquentes puniendo, obedientes praemiis afficiendo.

Exceptiones Bellarmini.

106. Cap. 10. conatur Bellarminus fundamenta sententiae nostrae subvertere. *1. Dictis illis, quae*

probant, sacrificia impiorum Deo non placere, hoc obvertit, quod multum intersit inter sacrificia et opera moralia, cum ad illa requiratur peccatorum detestatio et conscientia pura, quae ad haec non requirantur. Respondemus: imo ad opus vere bonum et Deo placens itidem requiritur peccatorum detestatio et conscientiae puritas, quomodo enim purum erit, quod ex impuro fonte profluit? *finis praecepti caritas ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta* 1. Tim. 1, v. 5; ergo ubi cor nondum purificatum et conscientia emundata per fidem in Christum, non proficiscitur opus ex tali caritate, qualem lex requirit. *2. Quando Spiritus s. dicit, omne figmentum cordis esse malum, id Bellarminus explicat de majori parte hominum istius seculi.* Respondemus: Ostendimus suo loco proponi in hoc dicto egregiam peccati originalis descriptionem, neque enim universales solummodo particulae *omne figmentum et omni tempore*, sed etiam *exclusiva tantum* diserte a Spiritu s. usurpantur, quas non patiemur sophisticis nebulis involvi. *3. Arbores malas non posse facere fructus bonos*, ita eludit Bellarminus, ut dicat *arborem malam ferre quidem ordinarie et utplurimum fructus malos, interdum tamen etiam aliquos bonos fructus.* Respondemus: Negativa Christi satis perspicua est et diserta, non potest arbor mala fructus bonos facere, jam vero non renati sunt malae arbores, quamvis enim bona quaedam naturae obtineant, tamen ea sunt per peccatum vitiata et corrupta. Ideo ex illis nihil nisi vitiatum, corruptum et immundum proficisci potest. *4. Homo quidem ante regenerationem est caro, interim non cogitur in omni opere carni obedire.* Respondemus: Quicunque totus est caro, illius omnia opera ex vetustate carnis procedunt, quomodo enim ageret quaedam non carnalia, qui totus carnalis est, nulla adhuc sui parte per Spiritum s. renovatus? *5. Opera pietatis et salutis non possunt quidem sine gratiae adjutorio effici, interim opera moralia.* Respondemus: verissime, interim ipsa illa moralia opera sunt
V. 200. Dei judicio peccata, neque quicquam meriti obtinent ad gratiam conversionis impetrandam. *6. In dicto apostolico quicquid non fit ex fide, peccatum est, nomine fidei intelligitur non salvifica fides, sed conscientiae testimonium.* Respondemus: Augustinus diserte et perspicue de fide salvifica accepit, cujus explicatio nullam omnino vim textui facit, quia certitudo illa conscientiae locum non habet absque fide, siquidem ea sola ductum praelucentis verbi sequens, nostram conscientiam plene confirmat, ut sciamus, quid Deo placeat, quid displiceat; quicquid ex hac fide non provenit, Deo placere nequit. Ideo quoque opera, quae non fiunt ex fide, sunt peccata, quia nunquam tam pura et perfecta sunt hominis opera, ut summam illam perfectionem in lege praescriptam assequantur; ideo autem renatorum opera Deo placent, quia ex fide proficiscuntur, quia per fidem persona Deo reconciliata, quemadmodum parens filii obedientiam ratam et gratam habet, inde et ideo, quia a filio proficiscitur. Ipsa glossa ordinaria ex h. l. colligit, omnem vitam infidelium esse peccatum. *7. Infidelibus nihil esse mundum, accipiendum est de cibis, non de operibus.* Respondemus: diserte addit apostolus, *quia inquinatae sunt eorum mens et conscientia;* quemadmodum igitur inde et ideo ipsi cibi (qui tamen ex lege Dei inter mundos censentur) infidelibus sunt immundi, quia ipsorum mens et conscientia inquinata; ita quoque opera illa moralia quae faciunt (quae tamen ratione externi operis cum lege congruunt) sunt immunda et inquinata, quia mens et conscientia ipsorum est immunda, nondum scilicet per Spiritum s. renovata. *8. Sine fide impossibile est placere Deo, ut quis Dei amicus efficiatur, interim ut ipsa natura humana placet Deo, ita quoque opera ex bonitate naturae facta.* Respondemus: quemadmodum natura ipsa ratione substantiae bona est, interim per peccatum contaminata, infecta et corrupta, quo respectu non solum non placet Deo, sed etiam damnatur, ita opera moralia ex bonitate naturae facta ratione actus sunt bona, interim propter adhaerens peccatum non sunt vere bona, nec Deo placent. Reliqua Scripturae dicta, quae Bellarminus nobis tribuit, ad alium pertinent locum, nec immediate V. 201.
illud probant, ad quod probandum inducuntur.

107. Cap. 11. respondet *dictis patrum, quae explicanda esse dicit vel de bonis operibus, quae ad salutem pertinent, qualia ab infidelibus fieri nequeunt, vel de bono opere, quod ad malum finem refertur, aut certe, quod est peccatum largo modo, quia non habet omnem perfectionem, quam habere posset, vel de operibus ratione tentationum, quae vel adsunt vel adessent, nisi Dei protectio et singularis providentia vigilaret.* Respondemus: Veteres diserte dicunt, opera infidelium non solum non prodesse eis ad salutem, sed etiam non esse vere bona, nimirum quia carent debita perfectione omnium causarum respectu; neque dicunt homines non renatos ut plurimum peccare, sed non posse aliter quam peccare, sive actiones illae in sese sive propter aliud sint peccata. Quantum hoc abest a merito congrui tantopere a Scholasticis depraedicato, a dispositionibus ad gratiam, a possessione salutis aeternae, quam Andradius et alii infidelibus promittunt! Cap. 12. respondet *argumentis ex ratione ductis*, quibus non multum tribuimus contenti Scripturae dictis, quae totum hominem per peccatum corruptum esse, nec rationem ab ista corruptione immunem esse manifeste testantur, quae ergo *de seminibus virtutum, de bono naturae, de praemiis virtutum* etc. Bellarminus disputat, illud saltem probant, quod externam locomotivam non renati utcunque regere possint et civilem honestatem sectari, sed eam coram Deo non esse peccatum, id est, peccato contaminatam nondum evincunt.

CAPUT IX.

DE LIBERTATE ARBITRII POST LAPSUM RELIQUA.

Consideratio libertatis ratione objectorum.

108. Ceterum ut eo melius intelligatur, quo sensu et respectu in superioribus libertas arbitrii a nobis

negata sit, placet coronidis loco distinctius hac de re agere. Versamur (uti dictum) in consideratione libertatis, quae aestimatur respectu objectorum: Ut ergo cognoscamus, quae et qualis libertas arbitrii in homine reliqua manserit, distinguamus objecta. Objectum liberi arbitrii aut est mundanum seu humile, quod subjacet sensibus et rationi humanae, nec excedit ejus captum, nec opus habet lumine supernaturali; aut est spirituale sive sublime, quod rationem superat et vires naturales excedit, et indiget illuminatione Spiritus. Duplex inde nascitur actionum genus, quorum alterum ad vitam mundanam, alterum ad spiritualem pertinet.

109. Prius rursus geminum est, et spectat ea, tum quae ad vitam animalem stricte acceptam, tum quae ad humanam vitam pertinent. Illius sunt, quae nobis cum brutis communia et ad vegetantem, sentientem ac locomoventem potentiam pertinent: hujus vero, quae propria sunt hominum et ad vitam humanam pertinent, uti artes omnes tam maechanicae quam liberales, virtutes morales, scientiae philosophicae etc.

110. Posterius genus, quod ad spiritualem et divinam vitam spectat, continet ea, quae ad regnum Dei ac vitam Christianam ordinata sunt, atque itidem duplices inde nascuntur actiones; aut enim externae sunt, seu circa religionis exercitium externum versantur, ac in oculos et sensus exteriores incurrunt, quales sunt verbum Dei audire, legere, templum accedere etc., aut internae et spirituales, Deoque vere placentes, ut sunt assentiri evangelio, vere Deum cognoscere, secundum Spiritum vivere etc.

111. Exceptis posterioris generis spiritualibus actionibus, in reliquis omnibus aliquam arbitrii libertatem in homine superesse dicimus, quod praeter experientiam comprobat apostolus, *quando gentes ea quae legis sunt φύσει*, h. e. *naturalibus viribus*, sine Spiritus renovatione *facere* dicit, Rom. 2, v. 14. (ubi observa, quam accurate apostolus loquatur: non dicit gentes facere legem et praestare legi obedientiam perfectam; sed facere ea quae sunt legis,
V. 202. h. e. quae cum externis operibus a lege mandatis quodammodo consentiunt) item quando dicit, se etiam ante renovationem *secundum justitiam, quae est in lege, conversatum sine querella*. Phil. 3, v. 6. Et Augustin. lib. 5. de civ. Dei c. 15. recte disputat, *Deum externam disciplinam etiam in non renatis remunerari temporalibus praemiis*.

112. Atque hoc discrimen inter objecta liberi arbitrii accurate notandum est, unde etiam August. conf. art. 18. illud diserte exprimit his verbis: *De libero arbitrio docent* (ecclesiae nostrae), *quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam, ad deligendas res rationi subjectas, sed non habet vim sine Spiritu s. efficiendae justitiae Dei seu justitiae spiritualis, quia animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei, sed haec fit in cordibus, cum per verbum Spiritus s. concipitur.* Et postea: *Damnant Pelagianos et alios, qui docent, quod sine Spiritu s. solis naturae viribus possimus Deum super omnia diligere; item praecepta Dei facere quoad substantiam actuum. Quamquam enim externa opera aliquo modo efficere natura potuit; potest enim continere manus a furto, caede: tamen interiores motus non potest efficere, ut timorem Dei, fiduciam erga Deum, patientiam* etc.

113. Hanc ipsam distinctionem proponit August. 3. de hypogn.: *Esse fatemur omnibus hominibus liberum arbitrium habens judicium rationis, non quod sit idoneum ea, quae ad Deum pertinent, sine Deo inchoare aut peragere, sed tantum in operibus vitae praesentis.* Quae vero illa sint, declarat postea: *Et bona quae de bono naturae* oriuntur, *ut velle laborare in agro, velle bibere et manducare, velle habere amicum aut indumenta, velle fabricare domum, ducere uxorem, nutrire pecora, discere artem et quicquid bonum ad praesentem pertinet vitam; et mala, ut velle colere idolum, facere homicidium vel adulterium, res alienas diripere, Deum blasphemare, turpiter vivere, maleficium discere, inebriari, luxuriose vivere, et quicquid operari vel non licet vel non expedit.* Idem de fide ad Petrum c. 32: *Firmissime tene et nullatenus dubites, posse quidem hominem, quem nec ignorantia literarum nec aliqua prohibet imbecillitas vel adversitas, verba sancta legis et evangelii sive legere sive ex ore cujusdam praedicatoris audire, sed ut quod audit corpore, percipiat etiam corde et mandata Dei facere velit, nemo potest, nisi quem Deus gratia sua praevenerit, data divinitus bona voluntate atque virtute.*

114. Agnoscendae autem reverenter hae qualescunque libertatis in homine post lapsum reliquiae, quod cum natura humana per lapsum veris illis donis intellectus sit spoliata, Deus tamen aliquid suorum donorum in mente reliquum esse voluerit, unde quod et qualis sit Deus, cognosci atque externa illa paedagogia in Christum locum habere posset, quae in diabolis non est. *Intuere moriones, phreneticos, maniacos et similes, videbis quam ingens bonum sit, quod etiam non renatis usus rationis conceditur.* D. Chemn. p. 1. loc. de lib. arb. c. 2. Quo fine aliqua libertas in homine manserit.

115. Notanter autem additum fuit *aliquam libertatem arbitrii in externis illis actionibus, in operibus vitae praesentis* (ut loquitur Augustin.), *in civili justitia et exercitiis carnis* (ut loquitur apologia Augustanae confessionis) *superesse;* quia impedimenta satis multa sunt, quae libertatem illam non mediocriter remorantur, eaque tum externa tum interna. Impedimenta libertatis adhuc reliquae.

116. Externa vel in classem efficientis vel objecti referre possumus. Prioris generis impedimenta externa sunt duo: Primo Deus ipse manu providentiae suae potenti, qua res humanas ut reliqua omnia dirigit, voluntatum humanarum cupiditates cohibet, ut quo velint pervenire semper non possint. *Sic in naribus Sennacherib ponit circulum et frenum in labiis ejus, et reducit eum in viam, per quam venit;* Esa. 37, v. 29. *Jeroboamum inhibet, ut manum extensam retrahere nequeat,* 1. Reg. 13, v. 4. Disponit Dominus, tantum proponere nostrum est, Jerem. 10, v. 23: *Non est hominis via ejus, nec viri est, ut ambulet et dirigat gressus suos,* h. e. irrita sunt consilia et conatus V. 203. Externa.

hominis, nisi a Deo juventur et gubernentur. Eventus semper in Dei manu positus: hinc Jacobi 4, v. 13. reprehenduntur, qui dicunt, *hodie aut cras ibimus in civitatem, et non addunt, si voluerit Dominus.*

117. Alterum externum impedimentum in classe efficientis est tyrannis diaboli, *qui est efficax in filiis incredulitatis* Eph. 2, v. 2, *a quo captivi tenentur homines reprobi ad ipsius voluntatem* 2. Tim. 2, v. 26. Quin imo etiam apostolus *festinavit videre faciem Thessalonicensium cum multo desiderio* 1. Thess. 3, v. 17, *sed impedivit eum Satanas* v. 18. Externum impedimentum in classe objectorum est moles illa negotiorum et periculorum, quae varias remoras mentis judicio et voluntatis electioni saepe injicit. Varia illa ac multiplex negotiorum turba facit, ut quis

— *Animum nunc huc nunc dividat illuc,*
In partes rapiat varias, perque omnia verset.

Interna. 118. Interna impedimenta libertatis itidem duo sunt: 1. Infirmitas intellectus et voluntatis, quia ipsae illae naturales vires adhuc reliquae in mente et voluntate hominis misere sunt infirmatae, ac languor ille et stupor virium animae peccato originali maxime debilitatarum, varia ac multa humanae voluntati impedimenta objicit. Hinc in consiliis saepe erramus, etiamsi omnes ingenii nervos intendamus et bonum finem propositum habeamus. Prov. 20, v. 24: *A Domino dirigentur gressus viri, et quomodo homo intelliget viam suam,* q. d. habet quidem mens humana reliquum illud donum electionis in rebus civilibus, sed quomodo homo potest omni prospicere et cavere, ne hallucinetur in electione? 2. Vehementia atque impetus affectuum saepe tantus est, ut instar torrentis voluntatem secum abripiant, et judicium rationis intervertant, et tunc *fertur equis auriga, nec audit currus habenas.* Hinc illud Medeae:

Aliudque cupido,
mens aliud suadet, video meliora proboque,
deteriora sequor.

Hinc etiam philosophus disputat 7. Eth. 3, quod *homines saepe faciant ea quae sciunt esse vitiosa.*

CAPUT X.
PROPONIT USUM DOCTRINAE HUJUS DE LIBERO ARBITRIO.

Usus doctrinae de impedimentis libertatis. 119. Atque haec doctrina de impedimentis libertatis etiam in externis actionibus eo fine traditur, ut cum videmus disciplinam externam tam mutilam, mancam et infirmam esse, deploremus naturae corruptionem, nec qualemcunque illam externam obedientiam opponere audeamus judicio Dei, exemplo Judaeorum, de quibus apostolus Rom. 10, v. 3. dicit, quod *quaesierint propriam justitiam stabilire,* ubi stabiliendi voce infirmitas ejus notatur, quod enim in se vacillat ac labescit, stabilimento opus habet; sed irritus iste conatus altero verbo exprimitur, quaeritur enim haec stabilitio, non obtinetur. Deinde et in moribus regendis simus diligentiores, et auxilium divinum ardentius imploremus, quo actiones nostrae non tantum in spiritualibus, verum etiam in illis externis rebus, quae sensui et rationi subjectae sunt, a Deo gubernentur, ne errore incidamus in tragica et inextricabilia mala; si qua etiam inciderint errata, ea sanari petamus.

120. Porro quae de ἀδυναμίᾳ ad efficiendos vel inchoandos spirituales motus in conversione diximus, eo spectant, primo ut aliquo modo agnoscamus magnitudinem beneficiorum Filii Dei mediatoris, cujus gratia non solum in merito sed et applicatione coelestium thesaurorum summe nobis necessaria. Utut offerantur nobis in verbo coelestes thesauri morte nostri mediatoris parti, tamen, nisi Deus in nobis illud operetur, manum fidei ad eos extendere non possumus. Augustinus ep. 107: *Prorsus non oramus Deum, sed orare nos fingimus, si nos ipsos, non ipsum putamus facere, quae oramus; prorsus non gratias agimus Deo, sed agere nos fingimus, si unde illi gratias agimus, ipsum facere non putamus.* Usus doctrinae de ἀδυναμίᾳ virium in spiritualibus.

121. Deinde confert haec cognitio ad humilitatem, ut quando sentimus tales quosdam motus, sanctam cogitationem, bonum propositum, pium desiderium etc. ne de nostris viribus vel conatibus gloriemur; sed agnoscamus esse grătuitum donum operantis Spiritus s., ut illi gratias agamus, *a quo reddimur idonei cogitare aliquid* 2. Cor. 3, v. 5. *qui operatur in nobis velle* Phil. 2, v. 13. *Quid habes, quod non accepisti. Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* 1. Cor. 4, v. 7. Cyprian. lib. 3. ad Quirin.: *In nullo gloriandum, quia nihil nostrum est,* quod dictum August. saepe repetit. V. 204.

122. Praeterea confert ad fiduciae incrementum. Possumus enim nos in imbecillitate carnis, imo in rebellione legis peccati, quod est in membris, hac consolatione erigere, quia non caro nostra, sed Spiritus s. incepit illud bonum opus, ergo etiam idem perficiet Phil. 1, v. 6. Augustin. (vel quicunque alius auctor) de dogm. eccles. c. 6: *Tutiores vivimus, si totum Deo damus, non autem si nos illi ex parte et nobis ea parte committimus.*

123. Adhaec confert ad securitatem excutiendam, ne reddamur securi, quando initia fidei, dilectionis, poenitentiae etc. habemus, quasi non possimus ea amittere, sed nostris viribus tueri et augere; sed eo tenacius inhaereamus invocationi, *quia non ex viribus nostris possumus elicere, quod deest in bonis spiritualibus, vel illud, quod accepimus, tueri, sed per illum possumus, sine quo nihil possumus.* Augustin. de dogmat. ecccles. c. 17.

124. Denique confert ad excitandam diligentiam in tuendis donis divinis, ut cogitemus, si talia dona effundimus, vel in terram suffodimus, non nostrae naturae injuriam nos facere, sed ipsi Spiritui s., qui in nobis conversionem operatur. Augustin. de dogm. eccl. c. 32: *Deus agit in nobis, ut quod vult, velimus et agamus, nec otiosa esse in nobis patitur, quae exercenda, non negligenda donavit; ut nos cooperatores simus gratiae Dei, ac si quid in nobis ex nostra viderimus remissione languescere, ad eum sollicite recurramus, qui sanat omnes languores nostros et jussit orare, ne nos inducas in tentationem.*

125. Non autem ad alendam desidiam hac doctrina abutamur, ut cogitemus, secura et otiosa voluntate Ejusdem abusus.

exspectabo, donec conversio et renovatio operatione Spiritus s. juxta omnes gradus in me fuerit absoluta, quia Spiritus s., ut velimus, in nobis sine nobis operatur, cum autem volumus et sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur; non autem potest in puncto aliquo mathematico ostendi, ubi voluntas incipiat agere, sed quando gratia praeveniens prima initia fidei et conversionis homini confert, statim incipit lucta carnis et Spiritus, atque illa lucta non fit sine motu nostrae voluntatis; ac voluntas liberata non est otiosa, sed novis illis donatis viribus efficax est.

Conversio non fit in puncto mathematico.

126. Nimirum conversio ac renovatio non est talis mutatio, quae uno momento statim omnibus suis partibus perficiatur ac absolvatur, sed habet sua initia, suos progressus, quibus in magna infirmitate perficitur. *Fiunt*, inquit August. lib. 1. ad Simpl. q. 2, *in conversione inchoationes similes conceptioni, non tamen solum concipi, sed et nasci opus est, nihil tamen horum fit sine gratuita Dei misericordia.*

127. In principio desiderium est obscurius, assensio languidior, obedientia tenuior, et illa dona oportet crescere. Crescunt autem in nobis, non sicut lilia agri, sed conando, luctando, quaerendo, petendo, pulsando, et *hoc non ex nobis, Dei donum est. Habenti dabitur*, dicit salvator Matth. 13, v. 12. Qui minima quaeque dona spiritualia a Deo accepit, grata mente agnoscat, petat, ea augeri, nullas negligat occasiones in pietate proficiendi, ita dabitur ei, ut sit abundantior; sed non habenti, i. e. qui ita se gerit, ac si nihil a Deo accepisset, ei auferetur quod habet. Qua de re Chemnicius in judicio de controv. quibusdam q. p. 63. sic scribit.: *Quia conversio secundum omnes sui partes non statim aut uno momento absolvitur, non dicendum est, voluntatem debere otiosam et pure passivam esse, donec sentiat absolutam esse conversionem, aut quia conversio et renovatio est opus Dei, fidem non debere curare,*
V. 205. *an fiat vel facta sit, sed debere Deo committere, qui opus suum poterit efficere* etc., *sed cum prima initia conversionis per Spiritum s. nobis donantur, statim oritur lucta carnis et Spiritus, quam manifestum est fieri non sine motu voluntatis nostrae, et haec συνεργία voluntatis non veteris, sed quae coepit renovari, et initia illa in magna infirmitate crescunt et augentur non sine motu nostrae voluntatis, illa autem συνεργία semper pendet a Dei gratia*, etc.

CAPUT XI.

EXPLICATIO DICTORUM QUORUNDAM SCRIPTURAE ET QUAESTIONUM DE LIBERO ARBITRIO.

128. Ex hoc fundamento multa possunt dexterius intelligi et dijudicari Luc. 11, v. 13. dicit Christus: *Pater coelestis dabit Spiritum s. petentibus*, et tamen 1. Cor. 12, v. 3. expresse dicit apostolus, *quod nemo possit dicere Dominum Jesum* [videlicet ex vera fide cordis, non tantum professione oris] *nisi per Spiritum s., is solus est Spiritus precum* Zach. 12, v. 10. *docet nos orare* Rom. 8, v. 26; quomodo ergo intelligendum Christi dictum? Respondemus: loquitur Christus non de prima scintilla fidei et primis motibus salutaribus, quod primum illud initium fidei queamus precibus a naturalium virium arbitrio profectis et absque Spiritu profusis antevertere, sed de acceptorum Spiritus s. donorum incremento, quod petendo, quaerendo, pulsando impetrandum, ac vult docere, non esse sensibiles ac violentos motus exspectandos, ut de praesentia Spiritus s. statuere possimus, sed quando adest desiderium, etiamsi vix obscuris gemitibus se exserat, tamen certos nos esse debere, adesse Spiritum s., ideoque ejus uberiorem gratiam implorandam.

129. Sic Gal. 3, v. 14. *promissio Spiritus accipi* dicitur *per fidem*, non quod fides ex nostri arbitrii viribus primum emergat, per quam postea participes reddamur inhabitationis Spiritus s., sed apostolus vult dicere, quod efficacia Spiritus exserat se per verbum; tunc fide accipimus Spiritum s., quando audimus et meditamur vocem evangelii; fide accipimus promissionem Spiritus, et tamen ex auditu per operationem Spiritus s. est fides. Spiritus s. hominem audientem verbum forinsecus primum aggreditur, et per auditum evangelii efficaciter in eo operatur, deinde per accensam fidem incipit habitare in ipsius corde. Christus tanquam sponsus animae nostrae per Spiritum suum voluntatem nostram sibi conciliare ac devincere conatur, ut mystica illa desponsatio fiat, de qua Hos. 2, 19. et alibi.

130. Hinc dijudicari possunt quaestiones, *an homo in conversione habeat se pure passive, an habeat se sicuti lapis et truncus, an convertatur repugnans* etc. qua de re ex Verbo Dei et veritate sic statuendum. Non affert homo ex penu suarum naturalium virium aliquam facultatem ἐνεργητικὴν ad spirituales illos motus in conversione; interim tamen renovatio illa non ita recipitur, velut lapis aut cera aliquam impressionem recipit; *sed Deus operatur in nobis velle* Phil. 2, 13. Hinc August. de correpť. et gr. c. 14: *Deus trahit homines suis ipsorum voluntatibus, sed quas ipse operatus est*, et de grat. et lib. arb. c. 16: *Certum est nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus, de quo dictum est: Deus est, qui operatur in nobis velle.*

An homo in conversione habeat se pure passive.

131. Est quidem *cor hominis* ante conversionem *lapideum* Ezech. 36, 26, interim tamen non est cogitandum, quod conversio hominis sit coacta et violenta, quod voluntas bruta agitatione percellatur et protrudatur, sicut lapides provolvuntur, aut sine omni motu fiat, sicut arreptitii oracula olim fundebant, sed docetur his et similibus phrasibus, in homine nullas ne modiculas quidem vires naturales superesse, quibus sui conversionem operari possit. V. 206.

132. Etsi proinde eo, quo dictum est, respectu voluntas hominis sit subjectum mere παθητικόν, οὐκ ἐνεργητικόν, et lapidi recte conferatur; quia tamen homo voluntate sive vi volendi praeditus est, in quam tanquam subjectum cadere potest externa conversionis gratia, inde apparet, hoc respectu eum a lapide differre, quippe qui conversionis capax non est.

An habeat se ut lapis ac truncus.

133. Id vocant quidam capacitatem passivam, quidam aptitudinem παθητικήν (qua voluntas non se ipsam convertere, sed tantum ab alio converti possit), quidam essentialem potentiam animae, quidam liberum arbitrium. Unde D. Lutherus tom. 1. f. 236: *Patres quando liberum arbitrium defendunt, capacitatem libertatis ejus praedicant, quae scilicet verti possit ad Deum per gratiam et fieri revera liberum, ad quod est creatum.* Pulchre August. ep. 107. ad Vitell.: *Si vere volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus, unde sit liberum. Nam qui oppugnat gratiam, qua ad declinandum a malo et faciendum bonum liberatur arbitrium, ipse arbitrium suum adhuc vult esse captivum.*

134. Quin et respectu quodam voluntas hominis ante conversionem se deterius habet lapide vel trunco, quia lapis artifici non repugnat, sed φρόνημα σαρκός *est inimicitia adversus Deum.* Rom. 8, 7. *et lex in membris repugnat legi mentis* Rom. 7, 23. *ideoque* νόημα *intellectus captivandum sub obsequium Christi* 2. Cor. 10, 5. *et nemo venit ad Christum, nisi Pater coelestis traxerit eum* Joh. 6, v. 45.

135. Observa tamen vicissim, non esse fingendum tractum violentum, quasi trahantur ad Christum etiam illi, qui vocanti Deo contumaciter et pertinaciter obsistere atque obluctari perseverant: tales enim *repellendo sermonem se indignos judicant vita aeterna* (Act. 13, 46.); sed Deus mediante praedicatione et auditu verbi per Spiritus virtutem voluntatem hominis flectit, et ex nolente volentem, consentientem et obedientem efficit, verbum enim est illud rete ac verticulum, per quod Deus trahit (Matth. 13, 47.), quod cave eo sensu accipias, ac si in verbo tantum ostendat, quid fieri velit, sed requiritur insuper interior efficacia, qua mens illustretur et voluntas flectatur. Bernh. ser. 2. sup. Cant.: *Trahe [Deus] voluntatem quodammodo invitam, ut facias voluntariam, trahe torpentem, ut reddas currentem.*

136. Dixerat Pelagius gratiam adjuvare bonum cujusque propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immitti. Respondet Augustin. lib. 4. contra duas epistolas c. 6: *Posset bene intelligi, si non ab istis, quorum sensus notus est, diceretur; reluctanti enim prius aditus divinae vocationis ipsa Dei gratia procuratur, ac deinde in illo jam non reluctante Spiritus virtutis accenditur.*

137. Dixerat Ambr. lib. 2. de voc. gent. c. 9: *Quod gratia a multis refutatur, ipsorum est nequitiae; quod autem a multis suscipitur, et gratiae est divinae et voluntatis humanae.* Sed recte ibidem se explicat: *Ipsa enim gratia* [inquit] *hoc omni genere medendi et auxiliandi agit, ut in eo, quem vocat, optimam sibi receptricem et famulam donorum suorum praeparet voluntatem.*

138. Quae de modo conversionis diximus, ea sic proponit Christus Joh. 6, v. 44: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* v. 45: *est scriptum in prophetis, erunt omnes* διδακτοὶ τοῦ θεοῦ. Ergo ut a Patre trahamur, ut a Deo doceamur, requiritur; sed additur, *omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.* Deus enim docet ac nos discimus non immediate sed per verbum. Dictum ergo illud Christi exprimit ordinem, quo V. 207.
Deus solet hominem trahere; ipse sua gratia omnem nostrum cursum et conatum antevertit, revelat et proponit verbum, ac per Filium illud manifestat. Qui ergo audit Filium, audit Patrem, et qui legatos Filii audit, ipsum Filium audit. Qui ergo vult a Patre trahi, audiat verbum Christi, per quod vult esse efficax, *est enim evangelium potentia Dei ad salutem* Rom. 1, 16; nec solum audiat, sed etiam discendi animo audiat; hinc Christus audire et discere conjungit. Etsi vero in schola Dei discere ac proficere non est in nostris viribus, tamen quia fames audiendi verbum etiam non renatis adscribitur, Amos 8, 11, et quia Herodes ἡδέως audiebat Johannem Marc. 7, 20, inde apparet, studium audiendi et discendi aliquatenus adhuc ante conversionem homini competere. Cyr. h. l.: *Trahit Pater monitione, doctrina, revelatione. Ubi enim auditus, disciplina, doctrinaque adest, ibi fides non vi, sed persuasione oritur.* August. tr. 26. sup. Joh.: *Videte, quomodo trahat Pater, docendo delectat, non necessitatem imponendo. Disce trahi ad Filium a Patre, doceat te Pater, audi Filium.*

139. Supersunt in homine etiam non renato notitiae illae naturales theoreticae, quod sit Deus; et practicae, quod sit justus et vindex scelerum; superest συντήρησις, quod *cogitationes hominum* etiam plane ethnicorum *se accusant*, Rom. 2, 15, nec plane exspiravit opinio de aliquo post hanc vitam judicio; atque hoc est internum in homine testimonium, atque accedit testimonium Spiritus s. in verbo; haec conjuncta etiam in nondum conversis studium quoddam audiendi ac discendi excitare possunt, ut postea per operationem Spiritus s. interiore et exteriore testimonio homo convictus ad Deum convertatur.

CAPUT XII.

CONTINET ἈΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΝ HUJUS LOCI.

140. Atque haec de libertate arbitrii in hominibus nondum renatis post lapsum dicta sint, uberius quidem propter rei magnitudinem, quorum summa est, in externis actionibus et in regenda disciplina aliquam adhuc superesse arbitrii libertatem, sed ad deponendam naturae pravitatem nobiscum nascentem ac ad spirituales ac Deo placentes motus inchoandos plane nullas superesse vires, sed totum hoc gratuito Dei dono et Spiritus sancti operationi adscribendum esse, qui per verbum praedicatum et auditum in homine efficax est et novos motus accendit. Ἀνακεφαλαίωσις praecedentium

141. Postquam vero homo e statu corruptionis in statum gratiae translatus, ab errore ad veritatem, ab incredulitate ad fidem; a peccatis ad Deum, a tenebris ad lucem conversus, aliam arbitrii libertatem consequitur, quam possumus vocare libertatem Libertas a peccati servitute.

a servitute peccati, quia Spiritus s. novam lucem in mente accendit ac novas vires voluntati confert, ut ita voluntas in hoc statu non amplius sit otiosa, sed per novas illas sibi donatas vires postea Spiritui s. cooperetur; Joh. 8, 36: *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Rom. 6, v. 18: *Liberati a peccato servi facti estis justitiae.* 2. Cor. 3, v. 17: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* August. de corrept. et grat. c. 2: *Intelligant, si filii Dei sunt, Spiritu Dei se agi, ut quod agendum est, agant, et cum egerint, illi, a quo aguntur, gratias agant, aguntur enim, ut agant, non ut ipsi nihil agant.* Unde etiam idem tam operose distinguit inter gratiam praevenientem, praeparantem, operantem, cooperantem et perficientem. In hoc factae renovationis statu voluntati humanae συνεργίαν quandam ad bonum lubentissime concedimus.

In hac vita non est perfecta.

142. Interim tamen illa arbitrii libertas in renatis non ita comparata est, ut adjutorium Spiritus s. ipsis non sit amplius necessarium, quia voluntas eorum liberata ad bonum propendet non naturalibus viribus, sed virtute agentis et regentis eam Spiritus s. August. de corrept. et grat. c. 11: *Liberum arbitrium et ad malum et ad bonum faciendum confitendum est nos habere, sed in malo faciendo quisque est liber justitiae, servusque peccati; in bono autem esse liber nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis, nec ita ut cum quisque fuerit a peccati damnatione liberatus, jam non indigeat sui liberatoris auxilio, sed ita potius, ut ab illo audiens, sine me nihil potestis facere, dicat et ipse: Adjutor meus esto; ne derelinquas me. Haec fides sine dubio vera et prophetica et apostolica est.*

V. 208—216 [sic.]

143. Manet in renatis etiam post conversionem in hac vita *lucta carnis et Spiritus* Gal. 3, v. 17, per quam fit, ut *condelectentur quidem legi secundum interiorem hominem* Rom. 7, v. 22, interim tamen *vident aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis* etc. v. 23, quia in hac vita inchoatur tantum et crescit, non autem plene perficitur hominis renovatio; unde in conversis Scriptura duos quasi homines esse dicit, veterem et novum, exteriorem et interiorem.

144. Proinde libera illa et liberata renatorum voluntas est nihilominus captiva sub lege Rom. 7, v. 23. quia caro praefracte renititur facientibus bonum: possumus ergo dicere, quod sit libera servitus, et serva libertas, quia renati *mente serviunt legi Dei, carne autem legi peccati* Rom. 7, v. 25. Libera servitus est, quia renati spontaneo ducuntur Spiritu juxta interiorem hominem et libere DEO serviunt juxta novitatem Spiritus; serva libertas est, quia non est effrenis aliqua licentia arripienda, quidvis pro arbitrio agendi, sed ad Dei voluntatem et normam legis conformanda est obedientia, nec pro libertate Spiritus carnis licentia usurpanda. Unde etiam hanc libertatem non vocavimus libertatem a peccato [*quia peccatum in carne* renatorum *adhuc habitat* Rom. 7, v. 17.], sed a servitute peccati [quia renati *ei non serviunt* Rom. 6, v. 6.]. Sed agnoscunt, dolent, per Christum remissionem petunt et repugnant.

145. Nec libertas illa renatorum in hac vita ita comparata est, ut non possit vicissim ad malum se convertere, quin potius si peccati servituti se vicissim mancipare voluerint, et gratiam Dei abjicere, relabuntur in statum corruptionis pristinum, et fiunt posteriora pejora primis, 2. Petr. 2, v. 20. 21. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini* Rom. 8, v. 13. *Si permanseris in bonitate, alioqui excideris* Rom. 11, v. 22. *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae* Apoc. 2, v. 10. etc. Qua de re alibi fusius dicetur, atque haec meditatio timorem Dei, serium studium pietatis, ardentes preces etc. in nobis excitabit, et torporem ac securitatem excutiet.

146. In altera demum vita adspirant renati ad plenam arbitrii libertatem, quam possumus nominare libertatem a peccato et mutabilitate; quia tunc non solum a servitute peccati, sed etiam ab omnibus peccati reliquiis electi mundabuntur, et in bono confirmabuntur, ita ut ex felici isto statu per peccata excidere amplius non possint; erunt enim ἰσάγγελοι Matth. 22, v. 30, *videbunt Deum a facie ad faciem* 1. Cor. 13, v. 12; *videbunt Deum sicuti est* 1. Joh. 3, v. 2; tunc erit plena securitas et secura libertas, ac multo plus per Christum nobis restituetur, quam per Adamum est amissum; quia libertas Adami fuit posse non peccare, electorum erit non posse peccare. In futura vita error a ratione, a voluntate dolor, atque a memoria timor omnis decedet, et succedet illa quam speramus mera serenitas, plena suavitas, aeterna securitas. *Primum faciet veritas Deus, secundum caritas Deus, tertium summa potestas Deus, ut sit Deus omnia in omnibus, ratione, recipiente lucem inexstinguibilem, voluntate pacem imperturbabilem consequente, memoria fonti indeficienti aeternaliter inhaerente.* Bernhard. serm. 11. sup. Cant. col. 519. Ad hanc plenam libertatem nos pervehat et quod coepit in nobis bonum, perficiat auctor et consummator salutis nostrae benedictus in secula.

Libertas a peccato et mutabilitate.

CONSPECTUS SECUNDI TOMI.

FINIS SECUNDI TOMI.

Altenburgi, ex typographeo aulico. (H. A. Pierer.)